notio Nephesch. *Et non cum eo Deus alienigena*, nempe Deus Deorum alienigenorum, quod est mysterium corticum. Nam quoniam manifestabitur mysterium Neschamæ Benedicti, totus mundus implebitur luce, sanctitate, sapientiâ, & prophetiâ, *sicut aquæ mare operientes.* Et Spiritus impuritatis, qui sunt cortices, auferetur à terra, nec mentio ejus amplius fiet; ita dilatabitur regnum ejus in mundo, sicut dicitur: *Dominus regnabit in æternum & perennitatem.* Quamdiu enim regnârunt 8. Reges suprà dicti, non dilatatum est regnum ejus, cujus nomen benedictum sit! Et propterea scriptum est: *Et isti sunt Reges, qui regnârunt, antequam regnaret Rex super filios Israël.* Et cùm Nomen DEI benedictum etiam è medio tollet Regem octavum de terra, sicut dicitur in libris Chronicorum: *Et mortuus est Hadad:* tunc regnabit Rex super filios Israël, cujus nomen benedictum sit! & hæc est dominatio Neschamæ ejus, q. b. s! quæ tota est vita & tota est miserationes perfectæ; nec malum in ea est ullatenus. Tunc dilatabitur magnitudo regni ejus, qui benedictus sit! & exaltabitur Nomen ejus in mundo: Et omnes inclinabunt humerum ad serviendum ei, omnesque suscipient jugum Regni ejus. *Illa die Dominus erit unus, & nomen ejus unum.* Benedictum sit nomen ejus in æternum. Amen.

Sic esto voluntas Dei!

FINIS.

PARS SECUNDA

ejusque

Tractatus Primus,

qui est

SIPHRA de ZENIUTHA

seu

LIBER MYSTERII,

sive

OCCULTATIONIS,

Cum Textu Originario correcto, & punctato, nec non in paragraphos dissecto, adjectis Variis Lectionibus, cui è regione adjecta est Versio, cum annotationibus; & allegationibus Dictorum Biblicorum.

LIBER OCCULTATIONIS, seu MYSTERII.

CAP. I.

[NB. Numeri hic illic inserti, Lectorem remittunt ad paragraphos Commentarii infra sequentis.]

§.1. *Traditio. Liber Occultationis* [§. 1.] *est Liber, qui describit Librationem bilancis.* [§.2. 131.132.]

§.2. *Traditio.* [In editionibus impressis hęc vox non extat: Sed in Exemplari Mantuano correcto, adscripta est.] *Antequam enim Bilanx esset,* [§. 10.132.] *non respiciebat faciem ad faciem.* [§.11.]

§.3. *Et Reges primi mortui sunt:* [§.13. seqq.] *& alimenta eorum* [§.21. Alii corrigunt & legunt וְיִתְיַתְּרוּן id est, & coronæ eorum:] *non inventa sunt: & Terra desolata fuit.* [§.22.]

§.4. *Donec Caput* [Codex Mantuanus correctus adscriptum hîc habet, דלא אתידע quod ignoratur.] *omnibus desideriis desideratum* [§.23. 156. & codex correctus adjicit אם, id est, Infiniti.] *vestimenta honoris* [§.24.134.136.171.174.] *paravit & communicavit.*

§.5. *Hæc Bilanx pendet in luco, qui non est.* [In Mantuano correcto adscriptum est עתיקא, id est, in Seniore. §.26.]

§.6. *Eadem ponderati sunt illi, qui non reperiebantur.* [§.27.]

§.7. *Labra consistit in corpore illius* [§.37. In Codice correcto adscriptum est עתיקא id est, Senioris.] *non adhæret, & non videtur.*

§.8. *In illa ascenderunt, & in illa ascendunt* [§.38. *qua non sunt & sunt & erunt.*

סִפְרָא דְצְנִיעוּתָא

פְּרָקָא קַדְמָאָה

א. תָּאנָא סִפְרָא דְצְנִיעוּתָא סִפְרָא
דְשִׁקּוּל בְּסִתְלָא.

ב. תָּאנָא דְעַד לָא הֲוָה מְתְקָלָא לָא
הֲוָה מְשַׁגְּחִין אַפִּין בְּאַפִּין.

ג. וּמַלְכִין קַדְמָאִין מִיתוּ וְיִתְיַתְּרוּן
לָא אִשְׁתְּכַחוּ וְאַרְעָא אִתְחֲשָׁרַת.

ד. עַד רֵישָׁא דְכֻסְפָּא וְכָל בְּסוּמִין
לְבִשִׁין דִּיקָר אִתְקַן וְאִזְדַּמַּן

ה. הַאי מְתְקָלָא תְּלִי בְּאִתַּר דְּלָא
יְדַעְנָא.

ו. אִתְקְלוּ בִידֵיהּ אִינִין דְּלָא
אִשְׁתְּכַחוּ:

ז. מְתְקָלָא קָאֵים בְּגַוְּוֵיהּ לָא
אִתְאַחַר וְלָא אִתְחֲזֵי.

ח. בֵּיהּ סְלִיקוּ וּבֵיהּ סְלִיקָן דְּלָא
הוּא וְהֲווּ וְיִהְוֵין:

§.9. *Occultum in occulto.* [In Codice correcto adscriptum est: רישא דלא אתידע Caput quod ignoratur. §.44. 45. 46. 164.]

§. 10. *Conformatus* (autem) *& præparatus est ad instar cujusdam cranii* [Codex correctus addit numeros partium, dicitque hanc esse partem primam. §.47.176.177.] *pleni vore crystallino* [Cod. correctus addit, hanc esse partem secundam §.47. 178.]

§. 11. *Membrana aëris clara est & clausa* [In Codice correcto dicitur pars tertia, §.48.]

§. 12. (Deinde) *sunt* (capilli ut) *Lana munda pendentes in æquilibrio.* [Codex correctus hanc dicit formam quartam, quam refert ad gradus נח id est superationem & Gloriam. §.75.]

§. 13. *Benevolentia Benevolentiarum* [Codex correctus dicit hanc esse formam quintam, quam refert ad יסוד seu fundamentum eamque explicat de fronte & auribus.] *quæ manifestantur* [§.185.] *per preces inferiorum.*

§. 14. *Visio aperta,* [Codex correctus hanc dicit esse formam sextam, eamque refert ad נצח id est, ad superationem & Gloriam.] *quæ non dormitat, & continuo observat: Aspectus* (autem) *inferior* (dependet) *ab aspectu lucis superioris.*

§. 15. *In illo duo foramina Meniani* [Codex correctus addit hanc esse formam septimam, quam refert ad מלכות sive Regnum.] *& (hinc) excitatur spiritus pro omnibus.*

§. 16. [Cum igitur Lex divina incipit:] בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ: [quæ communiter verti solent:] *In principio creavit DEUS cœlum & terram:* [sensus est:] *Sex* (membra creata esse; quæ sunt sex numerationes Microprosopi: Benignitas scil. ut brachium dextrum; Severitas ut brachium sinistrum; Pulchritudo, ut corpus: Superatio ut crus dextrum; Gloria, ut crus sinistrum; & fundamentum, ut membrum genitale. Ut loco בראשית in principio legendum sit: ברא שית *creavit sex. Super istis* (consistunt) *omnia* (quæ sunt) *inferiùs,* [præcipue Basilia, id est gradus ultimus, sive Uxor Microprosopi; & omnes tres mundi inferiores.]

סִפְרָא דְצְנִיעוּתָא

פְּרָקָא קַדְמָאָה

א. תָּאנָא סִפְרָא דְצְנִיעוּתָא סִפְרָא
דְשִׁקּוּל בְּסִתְלָא.

ב. תָּאנָא דְעַד לָא הֲוָה מְתְקָלָא לָא
הֲוָה מְשַׁגְּחִין אַפִּין בְּאַפִּין.

ג. וּמַלְכִין קַדְמָאִין מִיתוּ וְיִתְיַתְּרוּן
לָא אִשְׁתְּכַחוּ וְאַרְעָא אִתְחֲשָׁרַת.

ד. עַד רֵישָׁא דְכֻסְפָּא וְכָל בְּסוּמִין
לְבִשִׁין דִּיקָר אִתְקַן וְאִזְדַּמַּן

ה. הַאי מְתְקָלָא תְּלִי בְּאִתַּר דְּלָא
יְדַעְנָא.

ו. אִתְקְלוּ בִידֵיהּ אִינִין דְּלָא
אִשְׁתְּכַחוּ:

ז. מְתְקָלָא קָאֵים בְּגַוְּוֵיהּ לָא
אִתְאַחַר וְלָא אִתְחֲזֵי.

ח. בֵּיהּ סְלִיקוּ וּבֵיהּ סְלִיקָן דְּלָא
הוּא וְהֲווּ וְיִהְוֵין:

ט. סְתִירָא גּוֹ סְתִירָא.

י. אִתְתְּקַן וְאִזְדַּמַּן בְּחַד
גּוּלְגַּלְתָּא מָלְיָא טַלָּא דְּבְרוּלְתָּא.

יא. קְרוּמָא דַאֲוִירָא אִזְדַּכַּךְ
וְסָתִים.

יב. אִינִין עִמְּרָנְקֵי תְּלִיָּין
בְּשִׁקּוּלָא.

יג. רַעֲוָא דְרַעֲוִין אִתְגְּלִיָּין
בְּצְלוֹתָא דְּתַתָּאֵי אִשְׁתְּמַע.

יד. פְּקִיחָא דְּלָא נָאֵים וְנָטִיר
תְּדִירָא אִשְׁגְּחִיתָא דְּתַתָּא
בְּאִשְׁגְּחוּתָא דְּגַוְּוהִי דְּעִלָּאָה.

טו. בֵּיהּ תָּרִין נִיקְבִין דְּפַרְדְּשְׁקָא
וְאִתְעֲבִיד רוּחָא לְגוֹלָא.

טז. בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת
הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ שִׁתָּא
בְּרֵאשִׁית עִלָּוִיתוּ כְּלִילוּ לְתַתָּא.

§. 17. *Et dependet à septem (formis) eranii Dignitas Dignitatis.* [Id est Barba venerabilis senioris in tredecim partes distincta.]

17. וְתַלְיָין מִשְׁבְּעָה דְגוּלְגַּלְתָּא יְקִירוּ דְקִירוּתָא.

§. 18. *Et Terra secunda* [id est, Regnum mundi restituti, quod aliàs dicitur Uxor Microprosopi:] *non (venit) in computum* (cum creata dicuntur sex Membra. Vel aliter: Cum Gen. 1. v. 2. altera vice dicitur, *Et Terra:* non intelligitur Terra illa, cujus primò facta est mentio; quia per primam intelligitur Regnum mundi restituti, & per secundam regnum mundi destructi;) *& hoc* (alibi) *dictum est.*

18. וְאַרְעָא תִנְיָנָא לָאו בְּחִשְׁבָּן וְהָא אִתְּמַר.

§. 19. *Et ex illa, quæ maledictionem subiit, prodiit:* sicut scriptum est [Gen. 5. v. 29.] *de terra cui maledixit Dominus.* [sensus est, Regnum mundi restituti formatum fuisse è regno mundi Destructi, in quo septem Reges mortui & vasa eorum confracta fuerant. Vel: Explicatio terræ cujus altera vice fit mentio, prodit è regno mundi destructi.]

19. וּמֵהַהִיא דְאִתְלְטְיָא נְפַקָּא דִכְתִיב מִן הָאֲדָמָה אֲשֶׁר אֵרְרָהּ יְיָ.

§. 20. *Erat inanis & vacua, & tenebræ super faciem abyssi & spiritus Dei ferebatur super Aquas. Tredecim* [hæ voces, ab תֹּהוּ usq; ad הַמָּיִם, vel etiàm ut alibi dicitur, à primo Nomine Elohim usq; ad secundum,] *dependent à tredecim* (formis sive partibus) *Dignitatis Dignissimæ* [id est, Barbæ Macroprosopi.]

20. תֹּהוּ וָבֹהוּ וְחֹשֶׁךְ עַל פְּנֵי תְהוֹם וְרוּחַ אֱלֹקִים מְרַחֶפֶת עַל פְּנֵי הַמָּיִם וְגוֹ׳ תְּלַיסַר תַּלְיָין בְּתְלַיסַר יְקִירוּ דְקִירוּתָא.

§. 21. *Sex mille anni dependent à sex primis* [id est, illud quod dixerunt Sapientes, sex mille annos durabit mundus; &c. intelligendum de sex numerationibus Microprosopi, prout infra latiùs dicetur. Ansam autem huic meditationi dant sex voces sequentes: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי אוֹר וַיְהִי אוֹר & dixit Deus: fiat lux, & facta est Lux.]

21. שִׁתָּא אַלְפֵי שְׁנִין תַּלְיָין בְּשִׁתָּא קַרְמֵי.

§. 22. *Septimum* [millennium, & septimum metrum, nimirum Regnum, consistit] *super eo, quod vehementes est solum* [id est, cum gradus sex membrorum denotent miserationes & judicia, gradus septimus solo judicio & rigore nititur.] *Et desolatum est totum* [id est, Regnum in supernis est antitypus Sanctuarii, & sicut hoc destructum est, ita & Schechinah, seu Basilia illa exulat] *per duodecim horas* [Nam Hebræi totum hoc tempus exilii sui unius tantum diei spatio includunt.] *Sicut scriptum est: erat inanis & vacua &c.* [nam à voce, תֹּהוּ, usque ad פְּנֵי sunt duodecim voces.

22. שְׁבִיעָאָה עֲלֵיהּ דְאִתְסְקָף בְּלְחוֹדוֹי וְאִתְחֲרִיב כֻּלָּא בְּתֵרֵיסַר שְׁעָתִי דְכְתִיב הָיְתָה תֹּהוּ וָבֹהוּ וְגוֹ׳.

§. 23. *Decimum tertium,* [id est, metrum הַמָּיִם, aquarum, quæ est vox decima tertia] *erigetea* [id est, tam sanctuarium superum quam inferum] *per misericordiam;* [quia aqua denotat metrum benignitatis, per quod judicia & pœnæ mitigantur.] *& renovabuntur ut prius* [nam de novo sequuntur sex voces, ut ab initio commorantur sex membra:] *Persistunt enim omnia illa sex* [Microprosopi membra & non sunt ut Uxor ejus, & ab illis fiet restitutio:] *quia scriptum est* בָּרָא *creavit* [quod habet sensum permanentiæ:] *& deinde scriptum est:* הָיְתָה *erat* [quæ etiam est phrasis essendi & non intereundi:] *nam revera est;* [non planè periit regnum, quamvis sit inane & vacuum; sed adhuc essentiam habet.]

23. תְּלַיסַר וְקִים לֵיהּ בְּרַחֲמֵי וּמִתְחַדְּשָׁן בִּקְרָמֵיתָא וְקַמּוּ כָּל אִינּוּן שִׁתָּא בְּגִין דִּכְתִיב בָּרָא וְלִבְתַר כְּתִיב וַיְהִי דָּא הֲוָה וְדָא הֲוָה וְדַאי.

§. 24. *Et sub finem Inanitatis & vacui & tenebrarum* [id est, finito exilio locum habebit dictum illud Jes. 2. v. 11.] *Et exaltabitur Tetragrammaton solum in die illa.* [id est, tempore Messiæ.]

24. וְלִבְסוֹף תֹּהוּ וָבֹהוּ וְחֹשֶׁךְ וְנִשְׂגָּב יְיָ לְבַדּוֹ בְּיוֹם הַהוּא.

§. 25. *Sculptura* [autem] *sculpturarum* [sculptura est receptaculum, sicut quod exsculpitur, excavatur, ut cava receptacula alia. Receptacula ergò sunt inferiora omnia superiorum respectu; inter quæ ultimum locum habent Cortices, qui hic describuntur, quod sint] *sub specie serpentis longi extensi huc & illuc* [De hoc serpente sic loquitur Autor Vallis regiæ Tractatu de corticibus. Fragmenta Vasorum, quæ delapsa sunt in mundum Creationis, formationis & factionis, ibidem subsliterunt ab extra: illisque proxima sunt judicia, quæ vocantur profanum, & inter sanctum & inter immundum medio loco consistunt. Et à capite consistit Draco magnus, qui est in mari, & est serpens marinus, qui non tam noxius est ut terrenus. Et hic Draco castratus est, quia pinna ejus (seu membrum genitale) cum uxore ejus mitigata sunt, & exinde facti sunt 400. mundi desiderabiles. Et hic in capite suo habet foramen (ad instar Cetaceorum) ut accipiat influentiam, & in se continet omnes Dracones reliquos; de quibus dicitur: Confregisti capita Draconum super aquis Psal. 74. v. 13. Et intelligitur Idea seu forma Universalis omnium corticum, quæ septem inferiores Basiliæ emanativæ circundat ad instar serpentis, tam à dextra quam à sinistra & ex omni latere.]

25. גְּלוּפֵי דְגַלְיפִין בְּחֵיזוּ דְחִוְיָא אֲרִיךְ וּמִתְפַּשֵּׁט לְכָאן וּלְכָאן.

§. 26. *Cauda* [ipsi est] *in Capite:* [id est caudam oretenet, ut circulum formet, quia circundare dicitur sanctitatem.] *Caput post humeros transfert:* [id est, in tergum Uxoris Microprosopicæ, ubi locus judiciorum rigorosissimorum, caput suum convertit,] *& indignatur* [quoniam in ipso judiciorum & severitatum extremi-

26. זְנָבָא בְּרֵישָׁא וְרֵישָׁא אֲחוֹרָא אִכְתִּיף וְאָעֵבַר תְּעֵים מִשְׁתְּ וְנָטֵי חַד לְאֶלֶף יוֹמִין וְעִירִין אִתְנַלְיָיא

mitas, unde attributum ejus primarium est Ira.] *Observat* [id est, accuratè inquirit quonam loco aditum habere queat ad sanctitatem.] *& occultatur* [quasi insidias struens: quia inferioribus insidiatur, quibus peccantibus ipse accessum habet ad gradus sanctos, ubi eidem committuntur executiones judiciorum.] *uno de mille diebus brevibus manifestatur.* [Dies dicuntur Numerationes, & dies breves, numerationes mundorum inferiorum; inter quos Factivo tribuuntur decades, ob decem numerationes suas: Formativo hecatontades, quia numerationes ejus auctioris sunt luminis & è decadibus constant: Creativo autem chiliades, ob eandem rationem. Circa hunc autem potissimum locum habet Draco iste, unde si in una saltem Numeratione istius systematis defectus contingat, ob culpam inferiorum, hic manifestatur, accusationesque coram throno gloriæ instituit.]

§. 27. *Gibbi sunt in squamis ejus* [id est, sicut in Crocodilo; quia magnus in ipso est judiciorum cumulus.] *pinna sortem habet propriam* [id est genitalia ipsi præcisa sunt, non amplius est in eo vis pergendi ad ulteriora.]

27. קִילְטָרָא בְּקַשְׂפּוֹהִי סַנְפִּירָא בְּעַרְבּוּי.

§. 28. *Confringitur* (autem) *caput ejus per aquas Maris magni.* [Mare magnum est Sapientia, fons misericordiæ & Benignitatis; quæ si influxum suum demittit, judicia sedantur & corticibus infringitur vis nocendi.] *sicut scriptum est* [Psal.74. v.13.] *Confregisti capita Draconum per Aquas.*

28. אִתְּבַר רֵישׁוֹהִי בְּמַיִן דְּיַמָּא רַבָּא דְּכְתִיב שְׁבַרְתָּ רָאשֵׁי תַנִּינִם עַל הַמָּיִם.

§. 29. Duo fuerunt [Mas & fœmina, unde textus Psalmi loquitur de Draconibus in plurali: ubi autem pluralis numerus ponitur ad minimum, intelliguntur duo.] *In unum redacti sunt:* [fœmina enim Leviathanis occisa est, ne judicia prolificare queant.] *Unde vox* תנינם [in loco allegato Psalmi] *defectivè scripta est;* [ad denotandam restrictiorem istam.]

29. תַּרְיִן הֲווֹ חַד אִתְחֲזִרוּ תַנִּינִם כְּתִיב חָסֵר.

§. 30. [Dicitur autem] *Capita* [in numero plurali, ad denotandam ingentem multitudinem tam specierum, quam individuorum in isto genere:] *sicut scriptum est:* [Jechesk.1.v.22.] *Et similitudo super Capita Animalis, firmamentum.* [Ubi etiam animal in singulari ponitur ut genus Angelorum; & capita in plurali, ad denotandas species & individua innumera.]

30. רֵאשֵׁי כְּדָא וְדִמּוּת עַל רֵאשֵׁי חַיָּתָא רְקִיעָא.

§. 31. *Et dixit Deus; fiat Lux; & facta est Lux. Sensus* (peti potest ex illo Psal.33.v.9.) *ubi scriptum est: Quoniam Ipse dixit: & factum est.* [Primo ergò commemoratur] *gradus* והוה [id est Mater intelligendi, quæ vocatur אלהים, juxta initium versiculi: Et dixit Elohim, eadem quoque vocatur והוה in dicto Psal.33.v.9. ob naturam suam valde occultam.] *Solus* [tam à Mose, quam à Davide.] *Et vox* ויהי *& facta est* [etiam] *sola.* [quasi scilicet sex membra separatim considerarentur, dum ו in ויהי primum locum occupat.

31. וַאֲמַר אֱלֹהִים יְהִי אוֹר וַיְהִי אוֹר הַיְינוּ דִּכְתִיב כִּי הוּא אָמַר וַיְהִי הוּא בְּלַחְדּוֹהִי וַיְהִי.

§. 32. *Deinde* [literæ] *invertuntur*, [& sunt] *unum:* [si nempe in voce ויהי, literæ Jod & He præmittantur ut legatur יהיו unum fit Tetragrammaton quod totam divinitatem exhaurit. Quia autem hæ pertinent ad Matrem, à qua oriuntur judicia, hinc Tetragrammaton hoc hic scribitur retrogradando, quod à Cabbalistis ad judicia refertur; ob naturam posteriorum; unde poni debuisset hoc modo: יהיו. יהי. יוי. יו. Sed quia in gradu Intelligentiæ non ipsa judicia extant, sed tantum illorum radices; in sese autem Gradus hic mera est clementia, hinc retrogradatio invertitur, ut nomen integrum statim primò locetur hoc modo:] יוי. יהי. יהיו. [non autem scribitur modo ordinario יהוה: quia de voce ויהי sermo est, cujus metathesis hic discutitur. Et nihilominus litera] *ultima* [nimirum Jod, quod loco He ultimi ponitur, denotat] *Schechinam* [seu præsentiam Basilicam] *inferiorem* [id est, gradum Regni:] *sicut* [alias] *litera He Scechechinah* [esse] *reperitur.*

32. לְבָתַר אִתְחֲזִרוּ חַד יוֹ"ד יְהוֹ"ן יְהִי בְּתַרְאֵי שְׁכִינְתָא לְתַתָּאָה כְּמָה דְּאָא שְׁכִינְתָא אִשְׁתְּכַח.

§. 33. *Sed in una bilance ponderantur.* [Bilanx denotat marem & fœminam: & sensus est literas Jod & He, quarum illa est masculina & refertur ad gradum fundamenti; & hæ fœminina ad Basiliam pertinens, esse permutabiles; quia dum ponderatio id est, cõmunicatio fit, pro uno habẽtur subjecto conjuges. Adde quod Basilia etiam vocetur אדני, in quo litera Jod agmen claudit: propter quam eadem quoque vocati solet Sapientia inferior.] *Et animalia currunt & redeunt.* [i.e. quod Jechesk.1.14. dicitur de animalibus, id dici solet de literis Tetragrammati, quæ modo ultimum locũ habent, modo primum; ut Jod aliquando excurrit usque ad graduum finem; aliquando redit, usque ad graduum initium: & sic quoque He. Vel etiam tunc animalia dicuntur currere, cùm Tetragrammaton scribitur per He ultimum, quia tunc totum systema emanativum exhauritur. Reverti autem dicuntur, cùm Tetragrammaton scribitur per Jod in fine, ita ut sensus redire cogatur à gradu ultimo Basiliæ, in penultimum fundamenti, quod designatur per hanc literam Jod.]

33. וּבְחַד מֵתְקְלָא אִתְקְלוּ וְחַיָּוָתָא רָצוֹא וְשׁוֹב.

§. 34. *Sicut scriptum est: & vidit Deus lucem, quod bona.* [Hic rationem adducit ex ipso textu proposito, quomodo litera ultima hujus Tetragrammati nimirum Jod, designare queat uxorem: quia nempe Deus ipse in luce viderit gradum fundamenti copulantis, quem indigitat vox boni: ubi autem fundamentum in actu copulandi, id est, sub notione boni communicantis, ibi uxor. Quod autem Vox *boni* denotet

34. מִדְּכְתִיב וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת הָאוֹר כִּי טוֹב אָמְרִי צַדִּיק כִּי טוֹב דְּאִי בְּמַתְקְלָא סַלְקָא.

fundamentum, probatur ex Jeschaj. 3. v. 10. ubi dicitur:] *Dicite justo* [id est, gradui fundamenti, quia justus dicitur fundamentum mundi Prov. 10. v. 25.] *quod bonus sit. Ergo in aquilibrium ascendunt* [id est, unum. & idem designant duæ hæ literæ Jod & He. Vel aliter: Ecce autem, quomodo in bilancem ascendant literæ Tetragrammaticæ, id est, quomodo in copulas concurrant eæ, quæ antea stabant separatæ in voce יְהוָה.]

§. 35. [Maritus Microprosopus dum] *primus* [erat] *solus* [stabat: dum litera Vav primum occuparet locum, tunc separatus erat ab uxore sua.] *Sed omnia in unum redibant* [id est, non tantum Pater & mater in copula erant, quia duæ literæ Jod & He combinatæ erant: Sed & Microprosopus ad uxorem accedebat, dum Vav reponitur ad Jod in Tetragrammato יהוה. Nam] *Vav descendit* [cùm in voce ויהי & facta est, occuparet locum primum; in metathesi proposita, descendebat in locum tertium, ut esset יהיו; [*Et cognitum se reddit* [id est, applicat sese ad actum maritalem influxivum, erga literam Jod, quæ est uxor ejus.] *Annectuntur sibi invicem* [mas & fœmina, Vav & Jod, Gradus pulcher & Basilia] *penes Jod & He* [quibus denotatur Sapientia & Informatio, Pater & mater] *sicut duo amantes, qui sese amplectuntur* [per duos amantes intelligi possunt vel Vav & Jod tantùm; id est, par ultimum: vel simul etiam Jod & He, id est, par primum]

§. 36. [Jam pergit ad ulteriorem explicationem duarum harum literarum Jod & Vav & de Vav inquit:] *Sex* (membra) *prodeunt de surculo radicis corporis.* [Corpus est Microprosopus: radix corporis est Mater, quæ designatur per literam He: surculus radicis est litera ו intra literam ה inclusa & delitescens: & de isto surculo, prodierunt sex membra, id est, litera Vav integra, jam caput nacta.]

§. 37. *Lingua loquitur grandia* [juxta Dan. 7. v. 8. Et per linguam intelligitur membrum fundamenti, nempe litera Jod cum uxore copulata: loquela est influxus maritalis progeneratus ab uxore: Basilia enim vocatur Verbum: grandia autem sive magnalia, sunt producta inferiora omnium graduum.]

§. 38. *Lingua hæc* [etiam] *occultata est inter Jod & He.* [Nam & Pater & mater per membrum fundamentale in perpetua sunt copula, sed abditissima: Sub mysterio Daath sive cognitionis.]

§. 39. *Quia scriptum est*] Jesch. 44. v. 5.] *Iste dicet Tetragrammato Ego.* [Vocula אני Ego, quando sermo est de judiciis, pertinet ad Basiliam. Sed quando misericordia innuitur ad Intelligentiã referuntur: sicut hoc loco. Ut sensus sit: Gradus supern[us]

qui

qui Ego dicitur sive Intelligentia in actu copulę cum Patre est pro Tetragrammato efformando: & hæc est copula una inter Patrem & matrem pro constitutione sex membrorum.] *& iste vocabit nomine Jacobum*: [vocare nomine est conservare; & innuitur copula altera Patris & matris pro cõservando Microprosopo, qui vocatur Jaacobh.] *& iste scribet manu sua: Domini sum.* [Scribere pertinet ad Legem scriptam seu gradum pulchrum; & idem est ac influere: manu sua, בידו, per metathesin est ביהו per Jod, id est, per fundamentum: ut sensus sit, efficiet influxu suo, ut Tetragrammaton scribatur per Jod, ut diximus supra.] *& nomine Israëlis cognominabit se. Cognominabit revera.* [Nam proprius conceptus Microprosopi est sub nomine Jacobi, cujus uxor est Rachel: & cognomen quasi ipsius est Israël, cujus uxor est Leah.]

§. 40. *Iste dicet; Domini Ego: descendit.* [id est: Conceptus iste Vocis Ego, qui aliàs tribuitur Matri supernæ, quatenus in illa concurrunt tres literæ vocis אני nempe א id est Corona summa: נ id est ipsa Intelligentia quinquaginta portis celebris. & י id est fundamentum vel cognitio Patris: hoc loco tribuitur gradui infimo Matris inferioris, quę jam est אני sine Daleth, sive paupertate, sed repleta influxu &.] *& omnia dicuntur* [id est, hæc omnia applicanda sunt ad יהו, de quo nobis sermo est.] *omnia cohærent per linguam occultatam in matre.* [id est, per Daath sive cognitionem, per quam copulatur Sapientia cum intelligentia, & gradus pulcher cum uxore Basilia: & ipsa est notio occulta, cui anima pervadens totam emanationem.] *Quoniam hæc aperitur ei, qui prodit ab ipsa.* [id est, Daath est ipse gradus pulcher, sed quoad interiora sua, quo referri solet Moses: & iste gradus latet intra Matrem, estque medium copulæ ejus. Sed quando consideratur quoad exteriora, quatenus egressus est è matre, tunc vocatur Jacob.]

§. 41. [Et hucusque disseruit de toto Nomine, & omnibus quatuor ejus literis, יהוה. Jam sese convertit ad alteram quadraturæ partem, nempe והי & dicit:] *Pater residet in principio* [Id est, litera Jod, quæ est symbolum Sapientiæ & Patris in ista parte tenet primum locum, sicut in toto systemate: quoniam Corona nimis occultata est, & tantùm comparatur cum summo apice literæ Jod.] *Mater in medio*: [nam litera ה, quæ est nota Intelligentiæ informatricis & Matris supernæ, inter Jod & Vav medium tenet, prout in supernis à Patre comprehenditur desuper, & à Microprosopo, qui est filius ejus, vestitur deorsum, in quo ipsa sese demittit usque ad gradum Hod sive gloriæ.] *& contegitur hinc & illinc.* [à duobus masculis, Patre & filio.] *Velli, qui revelat nuditates eorum.* [quoniam fieri potest per peccata inferiorum, ut Microprosopus influxum hunc amittat, per quem tantarum est virium, ut superinvestire queat Matrem; nam ista confectio est receptio influxus superni & capacitas

eundem demittendi ad inferiora: quod fieri non potest si mater denudetur & à Microprosopo divellatur, sicut faciebant Israëlitæ, cùm committerent peccatum vituli.]

§. 42. *Et dixit Deus, fiant* מארת *Luminaria in firmamento cœli.* [Nunc pergit ad tertiam partem istius quadraturæ, nimirum ad duas has literas יה. Per luminaria autem intelliguntur Sol & Luna; gradus pulcher & Regnum sive uxor ejus. Adeoque Sensus est hic: quamvis communiter per duas has literas intelligi soleant Pater & Mater, seu Sapientia & informatio; tamè in ista parte Luminaria superna deficiant, sicut vox מארת defectivè scripta est; & sensus applicandus est ad firmamentum cœli, id est, ad fundamentum, extensum & paratum ad copulam maritalem; nam maritus vocatur cœlum; & membrum fœderis est firmamentum; sicut ergò duo gradus postremi in Nomine integro יהוה designabantur per literas Vav & Jod: ita iidem in hac quadraturæ parte designantur per literas Jod & He.] *Maritus deminuit habet in uxorem* [quia non per Vav scribitur, sed per Jod, quæ est nota membri fœderis, adeoque denotat actualem copulam cum fœmina:] *sicut scriptum est:* [Prov. 10. v. 25.] *& Justus fundamentum mundi est.* [hoc dicto illustrat sententiam suam; quod nempe per literam Jod intelligatur membrum fundamentale, per quod conservatur mundus in esse.]

42. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי מְאֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהַבְדִּיל בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה וְהָיוּ לְאֹתֹת וּלְמוֹעֲדִים וּלְיָמִים וְשָׁנִים׃

§. 43. *Jod ergo irradiat duo,* [id est, Litera Jod in hac Tetragrammati quadratura duplicem habet influendi sensum, primò quatenus significat Patrem, qui illuminat matrem: & secundò quatenus significat Microprosopum seu potius ejusdem fœdus, quod illuminat Regnum.] *Et* [Iterum alio modo] *splendet* [id est, & tertiam quoque habet significationem, dum scilicet in Nomine integro constituit literam ultimam] *& transit in fœminam.* [id est, & denotat uxorem Microprosopi, ut supra declaratum est, quia ponitur loco He ultimi: sicut etiam eandem significandi vim habet in connexione Nominum essendi & dominandi hoc modo יֶאֱהֶה וּמָהִי.]

43. וְהָיוּ לִמְאוֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם וְהָאִירוּ עַל הָאָרֶץ וַיְהִי כֵן׃

§. 44. Jam sese convertit ad ultimam illius quadraturæ partem, quæ est Jod solitarium; hoc modo, י, & dicit:] *Unicum manet Jod & solum* [ut denotetur omnia effluxisse ex unica litera Jod, quæ est puncti instar, trium tamen partium, de quibus alibi; hoc loco tamen solam fœminam denotans, sive Regnum, in quo continentur omnia superna.]

44. אַתְיָחֵד יוֹד בִּלְחוֹדוֹי׃

§. 45. *Et deinde* [si jam Tetragrammaton non consideratur juxta modo tradita, sed hoc modo instituendo quadraturam יהי · יהי · יהי tunc Jod quidem etiam est solitarium; sed sensu plane contrario.

45. וְעָבַד בֵּן סִלּוּק בְּרַעֲוָא לְעֵילָּא אִתְחַשְׁכָא נוּקְבָא׃

trario. Nam] *ascendit in gradum suum sursum, sursum* [id est, sensum recipit non proximè superiorem, ut denotetur gradus pulcher vel fundamentum ejus; sed summum, id est, Patrem, sive Sapientiam.] *Obscuratur fœmina* [id est, hoc modo, sensus prior, quo denotabat uxorem Microprosopi tanquam litera Tetragrammati supradicti ultima, in ipso cessat.]

§. 46. *Et illuminatur Mater;* [id est, in altera parte Tetragrammati retrogradantis ordinarii, quæ constat literis יהה, ad literam Jod, quæ habet significationem Patris, accedit litera He, quæ est Mater, & quia duæ hæ solæ combinantur, hinc denotatur influentia illa luminosa, qua Intelligentia imbuitur à Sapientia superna] *& aperitur in portis suis.* [i. e. si duæ hæ literæ in se invicem ducantur, tunc è denario quinquies sumto oritur quinquagenarius; quo denotantur quinquaginta portæ Intelligentiæ: hæ dicuntur aperiri, quia litera He est ultima & nuda, non clausa à litera quadam succedanea alia.

46. וְאִתְנְהִירַת אִימָא וְאִתְפַּתְחָא בְּתְרָעוֹי׃

§. 47. *Accedit clavis, quæ continet sex, & claudit portam ejus.* [Id est, in tertia parte retrogradationis hujus, quæ est יהה, litera He non amplius ultima est; sed latus ejus claudit litera ו tertia Tetragrammati; qua denotantur sex membra Microprosopi, superinvestientia sex membra matris, ita ut porta ejus ultima, quæ est gradus Gloriæ; una cum reliquis quæ sunt Benignitas, Severitas, Pulchritudo, Superatio; singulæ constantes è Decade; claudatur & cooperiatur.

47. אָתָא מַפְתְּחָא וְכָלִיל בְּשִׁית וְכַסְיָא פִּתְחָהָא׃

§. 48. *Et applicatur ad infera,* [vel ut alii legunt, ad hoc latus] *& ad illud.* [Jam sermo est de quarta quadraturæ parte, ubi nomen est integrum, sive per ת sive per ה scriptum in ultimo gradu: ut nimirum & uxor Microprosopi accedat. Utrinque ergo nexum habet Microprosopus dum Matrem è parte superna superinvestit ut illam in se recipiat tanquam animam suam: & dum ab uxore è parte inferiore iterum vestitur, ita utipse fiat anima hujus.]

48. וְאָחִיד לְתַתָּא לְתַתָּאי [לְתַתָּאי alii legunt]

§. 49. *Vasilli, qui aperit portam ejus.* [Portæ dicuntur gradus, per quos influentia prodit: illi dicuntur claudi, quia influentia aliàs nimia ab inferioribus non posset capi; quare membra membris dicuntur superinduci ut lumen diminuatur transitu suo. Dum autem divelluntur per peccata inferiorum istæ concatenationes & luminum cohibitiones, nullus sanè mundo advenire potest influxus.]

49. וַוי לְמַאן דְּגָלֵי פִּתְחָהָא׃

Cap. II.

פִּרְקָא תִּנְיָינָא׃

§. 1. *Barba veritatis.* [Id est, jam sequitur descri-

1. דִּיקְנָא מְהֵימְנִיתָא׃

descriptio Barbæ Macroprosopi, & tredecim ejus partium, quæ in Idra magna latissimè describuntur. vide infra §.160.191.]

§. 2. *Barba non fatua est mentio.* [Hanc correcturam, ut inseratur vox דקנא habet codex correctus Mantuanus. Sensus est, Salomonem in Cantico Canticorum mentionem quidem facere omnium membrorum, non autem Barbæ.] *quia hæc est ornatus omnium.* [Ornatus dicitur id, quod contegit aliud; prout vestis qua corpus ornatur, istud contegit. Barba hæc autem contegit, non tantum Macroprosopum sed & Patrem & Matrem & descendit usque ad Microprosopum. Unde ob communicationem lucis tam copiosæ præ magna reverentia silentii peplo & ipsa involuta fuit.]

2. דְּקָנָא לָא אִדְכַּר בְּגִין דְּהִיא תְּיוּבְתָּא דְּכֻלָּא.

§. 3. *Ab auribus procedit penes ambitum apertura: ascendit & descendit filum album. In tredecim distribuitur in ornatum.* [Horum omnium explicationem vide infra §.

3. מֵאֻדְנִין נָפְקָא בְּסִחְרָנֵהּ דְּסוֹמָקָא סְלִיק וְנָחִית חוּטָא חִוָּרָא בְּתַלְיסַר בְּעִזְקָא.

§. 4. *De ornatu isto scriptum est* [Jer.2.v.6.] *Non transiit in eâ mas; nec habitavit homo ibi. Homo extrinsecus* [est:] *Homo non includitur ibi; multò minus mas.*

4. בְּעִזְקוּתָא דְּהַהִיא כְּתִיב לֹא עָבַר בָּהּ אִישׁ וְלֹא יָשַׁב אָדָם שָׁם אָדָם לְגַו הוּא אָדָם לָא כְּלִיל דְּכָא כָּשׁ אִישׁ.

§. 5. *Per tredecim scaturigines fontes distribuuntur:* [quibus influxus fit in Microprosopum & inferiora vide] *Quatuor separatim adjunguntur: novem verò potant corpus* [vel ut alii legunt, monente codice correcto Mantuano, *rigant hortum*; id est Microprosopum, vide

5. בְּתַלְיסַר נְבִיעִין מִתְּפְרְשִׁין אַרְבַּע בְּלְחוֹדוֹי אִסְתַּמְכֵי תִּשְׁעָה אִשְׁקְיוּן לְגִנְּתָא (לְגִינְתָא.)

6. §. *Ante portam aurium incipit ornatus formari.*

6. מִקַּמֵּי פִּתְחָא דְּאֻדְנִין שָׁרֵי יְקִירוּ לְאִתְתַּקָּנָא.

§. 7. *Descendit in pulchritudine in principium Labiorum; ab hoc principio in illud principium.*

7. נָחִית בְּשִׁפְיוּרֵי בְּרִישָׁא דְּשִׂפְוָון מֵהַאי רֵישָׁא לְהַאי רֵישָׁא.

§. 8. *Existit semita, quæ exit sub duobus foraminibus Meniani, ut transire queat peccatum: sicut scriptum est.* [Prov.19.v.11.] *Et decus ejus præterire iniquitatem.*

8. אָקִים אֹרְחָא דְּנָפִיק תְּחוֹת תְּרֵין נִקְבִין דְּפַרְשְׁקָא לְאַעְבָרָא חוֹבָא דִּכְתִיב וְתִפְאַרְתּוֹ עֲבוֹר עַל פָּשַׁע.

§. 9. *Sub labiis ambit pilus in principium alterum.*

9. תְּחוֹת שִׂפְוָון אַסְחַר שַׂעֲרָא לְרֵישָׁא אָחֳרָא.

§. 10.

§. 10. *Semita alia procedit sub illa.*

10. אֹרְחָא אָחֳרָא נָפִיק תְּחוֹתוֹי.

§. 11. *Tegit areolas aromatum ad initium quod supra* [est.]

11. חָפֵי תַּקְרוּבְתָּא דְּבוֹסְמָא לְרֵישָׁא דִּלְעֵילָּא.

§. 12. *Duo poma videntur ad illuminandum luternas.*

12. תְּרֵין תַּפּוּחִין אִתְחָזָן לְאַנְהָרָא בְּצִינִין.

§. 13. *Influentia omnium dependet usque in præcordia:* in ea pendent superiora & inferiora.

13. מְזָנָא דְּכֻלָּא תָּלְיָה עַד לִבָּא בֵּיהּ תָּלְיָין עִלָּאִין וְתַתָּאִין.

§. 14. *Inter illos* [pilos] *qui dependent, non promicat unus præ altero.*

14. אִינִין דְּתָלְיָין לָא נָפְקִין דָּא מִן דָּא.

§. 15. *Minores tegunt guttur ornatus: majores redduntur in proportionem perfectissimam.*

15. חָפְיָין זְעִירִין עַל גָּרוֹנָא וְיַקִּירָא רַבְרְבִין מִתְּשַׁעְרִין בְּשִׁיעוּרָא שָׁלִים.

§. 16. *Labia vacua sunt ex omni parte. Beatus ille, qui particeps sit illorum osculorum.*

16. שִׂפְוָון אִתְפַּנְיָן מִכָּל כְּטַרְיָן וְכָאָה לְמַאן דְּנָשִׁיק מֵאִינִין נְשִׁיקִין.

§. 17. *In ista influentia omnium, demanant tredecim chrismata balsami purissimi.*

17. בְּהַהִיא מְזָנָא דִּכְלָא נְגִדִין תַּלְיסַר מְשִׁיחִין דְּאַפְרְסְמוֹנָא דַּכְיָא.

§. 18. *Omnia in hac influentia extant, & occultantur.*

18. כֹּלָּא בְּהַאי מְזָנָא שְׁכִיחַ וְסָתִים.

§. 19. *Illo tempore cum appropinquat mensis* [sic legitur in Codice correcto Mantuano] *septimus, inveniuntur menses isti tredecim* [nam in codice sæpe dicto correcto, vox hæc תריסר sive duodecim expuncta est: quasi denotetur tunc esse annum embolimæum qui constat tredecim mensibus, juxta numerum tredecim istarum influentiæ partium.] *in mundo superno: & aperiuntur tredecim portæ miserationum. Illo tempore* [quo præcipuè innuitur dies expiationum; juxta illud Jesch.55.v.6.] *quærite Dominum dum inveniri potest.*

19. בּוּכְמָא דְּסַמְיָא יַרְחָא שְׁבִיעָאָה מִשְׁתַּכְחִי אִלֵּין תְּרֵיסַר (סְ֗א תַּלְיסַר) בְּעָלְמָא עִלָּאָה וּמִתְפַּתְחֵי תְּרֵיסַר (סְ֗א תְּלִיסַר) תַּרְעֵי דְּרַחֲמֵי בְּהַהִיא זִמְנָא דִּכְתִיב דִּרְשׁוּ יְיָ֗ בְּהִמָּצְאוֹ.

§. 20. *Scriptum est:* [Gen.1.v.11.] *& dixit Deus: germinet terra germen:* [fiat] *herba seminificans semen.* [si hîc inseratur ויהי fiat, fiunt novem voces:] *hoc est illud, quod scriptum est* [Lev.16. v.31.] *& humiliate corpora vestra in nono mensis*

20. כְּתִיב וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע וְגוֹ׳ הַיְינוּ דִּכְתִיב וְעִנִּיתֶם אֶרֶת

vesperi.

vesperi. [Hoc intelligendum est de] *illo tempore* [de quo supra diximus, quod in eo quærendus sit Dominus.]

§. 21. In loco Deut. 3. v. 24. ubi dicitur: *Adonai Jehovih, tu incepisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam. Nomen Tetragrammaton* יהוה *perfectè scriptum extat in literibus suis* [ita ut Nomen Adonai denotet He inferius ab uno latere; & puncta Nominis Elohim denotent He superius ab altero latere.]

§. 22. *Sed hic in ista progerminatione terræ non* (est) *perfectum:* [quoniam] יהי *[fiat herba,] non scriptum est;* [sed tantùm] *legimus* [ita Et ipsæ quoque hæ literæ Nomen non repræsentant perfectum.]

§. 23. [Sed in illa nobis repræsentatur] *Jod superum* [idest nota misericordiæ supernæ, quæ est senior ille sanctissimus, prout Codex correctus Mantuanus etiam ad marginem annotat: &] *Jod inferum.* [id est, nota misericordiæ inferioris, quæ est Microprosopus cum influxum habet à Macroprosopo. Quæ duo Jodin etiam repræsentantur in dicto illo Gen. 2. v. 7.] ויצר יהוה *& formavit* [Dominus &c. ubi etiam extat] *Jod superum. & Jod inferum.*

§. 24. [Sed in] יהי [præter] *superum & inferum* [etiam extat] *He in medio amborum,* [tanquam] *connexio perfectionis* [per quam derivatur influxus à Macroprosopo in Microprosopum.]

§. 25. [Quare] *Perfectum* [quidem est nomen hoc, citra divulsionem:] *sed non versus omne latius:* [quia uxoris Microprosopicæ nullum in eo est symbolum.] *Evulsum* [ergo] *est ex hoc loco nomen hoc* [i. e. præterquam quod omissa est hæc vox יהי] *& plantatum in alio.* [i. e. literæ istæ aliam quoque significationem acceperunt de gradibus inferioribus.]

§. 26. [Nam] *scriptum est* [Gen. 2. v. 8. *Et plantavit Dominus Deus Elohim:* [Ubi intelligitur] *He illud, quod est inter duo Jodin vocis* יהי: [quod in supernis est] *flatus nasi Seniorii in Microprosopum* [de quo infra pluribus In Idra magna §. 175. Nam hic] *sine spiritu non subsistit.*

נִפְשׁוֹתֵיכֶם בְּתִשְׁעָה לַחֹדֶשׁ בָּעֶרֶב׃ בְּרֹאשׁ זְמַנָּא׃

21. אֲדֹנָי יְהוִה אַתָּה הַחִלּוֹתָ לְהַרְאוֹת אֶת עַבְדְּךָ אֶת גָּדְלְךָ יה וה שְׁלִים בְּסִטְרוֹי׃

22. וְהָבֶל בְּרֵחִישׁוּתָא דְּלָא אִתְעֲבִיד יְהִי לָא כְּתִיב מִתַּמָּן׃

23. יוד עִלָּאָה יוד תַּתָּאָה׃ וְיָצַר יְ עִלָּאָה יְ תַּתָּאָה׃

24. יְהִי עִלָּאָה וְתַתָּאָה דְּ בְּגַוָּוהִי כְּלָא דְּשַׁלִּימוּ׃

25. שְׁלִים וְלָא לְכָל סְטַר אִתְעֲבִיד מֵהָאִי אִתַּר שְׁבָא דְּלָא וְאִשְׁתְּיִיל בְּאָחֳרָא׃

26. כְּתִיב וַיִּטַּע יְיָ אֱלֹהִים ה בְּגַן יוֹד לְיוֹד דִּיהֵי נְשָׁבָא דְּפַרְדֵּשְׁקָא דְּעִתִּיקָא לְאִתְעֲרָא דְּאִתְפְּנֵי בְּלָא חִוָּרָא לָא אִתְקְיֵים׃

§. 27.

§. 27. *Per* He (igitur) *perficitur:* [tam ratione Matris, quæ ipsius; quam ratione Uxoris, cujus ipse est anima.] *He* [enim aliud est] *superius* [primum nempe Tetragrammati Intelligentiam designans; & aliud est] *He inferius* [nempe Basilian & Uxorem denotans.]

§. 28. *Sicut scriptum est* [Jer. 32. v. 17.] *Ah ah Domine Jehovih &c. ubi est cohæsio connexionum:* [id est, in voce אדה combinantur duo illa Hehin, quæ aliàs sunt media connectendi gradus.] *Per spiritum* (enim fit) *connexio ponderatorum* [id est, conjugum: tam Patris & Matris; quam Microprosopi & Uxoris.

§. 29 [Jam ad gradus inferiores descendit, omisso Macroprosopo; & examinat Nomen] יהוה. [In hoc repræsentantur Pater & mater atque Microprosopus. Et primò occurrit] *Jod superum* [Patris symbolum] *quod coronatur Corona Seniorii.* [id est, cujus summus apex denotat Coronam summam sive Macroprosopum. Veljuxta aliam Lectionem: quod circundatur aporthæa, id est, influentia sive Barba Macroprosopi, quæ Patrem & matrem, superintegit.] *est munyux superna, quæ præ claritate fulget & clausa est.* [De hac pluribus videatur Idra magna §. 58. & in commentario §. 48.]

§. 30. *He supernum* [deinde se offert] *quod circundatur spiritu fenestrarum Meniani* [sive natium Macroprosopi] *qui procedit ut vivificet.*

§. 31. *Vav supernum lucerna fulgentissima* (quæ est initium judiciorum quatenus nimirum Microprosopus adhuc est in matre, vid. Apparatum in Sohar Part. p. 577.] *quæ circundatur latere suo* [vel ut alii legunt, corona sua, id est, Matre.]

§. 32. *Postmodum extenduntur literæ* [ut Nomen hoc plenè scribatur hoc modo יוד. הה. וו. הה. quæ forma, cùm integra est, vocari solet בן, quia numerus ejus est 72.] *& comprehenduntur in Microprosopo* [quatenus simul complectitur uxorem.]

§. 33. *Cùm incipit* [forma hæc] *in cranio invenientur* [hæ literæ, ibique distribuuntur in summitate Macroprosopi.]

27. בְּהֵא אִשְׁתְּכְלַל הֵ עִלָּאָה הֵא תַּתָּאָה׃

28. רִכְתִּיב אֲדֹנָי אֱלֹהִים בְּקִיטְפִּין דְּקִטְפִּין בְּרִיחָא צְרִירָא דְּמִתְחַקְּלִין׃

29. יהוה יְ עִלָּאָה דְּאִתְעַטַּר בְּקִטְרָא (סְא בְּעִטְרָא) דְּעַתִּיקָא הֵיא קְרוֹמָא עִלָּאָה דְּאִזְדַּכַּךְ וְסָתִים׃

30. הֵא צְלָאָה דְּאִתְעַטַּר בְּרִיחָא דְּנִקְבִין דְּפַרְדַּשְׁקָא דְּנָפִיק לְאַחֲיָיא׃

31. וָ עִלָּאָה בְּגִינָּא דְּקַרְדִּינוּתָא דְּאִתְעַטַּר בְּסִטְרוֹי (סְא בְּעִטְרוֹי)׃

32. מִתְפַּשְׁטִין אַתְוָון לְבָתַר וְאִתְכְּלִלוּ בְּזָעִירָא דְּאִתְפְּנֵי׃

33. כְּמָה דְּשַׁרְיָא בְּגוּלְגַּלְתָּא אִשְׁתְּכְחוּ׃

§.34. [Deinde] *extenduntur per totum corpus* [à Benignitate incipiendo:] *ad fundandum omnia* [inferiora; tanquam anima.]

34. מִתְפַּשְׁטִין בְּכֹל גּוּפָא לְאַשְׁרָאָה כֹּלָּא.

§.35. *Cùm in lana munda pendet* [id est, cùm capillus albus Senis sanctissimi lumina sive nomina demittit:] *dependent ista litera.* [id est, virtute harum illuminatio fit.]

35. בְּעִמְרָא נְקִי כַּד תְּלֵי תַּלְיָין אִלֵּין אַתְוָון.

§.36. *Cùm manifestatur Microprosopo,* [Macroprosopus:] *in hoc residunt istæ literæ* [ceu lumina aucta.] *& denominatur per illas.*

36. כַּד אִתְגְּלֵי לְזְעֵיר אַתְּיָין אִלֵּין אַתְוָון וְאִתְקְרֵי בְּהוֹן.

§.37. יוֹד *Senioris occultatur in genere suo* [id est: Pater, qui per Jod intelligi solet, nec non & ipse Senex vocatur, à barba Macroprosopi superintegitur: Vel aliter. Pro eo, quod reliquæ duæ partes literas suas expressè duplicent, e.g. דָּלֶת, & וָו; Jod duplicaturam hanc sui generis non expressè præ se fert; sed tectè & solo numero.] *quia nomen non reperitur*: [id est, quia si poneretur יוד; non posset pronunciari ut Jod: ideò scribitur יוֹד.]

37. יוד רְעֵיתָא סְתִים בְּסִטְרוֹי בְּגִין שְׁמָא לָא אִשְׁתְּכַח.

§.38. הֵא *aperitur per aliud* [He, ut scribatur הֵא scriptura aperta & plena; prout aliàs etiam scribi solet הֵי; item הָא; illud in nomine עֵב, hoc in nomine מָה.] *& symbolo fœminintatis notat duas fœminas* [Matrem nempe superam & inferam; intelligentiam & regnum.] *Et invenitur per formas.* [id est, quando Barba Macroprosopi & formæ sive partes ejus lumen suum demittunt in Microprosopum, tunc in hoc uxor ipsius in lucem prodit, & He extenditur per aliud He inferum.]

38. הֵא אִתְפְּתַח בְּאוֹתָיו וְאִינּוּן בְּתַרְיִן זִוּוּגִין וְאִשְׁתְּכַח בְּתִקּוּנוֹי.

§.39. *Vav aperitur per aliud* [Vav, ut scribatur וָו: nam sicut aliàs scribi solet per ו in nomine עֵב hoc modo וּי, & per א in Nomine סג & מה hoc modo וֹאו. Ita in Nomine בן scribitur hoc modo, וֹאו. Aperiri enim est plenè scribi.] *Sicut scriptum est* [Cant. 7. v. 9.] *Abiens ad dilectum meum secundum rectitudines* [ubi per rectitudines intelliguntur duæ hæ literæ וו in rectum protensæ.]

39. וָו אִתְפְּתַח בְּאוֹתָיו דִּכְתִיב הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים.

§.40. *In lucerna fulgidissima* [invenitur, i.e. in Microprosopo quatenus in minorennitate mera judicia in se habet:] *ad contegendam pertam* [id est, ut possit extendi ad statum adolescentiæ & superinvestire matrem, quæ denominatur à quinquaginta portis.]

40. בִּבְצִינָא דְּקַרְדִּינוּתָא לְמִכְסֵי פַּרְתָּא.

§.41. [De-

§.41. [Denotatur igitur] *Vav superum* [Daath sive cognitio &] *Vav inferum* [id est, Microprosopus externus. Et sic etiam] *He superum* [id est, Mater.] *He inferum* [id est, Uxor.] *Jod* [autem tantum datur] *superum*; [Patrem denotans:] *& cum ipso non sociatur aliud* [Jod, ut in prioribus:] *nec ascendit cum ipso* [per summa numeri, sicut cum He quinarius, cum Vav senarius in similem summam ascendit.] *nisi notæ symbolicæ* [id est, denarius, non in eadem litera Jod, sed senario & quaternario expressus.]

41. וְלַעֵלָּא וְלְתַתָּא הֵ לְעֵלָּא וְלְתַתָּא וָו לְתַתָּא וְלָא לְעֵלָּא הֵ לְתַתָּא וְלָא לְעֵלָּא וָו אִשְׁתְּקַף אַתְרָא וְלָא סַלְּיָק בַּהֲדָהּ בַּר רְמִיזָא.

§.42. *Cùm (enim) manifestantur binæ* [literæ scilicet Nominis propositi, ut הָךְ & וֹן] *& uniuntur in unum gradum, in unam societatem, ut exponantur* [id est, cum plenè scribuntur modo supra dicto] *tunc* הָךְ [& nō Jod aliud] *applicantur ad Jod:* [ut etiam in eo sit analogia quædam paritatis.]

42. כַּד אִתְגַּלְיָין תְּרֵין סָגֵי בְּאוֹרַיְיתָא וּמִתְחַבְּרָן כְּחַד דְּרָגָא חַד רְגִישָׁא בְּגִין לְאִתְפַּרְשָׁא וְלָךְ כְּלִילִן בְּיוֹד.

§.43. *Vacum tollitur hoc* [id est, si ab illis הָךְ tollatur litera וֹ;] *& manifestanturilla* [duæ literæ, quæ denotant Microprosopum cum uxore ejus, quatenus adhuc imprægnati sunt & vix concepti *in* utero matris; ub ad consummandam perfectionem fœtus hujus semper necessarius est concursus & perpetua copula Patris, nisi fieri debeat abortus, quæ est manifestatio fœtus ante tempus legitimum:] tunc *pinguia hæc, quæ formam lubricam reddunt* [id est, guttæ hæ seminales, quæ in utero conceptæ sunt] *non impragnant, nec morantur in loco.* [id est, abortus fit. Sive influxus impeditur & gradus superni divulsionem patiuntur: Quod absit.]

43. וּוי כַּד אִסְתַּלַּק הַאי וְאִתְגַּלְיָין אִינּוּן פִּשְׁטִין דְּסִפְסָרָא שְׁרִיקִין לָא עַבְרִי לָא מִתְעַכְּבָן בְּרַחֲמָא.

§.44. [Quod autem hoc fieri possit per peccata inferiorum, patet ex dictis istis. Jechesk. 1. v. 14.] *Et animalia currunt & redeunt.* [itè Num. 24. 12.] *Fuge ad locum tuum.* [item Obad. 1. v. 4. *Si elevaveris te sicut aquila, & si inter stellas posueris nidum tuum, exinde dejiciam te.*

44. וְהַחַיּוֹת רָצוֹא וְשׁוֹב כְּרַחֲלָךְ אֶל מְקוֹמָךְ · אִם תַּגְבִּיהַּ כַּנֶּשֶׁר וְאִם בֵּין כּוֹכָבִים שִׂים קִנָּךְ מִשָּׁם אוֹרִידֵךְ.

§.45. [Porrò dicitur Gen. 1. v. 12.] *Et protulit terra germen. Quando? quando Nomen plantatur.* [id est, quando Microprosopus debitam suam accipit conformationem secundum requisita 248. membrorum & 365. venarum.]

45. וְתוֹצֵא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא · אֵימָתַי כַּד שְׁמָא אִתְנְטַע.

§.46. *Et tunc aër spirat* [id est, influxus vitalis prodit à Macroprosopo] *& scintilla præparatur* [id

46. וּכְדֵין אִוִּירָא נָפִק וְנִיצוֹצָא אִתְעֲבִיד.

est Microprosopus, qui respectu superiorum tantum est quasi scintilla cum igne comparata, in debitum lumen exrescit.]

§. 47. *Cranium quoddam extenditur exparte ipsius* [sicut cranium, id est, Corona summa in Macroprosopo reperitur.]

47. חַד גֻּלְגַּלְתָּא אִתְפְּשַׁט מִסְּטָרוֹי.

48. *Ros copiosius super eo duorum colorum.* [Sicut in Macroprosopo albus tantum, ita hic albus & ruber est, ob judicia. vide in Idra magna §. 44.]

48. טַלָּא מַלֵּי עַלָּה דְּתַרֵי גַוְונֵי.

§. 49. *Tres cavitates, in quibus litera expressa manifestantur* [: hæc intelligenda sunt de tribus cerebris ejus: Sapientia, Intelligentia & Cognitione, quæ hic expressius apparent, cùm in supernis essent occultatiora.]

49. תְּלַת חַלָּלִין דְּאִתְּוַן רְשִׁימִין אִתְגְּלְיָין בִּידֵהּ.

§. 50. *Nigri* [capilli enati] *in quatuor* [lateribus cranii] *dependent super foramina curva* [aurium] *ut non possit audire.*

50. אִכְּסִין בְּעַרְבְּאָה חֲלָיִין עַל נְקָבִין עִקְּימִין דְּלָא יָכִיל לְמִשְׁמַע.

§. 51. *Dextrum & sinistrum hic datur,* [in omnibus faciei Capitisque partibus.]

51. יְמִינָא וּשְׂמָאלָא הָכָא.

§. 52. *Una semita superius* (extat) *tenuis* [in discriminatione Capillorum.]

52. חַד אֹרְחָא לְעֵלָּא דַּקִּיק.

§. 53. *Frons, qua non splendet:* [omnia cum antithesi eorum, quæ in Macroprosopo reperiuntur, prout ista omnia latius infra describuntur tam in utraque Synodo, quam in Commentariis.] *Jurgia* [& pœnæ decernuntur] *erga mundum, cum voluntas* [sive frons ista] *eundem intuetur.*

53. מִצְחָא דְּלָא נָהִיר קָטֵטוּתָא דְּעָלְמָא כַּד רְעוּא אִשְׁתְּמַע בְּרֵישׁ.

§. 54. *Oculi* [ejus sunt] *trium colorum,* [id est, rubri, nigri & flavi] *ut tremuntur coram illo.* [Et] *lavantur lacte fulgido* [id est, aspectu oculi albi Macroprosopi & ipsi dealbantur.]

54. עֵינִין דְּתַלְתָּ גַוְונִין לְמִסְתַּיָּא. פַּד לְמִרְתַּר קֳדָמוֹי אִתְמַסְּיָן בְּחִלְבָא דְּנְהוֹר.

§. 55. *Scriptum est* [Jes. 33. v. 20.] *Oculi tui videbunt Jeruschalaim habitationem quietam.*

55. כְּתִיב עֵינָךְ תִּרְאֶינָה יְרוּשָׁלַיִם נָוֶה שַׁאֲנָן.

§. 56. *Atqui scriptum est* [Jes. 1. v. 21.] *Justitia pernoctabit ibi.*

56. וּכְתִיב צֶדֶק יָלִין בָּהּ.

§. 57. [Nimirum] *Quieta habitatio est Senex, qui occultatus est.* [Unde] *Scriptum est* עֵינָךְ *oculus tuus,* [sine litera Jod. Hæc omnia infra explicantur in Idra magna.]

57. וּנְוֵה שַׁאֲנָן עַתִּיקָא דְּסָתִים. עֵינָךְ כְּתִיב.

§. 58. *Nasus* [est] *ad dignoscendam faciem Microprosopi.*

58. חוּשְׁמָא פַּרְצוּפָא דְּזְעֵירָא לְאִשְׁתְּמוֹדָעָה.

§. 59. Tres

§. 59. *Tres flamma accenduntur per nares ejus.*

59. תְּלַת שַׁלְהוּבִין מִתְּקָדִין בְּנוּקְבוֹי.

§. 60. *Gradus profundus* [est in auribus ejus] *ad audiendum bonum & malum.*

60. דַּרְגָּא עַמִּיקָא לְמִשְׁמַע טַב וּבִישׁ.

§. 61. *Scriptum est* :] Jes. 42. v. 8.] *Ego Tetragrammaton, hoc nomen meum.* [Jam incipit explicare differentiam ulteriorem inter Microprosopum & Macroprosopum, etiam quoad cognomina eorum: ubi Cognomen אֲנִי Ego refert ad Microprosopum, quatenus involvit conceptum uxoris.] *Et scriptum est* [Deut. 32. v. 39.] *Ego occido & vivifico.* Et scriptum est [Jes. 46. v. 4.] *Et ego feram, & ego bajulabo.*

61. כְּתִיב אֲנִי יְיָ הוּא שְׁמִי וּכְתִיב אֲנִי אֲמִית וְאַחֲיֶה · וּכְתִיב וְאֲנִי אֶשָּׂא וַאֲסַבֵּל.

§. 62. [Jam verò tam propinquus nobis non est Macroprosopus ut in prima persona nos alloqueretur: sed iste in tertia persona vocatur הוּא Ille: Sicut dicitur: Psal. 100. v. 3.] *Ille fecit nos, & non nos.* Et porrò dicitur: Job. 23. v. 13.] *Et ille in uno, & quis avertet eum.*

62. הוּא עֲשָׂנִי וְלוֹ אֲנַחְנִי · וְהוּא בְּאֶחָד וּמִי יְשִׁיבֶנּוּ.

§. 63. הוּא [Igitur id est, in tertia persona] *Ille vocatur, qui occultatus est & non inventur coram. Ille* [est talis,] *qui non incurrit in oculos: Ille* [est talis] *qui non vocatur nomine.*

63. הוּא אִקְרֵי מַאן דְּסָתִים וְלָא שְׁכִיחַ · הוּא מַאן דְּלָא אִזְדַּמַּן לְעֵינָא · הוּא מַאן דְּלָא אִקְרֵי בִּשְׁמָא.

§. 64. [Hactenus de Microprosopo actum est, ad quem etiam relata fuit ista plenitudo literæ He, quæ scribitur per duo הֵא. Jam aliquid etiam dicitur, de reliquis duabus scriptionibus istius literæ dum scribitur per א & per י; quorum illud fit in nomine מֹשֶׁה & hoc in nominibus עֵבֶר & כָּלֵב. quæ etiã inveniuntur in nomine אֲהִיָּה. Consideranda ergo sunt] הֵא & הָיָ [Dum igitur scribitur הֵא, hæc scriptio resolvi potest in הוּא pronomen illud tertiæ personæ de quo supra: quia] א *in se continet* ה [cui assimilari solet linea ejus media. Adeoque dum scribitur הֵא, intelligi potest יהוּא. Sed non vice versa. Nam quamvis] ה *in se includat* א, [quia figura literæ Aleph componi dicitur ex יוּד si nempe linea ejus media findatur, ita ut etiam sine N legi possit יהוּ; hoc הוּ] *tamen in se non includit* [scriptionem aliquam literæ He, ita ut legere possem] הוּ [vel יהוּ.]

64. הֵא הֵי אֶ כְּלִיל נָ · נָ כְּלִיל אָ וְלֹא כְּלִיל הֵי (אָ הֵי)

§. 65. [Porrò in eadem scriptione הֵא, sicut א transit in ה, ut legi potuerit הֵא: sic idem] א *pronunciatur ut Aleph* [& hic est secundus modus

65. אֶ אִוִּיל לְאַלַּף · אַלַּף אִוִּיל לְיוּד · יוּד אִוִּיל לְסָתִים סָבָל

pronunciandi scriptionem הא, quæ simpliciter refertur ad nomen יהוה. Sed & porrò] *Aleph pronunciatur ut* יוד [quia figura א resolvi solet in tres has literas, ut Jod sit supra; Vav in medio; & Daleth infra. Ita ut eadem scriptio הא in se comprehendat & conceptum tertium sublimiorem. Sed non vice versa, ex יוד subintelligitur הא: Jod enim non pronunciatur ut Aleph: sed] *pronunciatur ut Jod, quod occultatur omnibus occultationibus, & cui non junguntur* וה [sicut ista forma reperitur in litera א.]

סְתִימִין דְּלָא מִתְחַבְּרָן בֵּיהּ וְכוּ׳.

§. 66. [Forma autem hæc quæ in se includit Vav & Daleth consueta est in gradibus inferioribus, & quidem in Patre. Et] *Væ! cum Jod non irradiat literas Vav Daleth*; [& multò magis] *cum Jod aufertur à Vav Daleth, per peccata mundi:* [quia tunc] *nuditas omnium invenitur.*

170. אָמַר רשׁ לֵיהּ לִיהוּדָא יִתְתְּקַן אֹרְחָךְ וְיֵיתֵי בָךְ מֵעַתִּיק יוֹמִין.

SECTIO X.

De Naso Macroprosopi.

§. 171. Et veni vide. Scriptum est: [*Esa. 41.v.4.*] Ego Dominus (*sum*) primus, & cum novissimis Ego Ipse.

171. וְתָא כְּתִיב אֲנִי יְיָ רִאשׁוֹן וְאֶת אֲחֲרוֹנִים אֲנִי הוּא.

§. 172. Omnia sunt הוא Ipse, & Ipse est occultatus ab omni latere. Prout & Nasus ejus. [*vid. §.186.*]

172. כֹּלָּא הוּא וְהוּא סָתִים מִכָּל סִטְרוֹי כְּהַאי דְּאַנְפָּא.

§.173

§. 173. Ex naso cognoscitur facies.

173. בְּחוּטְמָא אִשְׁתְּמוֹדָע פַּרְצוּפָא.

§. 174. Et veni vide! quid inter Senioreм & Microprosopum (*differentiæ*)? Ille tali prædituset naso, (*ex*) cujus uno foramine Vita, & ex altero foramine Vita vitarum.

174. וְתָא חֲזֵי מַה בֵּין עַתִּיקָא לְזְעֵיר אַפִּין דְּא מִמַּחֲרִיהּ דְּחוּטְמָא מֵחַד נַקְבָּא חַיִּין וּמֵחַד נַקְבָּא חַיִּין דְּחַיִּין.

§. 175. Hic nasus est (*quasi*) Menianum; [*sive projectio faciei, qualis est projectio adiuncum fenestris:*] ex hoc efflatur spiritus ad Microprosopum, eumque vocant Condonationem.

175. הַאי חוּטְמָא הוּא פְּרִישָׁקָא רְבִיתָא נָשִׁיב רוּחָא לְזְעֵיר אַפִּין וְקָרְיִנָן לֵיהּ סְלִיחָה.

§. 176. Et ita se habet. Descendit Spiritus; & iterum spiritus abhinc procedit ex illis naribus (*scilicet.*)

176. וְהָא נַחֲרֵי רוּחָא דְּרוּחָא נָפְקִי מֵהָכָא מֵאִינּוּן נַקְבֵי.

§. 177. Unus Spiritus procedit ad Microprosopum, ut excitetur (*sive flet*) in horto Eden.

177. חַד רוּחִי נָפֵק לְזְעֵיר אַפִּין לְאִתְעֲרָא בְּגִנְתָּא דְעֵדֶן.

§. 178. Et unus est Spiritus vitæ, per quem tempore filii David cogniturі sunt Sapientiam.

178. וְחַד רוּחִי רוּחַ חַיֵּי רְבִיתָא וְסִינָן לְזַמְנָא לְבָרְיהּ דְּדָוִד לְמִנְדַּע חָכְמְתָא.

§. 179. Et ex illo foramine excitatur, & procedit Spiritus ex cerebro occluso, & aliquando quiescet super Rege Messiâ.

179. וּמֵהַהוּא נַקְבָּא אִתְעַר וְנָפִיק רוּחָא מִמּוֹחָא סְתִימָאָה וְסִין לְאַשְׁרָאָה עַל מַלְכָּא מְשִׁיחָא.

§. 180. Sicut scriptum est [*Jesh.11.v.2.*] Et quiescet super eo Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intelligentiæ, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus Scientiæ & timoris Domini.

180. דִּכְתִיב וְנָחָה עָלָיו רוּחַ יְיָ רוּחַ חָכְמָה וּבִינָה רוּחַ עֵצָה וּגְבוּרָה רוּחַ דַּעַת וְיִרְאַת יְיָ.

§. 181. Sanè hic 4. Spiritus (*describuntur.*) Nos autem jam diximus, unum esse Spiritum: quare tres (*adduntur?*) Surge R. Jose tuam in stationem.

181. וְהָא הָכָא אַרְבַּע רוּחִין וְהָא הָכָא רוּחָא חָדָא אֲמָרִינָן אֲמַאי תְּלַת. קוֹם רַבִּי יוֹסֵי בְּקִיּוּמָךְ.

§. 182. Surrexit R. Jose & dixit: In diebus Regis Messiæ non dicet alter ad alterum, doce me Sapientiam hanc.

182. קָם רַבִּי יוֹסֵי וְאָמַר בְּיוֹמוֹי דְּמַלְכָּא מְשִׁיחָא לָא יֵימַר חַד לְחַבְרֵהּ אַלֵּיף לִי חָכְמְתָא דָּא.

§. 183. Quia sic scriptum est [*Jerem. 31. v.34.*] Non docebit amplius vir proximum suum &c. quia omnes illi cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum eorum.

183. דִּכְתִיב כְּתִיב וְלֹא יְלַמְּדוּ עוֹד אִישׁ אֶת רֵעֵהוּ וְגוֹ כִּי כֻלָּם יֵדְעוּ אוֹתִי מִקְּטַנָּם וְעַד גְּדוֹלָם.

§. 184. Et in illo tempore Senex dierum excitabit Spiritum, qui procedit è cerebro occultissimo omnium.

§. 185. Et cum educetur iste, omnes Spiritus inferiores excitabuntur cum eo.

§. 186. Et quinam illi? Sunt [*al. duæ*] coronæ sanctæ Microprosopi.

§. 187. Et sunt sex spiritus alii, qui dantur: illi sunt, de quibus scriptum est: Spiritus Sapientiæ & Intelligentiæ; Spiritus consilii & fortitudinis; Spiritus scientiæ & timoris Domini.

§. 188. Sic enim traditum est. Scriptum est: [*1. Reg. 2. v. 12.*] Et sedit Salomo super thronо David. Et scriptum est [*1. Reg. 10. v. 19.*] sex gradus throno.

§. 189. Et Rex Messias sessurus est in septem (*gradibus.*) Hi sunt sex illi, & spiritus Senis dierum, qui super eos, septimus est.

§. 190. Sicut dictum est: Tres Spiritus sunt, qui comprehendunt tres alios.

§. 191. Dixit ipsi R. Schimeon: Spiritus tuus quiescat in mundo venturo.

§. 192. Veni vide. Scriptum est: [*Ezech. 37. v. 9.*] Sic dicit Dominus, à quatuor cardinibus seu ventis veni Spiritus &c. Quid autem hic faciunt 4 venti mundi?

§. 193. Nimirum 4. venti excitabuntur; tres illi, & Spiritus Senis occulti: inde quatuor.

§. 194. Et sic se habent: quia cùm iste producitur, procedunt cum eo tres, qui in se comprehendunt tres alios.

184. וּבְהַהוּא זִמְנָא יְתַעַר עַתִּיק יוֹמִין רוּחָא דְנָפִיק מִמּוֹחָא סְתִימָאָה דְכֹלָּא.

185. וְכַד יִשְׁתְּוֹף דָּא כָּל רוּחִין דִּלְתַתָּא יְתַעֲרוּן עִמֵּיהּ.

186. וּמַאן אינון · אינון כְּתָרִין קַדִּישִׁין דְּעִיל אַפִּין.

187. וְאִלֵּין שִׁתָּא רוּחִין אָחֳרָנִין דְּאִתְּמַר (סִ"א דִּכְתִיב) אינון דִּכְתִיב רוּחַ חָכְמָה וּבִינָה רוּחַ עֵצָה וּגְבוּרָה רוּחַ דַּעַת וְיִרְאַת יְיָ.

188. דִּתְנַן כְּתִיב וַיֵּשֶׁב שְׁלֹמֹה עַל כִּסֵּא דָּוִד וּכְתִיב וַ סְעָדוּ לְכִסֵּא.

189. וּמַלְכָּא מְשִׁיחָא זִמְנִין לְמִיתַב בְּשִׁבְעָא · שִׁיתָּא אינון וְהוּא רַעֲתִיק יוֹמִין רְעֵלְיהוֹן דָּא שְׁבִיעָה.

190. כְּמָה דְאִתְמַר ג רוּחֵי אינון דְּכָלִילָן ג אָחֳרָנִין.

191. אָל רַשׁ רוּחָךְ נָוַח לְעָלְמָא דְאָתֵי.

192. תָּא כְתִיב כֹּה אָמַר יְיָ מֵאַרְבַּע רוּחוֹת בֹּאִי רוּחַ וְגו' · וְכִי אַרְבַּע רוּחִין אִלֵּין מַאי עַבְדִי הָכָא.

193. אֶלָּא אַרְבַּע רוּחִין יִתְעָרוּן ג אִלֵּין וְהוּא דְעַתִּיקָא סְתִימָא אַרְבַּע.

194. וְהָכִי הִוְו דִּכְוָתֵיהּ יִשְׁוֹף דָּא שְׁקִין עִמֵּיהּ תְּלָתָא דְּכָלִילָן בְּגַוֵּיהוֹן אָחֳרָנִין.

§. 195. Producturus autem est Sanctus benedictus ille Spiritum unum, qui in se includat illos omnes.

§. 196. Quia scriptum est, de quatuor spiritibus: Veni Spiritus. Non scriptum est sic; quatuor Spiritus venite, sed de quatuor spiritibus, veni.

§. 197. Et in diebus Regis Messiæ non opus erit, ut alter doceat alterum: ille enim Spiritus eorum (*hominum*,) qui in se comprehendit omnes Spiritus, novit omnem Sapientiam & Intelligentiam, consilium & fortitudinem & Intelligentiam, consilium & fortitudinem, (*& est*) Spiritus scientiæ & timoris Domini; quia est Spiritus complectens omnes spiritus.

§. 198. Idcircò scriptum est: ex quatuor spiritibus, qui sunt 4 illi, comprehensi in 7 gradibus superioribus, de quibus diximus.

§. 199. Et traditio est. Omnia comprehenduntur in hoc Spiritu Senioris Seniorum, qui procedit è cerebro occulto in foramen nasi.

§. 200. Et veni vide: quid (*differentiæ*) inter nasum & nasum.

§. 201. Nasus Senis dierum Vita est ex omni parte. De naso Microprosopi scriptum est [*Psal. 18. v. 9.*] Fumus ascendit è naso ejus, & ignis ex ore ejus perédet: &c.

§. 202. Ascendit fumus in naso ejus, & ex illo fumo accenditur ignis.

§. 203. Cum ascendit fumus, quid postea sequitur: Carbones accensi sunt ex eo; quid est, ex eo? ex illo fumo, ex illo naso, ex illo igne.

195. וְזִמְנִין קֻדְשָׁא בְּרִיךְ הוּא דְּנָפִיק לְאַפָּקָא חַד רוּחָא דְּכָלִיל מִכֻּלְּהוּ.

196. וְכְתִיב מֵאַרְבַּע רוּחוֹת בֹּאִי רוּחַ · אַרְבַּע רוּחוֹת בֹּאִי לָא כְתִיב כָּאן אֶלָּא מֵאַרְבַּע רוּחוֹת בֹּאִי.

197. וּבְיוֹמֵי דְּמַלְכָּא מְשִׁיחָא לָא יִצְטָרְכוּן לְמִילַּף חַד לְחַד דְּהָא רוּחָא דִּלְהוֹן דְּכָלִיל מִכָּל רוּחִין וְיָדַע כֹּלָּא חָכְמָה וּבִינָה עֵצָה וּגְבוּרָה רוּחַ דַּעַת וְיִרְאַת יְיָ מְשׁוּם רוּחָא דְּכָלִילָא מִכָּל רוּחִין.

198. בְּגִין כְּתִיב מֵאַרְבַּע רוּחוֹת דְּאִינוּן אַרְבַּע דְּכָלִילָן בְּשִׁבְעָה וְרָגִין עִלָּאִין דְּאָמְרָן.

199. וְתָאנָא וְיָכְלוּ כְּלִילָן בְּהַאי רוּחָא דְּעַתִּיקָא דְּעַתִּיק דְּנָפִיק מִמּוֹחָא סְתִימָא לְנוּקְבָא דְּחוֹטְמָא.

200. וְתָחֹ מַה בֵּין חוֹטְמָא לְחוֹטְמָא.

201. חוֹטְמָא דְּעַתִּיק יוֹמִין חַיִּין מִכָּל סִטְרוֹי חוֹטְמָא דְּזָעִיר אַפִּין כְּתִיב עָלָה עָשָׁן בְּאַפּוֹ וְאֵשׁ מִפִּיו תֹּאכֵל וְגו'.

202. עָלָה עָשָׁן בְּאַפּוֹ וּמֵהַהוּא עָשָׁן דָּלִיק נוּר.

203. כַּד סָלִיק הַנְּגִיד לְאִסְתַּחֲרָא מֵאי גְּחָלִים בְּעוּ מִנֵּיהּ · מַה מִּמֶּנּוּ מֵאוֹתוֹ עָשָׁן מֵהַהוּא חוֹטְמָא מֵהַהוּא אֵשׁ. Cremonens. col. 248.

§. 204. Traditio est. Cum Raf Hammenuna Senex precari voluit orationem suam, dixit: Dominum Nasi ego oro; Dominum Nasi ego precor.

204. תָּאנָא כַּד הֲוָה רַב הַמְנוּנָא סָבָא בָּעֵי לְצַלּוֹתֵי צְלוֹתֵיהּ אֲמַר לְבַעַל הַחוּטָם אֲנִי מִתְפַּלֵּל לְבַעַל הַחוּטָם אֲנִי מִתְחַנֵּן׃

§. 205. Et id est, quod scriptum est [*Jes.* 48. v. 9.] In Laude mea [*id est Nasomeo*] obstruam nares tibi [*Microprosope.*] Quo in loco de Sene dicrum sermo est.

205. וְהֵיכִי דִּכְתִיב וּתְהִלָּתִי אֶחֱטָם לָךְ הַאי קְרָא לְעָתִיק יוֹמִין אֲמְרוּ׃

§. 206. Traditio. Longitudo nasi tanta est, ut trecenti & septuaginta quinque mundi impleantur ab illo naso, qui omnes adhærent Microprosopo.

206. תָּאנָא אוֹרְכָא דְּחוּטְמָא תְּלַת מְאָה וְעַשְׂרִין עָלְמִין אִתְמַלְיָין מִן הַהוּא חוּטְמָא דְּכוּלְהוּ מִתְדַּבְּקִין בְּזְעִיר אַנְפִּין׃

§. 207. Hæc est laus conformationis nasi.

207. תַּאי תּוּשְׁבְּחְתָּא דְּתִקּוּנָא דְּחוּטְמָא׃

§. 208. Et illic & omnes formæ Senis dicrum, videntur & non videntur; videntur à Dominis Dominorum (*pius,*) & non videntur ab ullis aliis.

208. וְתַאי וְכָל תִּקּוּנֵי דְּעַתִּיק יוֹמִין אִתְחָזוֹן וְלָא אִתְחָזוֹן · אִתְחָזוֹן לְמָארֵי מָארִין וְלָא אִתְחָזוֹן לְכוֹלָּא׃

SECTIO XI.

De Barba Macroprosopi in genere.

§. 209. Incepit R. Schimeon & dixit: Væ illi, qui extendit manum suam ad Barbam gloriosam supernam Senis Sancti occulti omnium.

209. פָּתַח רַשׁ׳ וְאָמַר וַי מַאן דְּאוֹשִׁיט יָדוֹי בְּרִיקָנָא יְקִירָא עִלָּאָה וְסָבָא קַדִּישָׁא סְתִימָא סְתִימָא וְכוֹלָּא׃

§. 210. Hæc est barba illius laudis. Barba, quæ abscondita est & pretiosissima inter omnes dispositiones ejus; Barba, quam non cognoverunt superi nec inferi; Barba, quæ est laus omnis laudis; Barba, ad quam nullus nomen, nec Propheta, nec Sanctus appropinquavit ad videndum eam.

210. דִּיקְנָא דִּסְתִים וְיָקִיר מִכֹּל תִּקּוּנוֹי · דִּיקְנָא דְּלָא יְדָעִין עִלָּאִין וְתַתָּאִין · דִּיקְנָא דְּהִיא תּוּשְׁבְּחָתָא דְּכֹל תּוּשְׁבְּחָן · דִּיקְנָא דְּלָא דַּיְּדִין בֵּר נָשׁ נְבִיאָה וְקַדִּישָׁא דְּיִקַּרְבָּן לְמֶחֱזֵי לֵיהּ

§. 211. Barba, cujus pili dependent usque ad præcordia; alba ut nix; ornatus ornatuum; occultatio occultationum, veritas veritatum omnium.

211. דִּיקְנָא דְּהִיא תַּלְיָא בְּשַׁעֲרוֹי עַד טַבּוּרָא דִּלְבָא · חִוָּורָא כְּתַלְגָא יַקִּירָא וְיָקִירִין טְמִירָא וְסַטִּירִין סְתִימְנוּתָא וְסִתְּמִינוּתָא דְּכֹלָּא׃

§. 212. Traditum est in Occultatione libri: Barba illa, veritas omnium, procedit de loco aurium, & descendit in circuitu oris Sancti: & descendit & ascendit obtegens *genas, quas vocat* areolas copiosi aromatis, alba cum ornatu: & descendit in æquilibrio, & tegumentum præbet usque ad scrobiculum pectoris.

212. תָּאנָא בַּצְנִיעוּתָא דְּסִפְרָא דְּהַאי דִּיקְנָא מְזִימְנוּתָא דְּכֹלָּא נָפִיק מֵאוּדְנֵי וְנָחֵית סְחִירָנוּתָא דְּפִסְיָא קְדִישָׁא וְנָחֵית וְסָלִיק וְחָפֵי בְּתַקְרוּבְתָּא סְגִי דְּבוּסְמָא חִוָּורָא וְיַקִּירָא (סְאֲ דְּבִדְיָקְנֵי) וְנָחֵית בְּשִׁקּוּלָא וְחָפֵי עַד טַבּוּרָא׃

Mantuan. fol. 131.

§. 213. Illa est barba ornatûs, vera, perfecta: ex qua defluunt tredecim scaturigines scaturientes oleo magnificentiæ optimo.

213. הוּא דִּיקְנָא יָקִירָא מְזִימְנָא שְׁלִימָא דְּנָגְדִין בֵּיהּ יוֹ״ד נְבִיעִין מְבִיעִין וְמָשְׁחָ רְבוּת טָבָא׃

§. 214. Hæc in tredecim formas disponitur.

214. בְּתֵלַת עֶשְׂרֵ תִּקּוּנִין מְתַקְּנָן׃

§. 215. Dispositione prima [*vid. infra* §. 192.] ordinantur pili desuper, & incipit ab illa parte capillitii capitis ejus, quæ ascendit ordinata supra aures ejus: & descendit coram apertura auricularis in uno filo in æqualitate optima usque ad principium oris.

215. תִּקּוּנָא קַדְמָאָה מִתְתַּקְּנָן שַׁעֲרָא מִלְעֵילָּא וְשָׁאֲרֵי מִתְּרֵיהוֹן תִּקּוּנָא דְּשַׁעֲרָ דְּסָלִיק בְּתִקּוּנוֹי לְעֵילָּא מֵאוּדְנֵי וְנָחֵית מַסְקֵי פִּתְחָא דְּאוּדְנָן בְּחַד חוּטָא בְּשִׁקּוּלָא טָבָא עַד רֵישָׁא דְּפוּמָא׃

§. 216. Dispositione secundâ ordinantur pili à principio oris, & ascendunt usque ad principium alterum oris in dispositione æquali.

216. תִּקּוּנָא תִּנְיָינָא מִתְתַּקְּנָן שַׁעֲרֵי מְרִישָׁא דְּפוּמָא וְסָלִיק עַד רֵישָׁא אָחֳרָא דְּפוּמָא בְּתִקּוּנֵי שָׁקִיל׃

§. 217. Dispositio tertia: à medio infra nasum; sub duobus foraminibus procedit semita quædam, & pilus deficit in illa semita; plenior autem adest ex utroque latere ordinatione perfecta circa illam semitam.

217. תִּקּוּנָא תְּלִיתָאָה מֵאֶמְצָעִיתָא דְּתַחְתֵּית (נְסָ דְּהַאי) חוּטְמָא מִתְחוֹת תְּרֵין נִקְבִין נָפֵק חַד אוֹרְחָא וְשַׁעֲרָא אִתְפְּסַק בְּהַהִיא אָרְחָא וּמִלֵּי מֵהַאי

§. 218. Dispositione quartâ disponuntur pili, & descendunt sub ore à principio uno ad principium alterum ordinatione perfectâ.

§. 119. Dispositio quinta. Sub ore prodit semita alia è regione semitæ superioris. & illæ duę semitæ impressæ sunt ori ejus hinc & illinc.

§. 220. Dispositione sexta disponuntur pili, & ascendunt & exeunt ex imo sursum ad principium oris, & tegunt areolas aromatis optimi, usque ad principium oris superius, & descendit pilus principii aperturæ & tramitis infra os.

§. 221. Dispositione septima desinit pilus, & videntur duo poma in areolis aromatis boni, pulchra & jucunda aspectu, propter illa conservatur mundus. Atque istud est quod dicitur: [*Prov. 16. v. 15.*] In luce facici Regis vita.

§. 222. Dispositione octavâ prodit filum quoddam pilorum circumcitca barbam, pendentque adæquati usque ad præcordia.

§. 223. Dispositione nonâ intricantur & miscentur pili barbæ, cum illis pilis, qui pendent in æquilibrio; qui ita pendent, ut alii aliis non præmineant.

§. 224. Dispositione decimâ miscentur [*al. descendunt*] pili sub barba & tegunt guttur sub barba.

נִיסָא וּמֵהַאי גִּיסָא שְׁעָרָא בְּתִקּוּנֵי שְׁלִים סוּחֲרָנְיָא דְּהַהוּא אִירְחָא.

218. תִּקּוּנָא רְבִיעָאָה מִתְתַּקַּן עֶשְׂרָא וְנָחִית תְּחוֹת פּוּמָא מַרְישָׁא חָדָא לְרֵישָׁא חָדָא בְּתִקּוּנָא שָׁלִים.

219. תִּקּוּנָא חֲמִישָׁאָה תְּחוֹת פּוּמָא נָפֵק אֹרְחָא אָחֳרָא בְּשִׂיקְלָא דְּאֹרְחָא דִּלְעֵלָּא וְאִלֵּין תַּרְיִן אִתְחָזֵן רְשִׁימִין עַל פּוּמָא מִכָּאן וּכְאַמַּן.

220. תִּקּוּנָא שְׁתִיתָאָה מִתְתַּקַּן שְׁעָרָא וְסָלִיק וְנָפִיק מִלְּרַע לְעֵיל לְרֵישָׁא דְּפוּמָא וְחָפֵי תְּקוּרְיְתָא דְּבוּסְמָא טָבָא עַד רֵישָׁא דְּפוּמָא וְנָחִית שְׁעָרָא דְּרֵישָׁא דִּלְעֵילָּא וְנָחִית שְׁעָרָא דְּרֵישָׁא דִּפְתָחָא דְּאוּרְחָא תַּתָּאָה דְּפוּמָא.

221. תִּקּוּנָא שְׁבִיעָאָה פָּסִיק שְׁעָרָא וְאִתְחֲזֵן תְּרֵין תְּפוּחִין בְּתִקְרוּבְתָא דְּבוּסְמָא טָבָא שַׁפִּירִין וְאָזֵן לְמִחְזֵי בְּגִינְהוֹן אִתְקַיָּים עָלְמָא דְּהַדְר בְּאוֹר פְּנֵי מֶלֶךְ חַיִּים.

222. תִּקּוּנָא תְּמִינָאָה נָפֵק חַד חוּטָא דְּשַׁעֲרֵי סִיחֲרָנֵי דְּרִיקָנָא וְתַלְיָין בְּשִׂקְלָא עַד טַבּוּרָא.

223. תִּקּוּנָא תְּשִׁיעָאָה מִתְעָרְבִין וּמִתְעָרְבָן שַׁעֲרֵי רִיקָנָא עִם אִינָּן שַׁעֲרֵי דְּתַלְיָין בְּשִׂקְלֵי דְּתַלְיָין וְלָא נָפְקֵי לָא מִן דָּא.

224. תִּקּוּנָא עֲשִׂירָאָה מִתְעָרְבָן (סְאַ בַּחוּתָן) שַׁעֲרֵי תְּחוֹרֵי דִּיקָנָא

§. 225. Dispositio undecima est, quod non præmineant pili præ pilis, & redigantur in proportionem perfectam.

§. 226. Dispositio duodecima est, quod pili non pendent super os, & os vacuum est ex omni parte, & pulchri sunt pili circumcirca illud.

§. 227. Dispositio decima tertia est, quod pili dependent sub barba hinc & inde ornatu pulchro, ornatu decoro tegumentum præbentes usque ad præcordia.

§. 228. Nihil videtur de tota facie areolisque aromatis, præter illa poma pulchra alba, quæ producunt vitam mundo; & ostendunt gaudium Microprosopo.

§. 229. Per tredecim dispositiones istas manant & exeunt tredecim scaturigines olei magnificentiæ, & manant in omnes illas inferiores, & fulgent in illo oleo, & unguntur illo oleo.

§. 230. Tredecim dispositionibus illis configuratur barba ornatûs occultissima omnium Senioris Seniorum.

§. 231. Ex duobus pomis pulchris faciei ejus illuminatur facies Macroprosopi: & quicquid album & roseum, invenitur inferius, fulget & radiat de illa luce.

225. תִּקּוּנָא חַד סַר דְּלָא נָפְקִין נִיסָא מִן נִיסָא · וּמִתְתַּשְׁעָן בְּשִׁיעוּרָא שְׁלִים.

226. תִּקּוּנָא תְּרֵיסַר דְּלָא תַלְיָין שַׁעֲרֵי עַל פּוּמָא וּפוּמָא אִתְפַּנֵּי מִכָּל סְטָרוֹי וְאִינּוּן שַׁעֲרֵי סְחוֹר סְחוֹר לֵיהּ.

227. תִּקּוּנָא תְּלֵיסַר דְּתַלְיָין שַׁעֲרֵי בְּתְחוֹת דִּיקְנָא מִכָּאן וּמִכָּאן בִּיקָרָא נָאֶה בִּיקָרָא שַׁפִּירָא מְחַפְיָין עַד טַבּוּרָא.

228. לָא אִתְחֲזֵי (סְאַ לְאִתְחַזָּאָה) מִכָּל אִנְפֵּי תִּקּוּנָא דְּבוּסְמָא כַּר אִינּוּן תַּפּוּחִין שַׁפִּירִין חִוָּרִין דְּמַפְקִין חַיִּין לְעָלְמָא וּמְחַזְּיָן חֶדְוָה לְזָעִיר אַפִּין.

229. בְּתְלֵיסַר תִּקּוּנִין אִלֵּין נָגְדִין וְנָפְקִין תְּלֵיסַר מַבְּוְעִין דְּמִשְׁחָא רְבוּרְבָּא וְנָגְדִין לְכָל אִינּוּן דִּלְתַתָּא · וְנָהֲרִין בְּדִוְקָא מְשִׁחָה וּמְשִׁיחִין מֵהַהוּא מְשִׁחָה.

230. בְּתְלֵיסַר תִּקּוּנִין אִלֵּין אִתְרַשִּׁים דִּיקְנָא יַקִּירָא סְתִימָאָה דְּכֻלָּא דַּעְתִּיק דַּעְתִּיקִין.

231. סְתָרֵי תַּפּוּחִין שַׁפִּירִין דְּאַפֵּי רְתִירִין אַפֵּי זְעִיר אַפִּין (כְּכָל חִוָּרִין (סְאַ חִוּוֹר) וְשׁוּשָׁן דְּאִשְׁתְּכַחַן לְתַתָּא נְהִירִין וּמִתְהַטְּטִין סַהֲדוּתָא נְהִירָא.

Cremonens. fol. 63. col. 249.

§. 232. Dispositiones illæ tredecim inveniuntur in barba. Et pro integritate barbæ secundùm dispositiones suas homo vocatur verax: quicunque enim (*in somnio*) videt barbam suam, ille veritatis studiosus est.

§. 233. Didicimus in occultatione Libri. Ex tredecim illis, quæ dependent à barba illa venerabili, quædam inveniuntur in mundo, & aperiuntur in tredecim portas benignitatum.

§. 234. Et qui extendit manum suam ad jurandum, idem facit ac si juraret per 13. dispositiones barbæ. Hæc in Arich Anpin; seu Microprosopo.

§. 235. In Seir Anpin seu Microprosopo quot sunt? Dixit ad R. Jizchak: Siste te in statum tuum, & concinna barbam concinnatione partium Regis sanctæ: quomodo illæ ordinatæ sint.

§. 236. Surrexit R. Jizchak, incepit & dixit [*ex Mich. 7. v. 18.*] Quis Deus sicut tu, tollens iniquitatem &c. dabis veritatem Jacobo. [*ibid. 20.*] &c.

§. 237. Didicimus traditione. Tredecim mensuræ videntur hic, & omnes procedunt ex tredecim scaturiginibus olei excellentiæ partium barbæ sanctæ Senioris Seniorum.

§. 238. Traditio. Occultissima res est dispositio barbæ; occulta & abstrusa; occulta nec tamen occulta, absconditа nec tamen absconditа in dispositionibus suis; nota, nec tamen nota.

§. 239. Dispositio prima. Didicimus, quod singuli crines & singuli pili non adhæreant sibi invicem: incipiuntque pili barbæ à disponi dispositione capillitii.

232. תקונין תלת יסר אלין אשתכחו
ברישא ובשלימות דיקנא כתיקוני
אתקרי בר נש נאמן דכל דחמי
ויקניה תלי ביה מהימנותא.

233. תאנא בצניעותא דסתרא
תלת יסר תקונין אלין דתלין ברישא
יקירא מטרין משתכחי בעלמא
ומתפתחי בתלת תרעי דרחמי.

234. ומאן דאומי בתלת יסר תקוני דיקנא
כאלו דאומי בתלת יסר תקוני
אנפין אריך אנפין.

235. בזעיר אנפין בכמה · אמר
לרבי יצחק קום בקיומך וסדר
בכלסלא דמלכא קדישא
היאך יתתקנן.

236. קם רבי יצחק פתח ואמר מי
אל כמוך נושא עון וגו' ישוב ירחמנו
וגו · תתן אמת ליעקב וגו'.

237. תאנא תלת יסר מבילן אתחזן
דנגא וכלהו נפקין מתלת יסר מבועין
דמשח רבות דתיקוני דיקנא קדישא
עתיקא דעתיקין.

238. תנא סתירא דסתירין תקנא
דדיקנא סתיר וסתים סתיר ולא
עסיר כתים ולא כתים בתקוני דיקנא
ולא ידיע.

239. תקונא קדמאה דא תנינן
דכל שערא דשערא וכל נטא ונטא
לא מטרבקא לחברוותא דשארי נימין
דיקנא לאתקנא מתקונא דשערא
דרישא.

§. 240.

§. 240. Hic disquisitione dignum est. Si omnes pili capillitii & pili barbæ venerabilis supernæ uno æquilibrio librantur; quare isti longi, isti verò non longi.

§. 241. Quare pili barbæ non usque adeò longi? isti etiam rigidi; qui verò in capite sunt, non rigidi, sed lenes?

§. 242. Dicendum ergo: (*in Macroprosopo*) omnes pilos æqualiter descendere ex capite & barba; capillitium enim prolongatur usque ad humeros, ut pertingat ad caput Microprosopi, ex illo fluxu cerebri illius ad cerebrum hujus.

§. 243. Et propterea (*crines capitis*) non sunt rigidi, & non convenit ut tales sint. (*Al. & propterea necesse est, ut sint lenes.*)

§. 244. Didicimus traditione. Quid est illud, quod scriptum est: [*Prov. 1. v. 20.*] Sapientiæ foris prædicabunt. Et postmodum scriptum est: [*ibid.*] In plateis dabit vocem suam. Hoc in textu non concordat principium cum fine ejus, nec finis cum principio.

§. 245. Dicendum ergò: Sapientia foris prædicabit, cum promanat de cerebro abscondito Macroprosopi ad cerebrum Microprosopi, per illos pilos longiores, atque sic quasi sociantur extrinsecus duo (*illa*) cerebra, & sic fit cerebrum unum.

§. 246. Quoniam non est subsistentia cerebro inferiori, nisi per conservationem cerebri superioris.

§. 247. Et cum profluxus hic instituitur de illo in istud, locum habet, quod scriptum est: Dedit vocem suam scil.

§. 248. Et quia promanat de cerebro in

240. הכא אית לאסתכלא אי
כל נימין דרישא וזימין דדיקנא
יקירא עלאה בחד נימא אתכלילו
(סא בחד מתקלא אתקלו) אמאי
אלין ארכין ואלין לא ארכין.

241. אמאי נימין דדיקנא לא
אריכין כלי האי וקשין ואלין
דרישא לא קשין אלא שעיען.

242. אלא כל נימין שקילין
מרישא ודיקנא דרישא אריכין על
כתפין למיגר מרישא לרישא דזעיר
אנפין מהאי משיכא דמוחא למוחא
דילית.

243. ובגיני כך לא הוו קשין
ועל אתחזון למהוי רכיכי.

244. תאנא מאי דכתיב חכמות
בחוץ תרנה ולבטוף כתיב ברחובות
תתן קולה · תאי קרא לאו רישיה
סיפיה ולאו סיפיה רישא.

245. אלא חכמת בחוץ תרנה כד
נגיד ממוחא סתימאה דאריך אנפין
למוחא דזעיר אנפין באינון נימין
כאלו מתחבראן לכר תנין מוחין
ואתעבד חד מוחא.

246. בגין דלית קיומא דמוחא
תתאה אלא בקיומא דמוחא עלאה.

247. וכד נגיד מוחי למאי כתיב
תתן קולה חי.

248. ובגין דנגיד ממוחא למוחא

cerebrum per illos pilos longiores, [*quasi sociarentur extrinsecus duo cerebra, fiatque cerebrum unum per illos pilos:*] isti non inveniuntur duri.

§. 249. Quare? quia si essent duri, Sapientia per illos non conduceretur ad cerebrum.

§. 250. Propterea Sapientia non prorenit ab homine, qui durus est & iracundus, sicut scriptum est [*Eccles. 9. v. 17.*] Verba Sapientum in quiete audiuntur.

§. 251. Et exinde discimus, quod in illo, cujus capillitium durum est, non habitet Sapientia.

§. 252. Propterea autem illi sunt longi: [*al. lenes*] ut auxilium afferant omnibus.

§. 253. Quomodo omnibus? ut ingressum habeant in medullam spinæ dorsi, quæ putatur à cerebro.

§. 254. Et propterea capillitium non pendet super pilos barbæ, quia capillus capitis pendet, & retrahitur post aures, & non pendet super barbam; quia illos non oportet misceri cum istis; sed omnia separata sunt in vias proprias.

§. 255. Didicimus traditione. Omnes pili tàm capitis quam barbæ, albi sunt ut nix.

§. 256. Et didicimus. Illi qui in barba, duri omnes. Quare? quia illi admodum firmi sunt, ut firmiter deducant 13. mensuras è Sene Senum.

בְּאִלֵּין נִימִין אִינּוּן לָא אִשְׁתְּכְחִי קְשִׁישִׁין׃

249. מַשׁ מְשׁוּם דְּאִי אִשְׁתְּכְחִי קְשִׁישִׁין לָא נָגִיד חָכְמְתָא לְמוֹחָא בְּרֵישׁ׃

250. בְּגִינֵי כָךְ לֵית חָכְמְתָא נַפְקָא מִבַּר נָשׁ דְּאִיתֵי קְשִׁישָׁא וּמְצַרְ דְּרוּגְזָא וְכָתִיב דִּבְרֵי חֲכָמִים בִּנְחַת נִשְׁתָּמְעִים׃

251. וּמִכָּאן אוֹלִיפְנָא מַאן דְּשַׁעֲרוֹי דְּרִישֵׁיהּ קְשִׁישִׁין לָאו חָכְמְתָא מִתְיַשְׁבָא עִמֵּיהּ׃

252. וְעַל אִנּוּן אֲרִיכִי (סֵא רְכִיכִין) לְמֵיתֵי תּוֹעִלְתָּא לְכֹלָּא׃

253. מַאי לְכֹלָּא לְמֵיעַל עַל חוּטָא דְשִׁדְרָה דְּמִתְשְׁקַן מִן מוֹחָא׃

254. וּבְגִין לָא תָלֵי שַׂעֲרָא דְרֵישָׁא עַל שַׂעֲרָא דְּזִקְנָא דְּשַׁעֲרָא דְּרֵישָׁא תָּלֵי וְסָלִיק עַל אִידְּנִין לַאֲחוֹרוֹי וְלָא תָּלֵי עַל דִּיקְנָא מְשׁוּם דְּלָא אִצְטְרִיךְ לְאִתְעַרְבָא אִלֵּין בְּאִלֵּין דְּכָלְהוּ מְתַפְרְשִׁין בְּאָרְחֵיְיהוּ׃

255. תָּאנָא כָּלְהוּ שַׂעֲרִי בֵּין דְּרֵישָׁא בֵּין דְּדִיקְנָא כָּלְהוּ חִוָּורָא כְּתִלְגָא׃

256. וְתָאנָא אִינּוּן דְּדִיקְנָא קְשִׁישָׁאי כָּלְהוּ · מַשׁ מְשׁוּם דְּאִנּוּן תַּקִּיפָא דְּתַקִּיפִין לְאַחְסָנָא אִנּוּן יג מְכִילִּין מֵעַתִּיק דְּעַתִּיקִין

§. 257.

257. וְהָכִי מְכִילִין מְקַמֵּי אִידְנֵי שַׁרְיָין׃

258. וְהָכִי מְכִילִין סְתִימִין אִינּוּן דְּלָא יִתְעָרְבָן בְּאָחֳרָנִין (סֵא דְּאִתְחַסִּינִי לְהָתָא וְהָכִי תְּנִינָא מְקַמֵּי אִידְנֵי שַׁרְיָין שַׁעֲרֵי מְשׁוּם דְּכָלְהוּ מִתְפְּרְשִׁין אִינּוּן וְלָא אִתְעָרְבוּ בְּאָחֳרָנִין וְכוּ׳.)

259. וְאִי תֵּימָא דְּלֵירֵי אִתְּחָנִין כְּוָתַיְיהוּ לָא · דְּתָנֵינָא תְּלֵיסַר מְכִילִין דְּרַחֲמֵי מַעֲתִיקָא קַדִּישָׁא מִי אֵל כָּמוֹךָ חַר׃

260. נֹשֵׂא עָוֹן תֵּרֵי׃

261. וְעֹבֵר עַל פֶּשַׁע תְּלַת׃

262. לִשְׁאֵרִית נַחֲלָתוֹ אַרְבַּע׃

263. לֹא הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ חֲמֵשׁ׃

264. כִּי חָפֵץ חֶסֶד הוּא שִׁית׃

265. יָשׁוּב יְרַחֲמֵנוּ שְׁבַע׃

266. יִכְבֹּשׁ עֲוֹנֹתֵינוּ תְּמַנְיָא׃

267. וְתַשְׁלִיךְ בִּמְצוֹלוֹת יָם כָּל חַטֹּאתָם תִּשְׁעָה׃

268. תִּתֵּן אֱמֶת לְיַעֲקֹב עֲשָׂרָה׃

269. חֶסֶד לְאַבְרָהָם חַדְסָר׃

270. אֲשֶׁר נִשְׁבַּעְתָּ לַאֲבוֹתֵינוּ תְּרֵיסָר׃

271. מִימֵי קֶדֶם תְּלֵיסָר׃

272. לְקַבֵּל וָא אֶל רַחוּם וְחַנּוּן וְאִנּוּן לְהָתָא

§. 257. Et illæ mensuræ coram auribus incipiunt.

§. 258. Et illæ mensuræ certis terminis inclusæ sunt, ne commisceantur cum aliis. [alii sic legunt: quia communicantur inferioribus. Sic enim edocti sumus. Ante aures incipiunt pili, quia separati sunt, & non immiscentur aliis. &c.]

§. 259. Si autem dicas, non dari alia [*dicta sacra*] illis analoga: falleris. Sic enim habet Traditio exotica: Tredecim mensuræ misericordium Senioris sanctissimi, [*hæ sunt juxta Mich. 7. v. 18.*] Quis Deus sicut tu? prima.

§. 260. Tollens iniquitatem: secunda.

§. 261. Et transiens super prævaricationem; tertia.

§. 262. Residui hæreditatis suæ; quarta.

§. 263. Non tenuit in perpetuum iram suam; quinta.

§. 264. Quoniam vult misericordiam ipse; sexta.

§. 265. Iterum miserebitur nostri; septima.

§. 266. Subjiciet iniquitates nostras; octava.

§. 267. Et projiciet in profunda maris omnes iniquitates eorum; nona.

§. 268. Dabis veritatem Jacobo; decima.

§. 269. Misericordiam Abrahamo; undecima.

§. 270. Quam jurasti patribus nostris; duodecima.

§. 271. A diebus olim. Decima tertia.

§. 272. His correspondent [*in Lege scil. Exod. 34. v. 6.*] Deus misericors & gratiosus &c. Et istæ sunt inferiores.

§. 273. Et si dicis, quare Moses non pronunciavit illas, excelsas? Respondetur: Moses non opus habuit nisi loco, ubi judicium invenitur: & in loco ubi judicium invenitur, ita dicere non oportuit.

273. וְאִי תֵּימָא מֹשֶׁה אִיךְ לָא אֲמַר
אִלֵּין עִלָּאִין, אֶלָּא מֹשֶׁה לָא אֲצְטְרִיךְ
אֶלָּא לְאַתְרָא דְּדִינָא אִשְׁתְּכַח וּבְאַתְרָא
דְּלָא אִשְׁתְּכַח לָא בְּעִי הָכִי לְמֵימַר.

§. 274. Et Moses non loquebatur nisi illo tempore, quo Israëlitæ peccaverunt, & judicium imminebat: Hinc Moses nonnisi de illo loco locutus est, ubi judicium invenitur.

274. וּמֹשֶׁה לָא אֲמַר אֶלָּא בְּשַׁעְתָּא
דְּיִשְׂרָאֵל חָאבוּ וְדִינָא הֲוָה תְלִיָּיא
וּבְגִינֵי כָךְ לָא אֲמַר מֹשֶׁה אֶלָּא
בְּאַתְרָא דְּדִינָא אִשְׁתְּכַח.

§. 275. Sed altero in loco ordinem laudis Senis dierum instituit Propheta.

275. אֲבָל בְּהַאי אֲתַר סְדַּר יְקָרָא
דְּשִׁבְרָא דְּעַתִּיק יוֹמִין מְסַדֵּר נְבִיאָה.

§. 276. Et tredecim istæ formæ barbæ supremæ sanctæ occultæ [*multis*] occultationibus, validissimæ sunt ad frangendum & subigendum omnia decreta judiciorum.

276. וְאִינּוּן תְּלֵיסַר תִּקּוּנִין Cremonens. col. 230.
דְּרִישָׁא עִלָּאָה קַדִּישָׁא
טְמִירָא דְּטְמִירִין תְּקִפִּין לְתַבְּרָא
וּלְאַכְפְּיָיא כָּל גַּוְונֵי דִּינִין.

§. 277. Quis est, qui respiciat barbam supernam sanctam occultissimam, qui non confundatur coram ea? [*al. obruatur ab ea.*]

277. מַאן חָמֵי דִּיקְנָא עִלָּאָה
קַדִּישָׁא טְמִירָא דְּטְמִירִין וְלָא אִתְכְּסִיף
(סַ אִתְכַּסֵּי) מִנַּיהּ.

§. 278. Et propterea omnes pilli duri sunt & firmi in dispositione sua.

278. וּבְגִין כָּךְ שְׂעָרֵי קְשִׁישִׁין
וְתַקִּיפִין בְּתִקּוּנֵי.

§. 279. Si autem dicis: quod si sic; sanè crines inferiores sunt nigri: quare illi non sunt ut isti? Mantuan. fol. 132.

279. וְאִי תֵּימָא אִי הָכִי
תְּרֵי שְׂעָרֵי דְּלִתְתָּא אִינּוּן
אוּכְמֵי אַמַּאי לָא הֲוֵי דָּא כְּרָא.

§. 280. Nimirum sic habet Traditio exotica, Scriptum est [*Cant. 5. v. 11.*] Cincinni ejus crispi nigri ut corvus.

280. דִּתְנְיָא כְּתִיב קְוֻוצּוֹתָיו
תַּלְתַּלִּים שְׁחוֹרוֹת כְּעֹרֵב.

§. 281. Et scriptum est [*Dan. 7. v. 18.*] Capillus capitis ejus, sicut lana munda.

281. וּכְתִיב שְׂעַר רֹאשׁוֹ כְּעֶמֶר
נָקִי.

§. 282. Non est contradictio: hoc enim de barba superiore; illud de barbâ inferiore [*intelligendum est.*]

282. לָא קַשְׁיָא דָּא בְּדִיקְנָא עִלָּאָה
דָּא בְּדִיקְנָא תַּתָּאָה.

§. 283. Et propterea Lex cum data est Israëlitis, scripta erat igne nigro super igne albo.

283. וְעַל כָּךְ אִתְיְהִיבַת אוֹרַיְתָא
לְיִשְׂרָאֵל אִתְיְהִיבַת בְּאֵשׁ שְׁחוֹרָה
עַל גַּבֵּי אֵשׁ לְבָנָה.

§. 284. Et fundamentum rei provenit ex illis pilis; quia ex cerebro (*orti*) inveniuntur, tendentes ad cerebrum inferius.

284. וְעִקָּרָא דְּמִלָּה מִשּׁוּם דְּהַנֵי
שְׂעָרֵי בְּגִין דְּמִסְּיָיעָא אִשְׁתְּכַחוּ
לְאִתְּשְׁכָּחָה לְמוֹחָא דִּלְתַתָּא.

§. 285. Et quia sunt supra barbam: hinc barba sola est, & omnes formæ ejus separatæ inveniuntur; ita ut barba sola sit, & pili soli.

285. וּמַאן דְּאִינּוּן לְעֵילָּא מִן דִּיקְנָא
דִּיקְנָא בִּלְחוֹדוֹי הוּא וְכָל תִּקּוּנוֹי
בִּלְחוֹדֵיהוֹן אִשְׁתְּכַחוּ דִּיקְנָא בִּלְחוֹדוֹי
וְשַׂעֲרֵי בִּלְחוֹדֵיהוֹן.

SECTIO XII.

De Barba Macroprosopi in specie; & primo de parte ejus prima.

§. 286. Dispositio prima est, quæ incipit penes principium capillitii.

286. תִּקּוּנָא קַדְמָאָה תִּקּוּנָא דְּשַׂעֲרֵי
מְרִישָׁא דְּשַׂעֲרֵי דְּרִישָׁא.

§. 287. Et didicimus. Nulla barba [*al. nulla pars barbæ*] invenitur, quæ non sit ex cerebro capitis: [*al. à corde.*]

287. וְתַנְיָא כָּל דִּיקְנָא (סַ תִּקּוּנָא) לָא אִשְׁתְּכַח אֶלָּא מִמּוֹחָא
דְּרִישָׁא (סַ דְּלִבָּא)

§. 288. Sed huc id non quadrat. Nam hoc loco non datur nisi tantum hæc forma [*sive pars barbæ*] quæ descendit ex principio capillitii: & hæc ita se habet [*ut à cerebro ortum trahat: quidde cæteris partibus barbæ dici non potest.*

288. וְהָכָא לָא פָּרִישׁ דְּהָא הָכִי
לָא הַוָּה אֶלָּא תִּקּוּנָא דָּא דְּנָחִית מִן
רֵישָׁא דְּשַׂעֲרֵי דְּרִישָׁא הָכֵי אִשְׁתְּכַח.

§. 289. Et ab hac barba longè distinctum est, quicquid est de capite in mille mundis signatis sigillo purissimo, sigillo quod includit omnia sigilla.

289. וּמֵהַאי דִּיקְנָא אִשְׁתְּמוֹדַע כָּל
מַה דַּהֲוָה מֵרִישָׁא בְּאַלְפָּא עָלְמִין
דְּזַהֲמִין בְּעִזְקָא דְּרִכְיָיא בְּעִזְקָא
דְּכְלִיל כָּל עִזְקִין.

§. 290. Longitudo cujuslibet pili descendentis aute aures quasi non est longitudo: nec [*al. sed*] adhærent sibi invicem, nec [*al. quia omnes*] descendunt.

290. אוֹרְכָא דְּכָל שַׂעֲרָא דְּנָחִית
מֵקְמֵי אִידְנֵי לָא הֵוֵי אוֹרְכָא וְלָא
(סַ אֶלָּא) אִתְרַבַּק דָּא בְּרֵיעָא וְלָא
(סַ דְּלָא) נָחְתִּין.

§.291. Sed illi capilli, cùm defluunt, protrahuntur & dependent.

§. 292. Et [*vid.* §.192.] initium dispositionis primæ sunt unus & triginta cincinni æquales, protracti usque ad initium oris.

§.293. Et trecenti & nonaginta pili inveniuntur in quolibet cincinno.

§. 294. Unus & triginta cincinni illi æquales, qui sunt in dispositione prima, validi sunt, ut possint flectere inferiora secundum numerum אל.

§. 295. Quid est אֵל? fortis, potens.

§.296. Et per singulos cincinnos distribuuntur unus & triginta mundi fortes, dominantes, ut extendantur (*recti.*), non in hoc nec in illud latus.

§.297. Et ex quolibet horum mundorum divisio fit in mille mundos desideriorum magnæque voluptatis.

§.298. Et omnes occultati sunt in initio barbæ, quod repræsentat robur; & includuntur in illo אל.

§.299. Et nihilominus ipse אֵל flectitur in miserationes, quia Senex dierum mitigatur & includitur & extenditur in eo.

§.300. Quare usque ad os? quia scriptum est [*Dan.* 7. *v.* 9.] Judicium sedit & libri aperti sunt.

§.301. Quid est? Et judicium sedit? Sedit in loco, ut non dominetur.

§.302. Hoc est, quod scriptum est [*Jes.* 9. *v.* 5.] Mirabilis, Consiliarius, Deus, fortis. Id est: אל talis, qui fortis quidem est, sed mitigatus in barba [*al. per formam*] sanctæ Senis dierum.

§.303.

אלין שערין כבר נגדין ואתמשכן ואתלזין׃ 291.

ושרורתא דהקיא קדמאה תלתין והר קיצי שקילין אתמשכן עד ריאשא רפימיה׃ 292.

דהלת מאה ותשעין נימין אשתכחו בכל קיצא וקיצא׃ 293.

תלתין והד קיצי שקילין דתוו בהקיני קדמאה הקיפין לאכפייא לתתא כחושבן אל׃ 294.

מהו אל תקיף יכול׃ 295.

ובכל קיצא וקיצא מיתפרשין תלתין והד עלמין תקיפין שלטין לאתעיטא (סא לאתשטא) לא בהאי סטר ולא בהאי סטר׃ 296.

וכל עלמא ועלמא מנידד מיתפרש לאלף עלמין דכסופין לעדונא רבה׃ 297.

וכלא סתים ברישא דזקנא דכליל הקיפא וכלילן בהאי אל׃ 298.

ועם כל דא האי אל אתכפייא לרחמי דעתיק יומין אתכסם ואתכליל ואתפשט ביה׃ 299.

אמאי עד פומא משום דכתיב ויהא יתיב וספרין וגו׳׃ 300.

מאי ויהא יתיב ׳ יתיב לאתריה דלא שלטא׃ 301.

והדר פלגא יתיב אל גבור׃ 302.

אל דהוא גבור ואתכסם ברזקנא (סא ברייקא) קדישא דעתיק יומין׃

§.303. Et arcanum latet in eo, quod scriptum est: [*Mich.* 7. *v.* 18.] Quis אל sicut tu? Quod de Sene dierum dicitur in forma configurationis [*al. barba*] sanctæ supernæ.

§.304. Mundus primus [*vid. infra* §.181. 192.] qui procedit ex dispositione prima, dominatur, descenditque & ascendit in millies mille myriades myriadum scutatorum, & ab illo comprehenduntur in alimentatione sub sigillo magno.

§. 305. Mundus secundus, qui procedit ex illa dispositione, dominatur & descendit & ascendit in quinquaginta septem mille stipatores, qui sunt domini lamentationum: & hi applicantur illi; ad subigendam cervicem spinæ.

§.306. Mundus tertius, qui exit ab illa concinnatione, dominatur & descendit & ascendit in sexaginta novem millia autorum ejulationis, qui tenentur ab illo ut forcipe stannum.

§.307. Et ab ista conformatione subigiuntur omnes illi, & mitigantur in amarore lachrymarum, quæ dulcescunt in mari magno.

§.308. Quis est, qui videat conformationem hanc barbæ sanctæ, excelsæ, venerandæ, qui non pudore suffundatur ab illa.

§.309. Quis videt mysterium cincinnorum capilli, qui dependent ab isto Sene.

§.310. Hic sedet in corona coronarum, quæ sunt coronæ omnium coronarum; coronæ quæ in aliis coronis non comprehenduntur; coronarum inquam, quæ non sunt ut coronæ cæteræ: nam coronę inferiores comprehenduntur ab illis.

ואתר ואתר לא כשאר עטרין׃ 303.

בעתיק יומין אתמר בתקונא דדיוקנא קדישא עלאה׃ 304.

עלמא קדמאה דנפיק מהקיא קדמאה שליט ונחית וסליק לאלף אלפים ורבוא רבבן מארי חריסין ומנודד מתאחדין בקטמא בעוקא ראבא׃ 305.

עלמא תניינא דנפיק מהקיא שליט ונפיק ונחית וסליק לשבעין וחמשין אלף דרגין מארי דיבבא ומתאחדין מניה לאכפיידד בקדולא בחיזוה (סא בחיזרא)׃ 306.

עלמא תליתאה דנפיק מהאי הקיא שליט ונחית וסליק לצו אלפין מארי דילולה ומתאחדין מניה בביסיטא לסיסטרא (סא בביסיא לקיסרא)׃ 307.

ומהאי הקיא מתכפיין כ לתי מתבסמן במרירא דרעין ומתבסמין ביומא רבא׃ 308.

מאן חמי הקיא דא דליקא קדישא עלאה יקירא דלא אכסיף מניה׃ 309.

מאן חמי טמירותא דקיצין דשערי דתליין מהאי סבא׃ 310.

ותוב בעיטרא דעטרין עטרין דכל עטרין עטרין דלא אתכלילן בעטרין עטרין דלא כשאר עטרין׃

§.311. Et propterea istæ formæ sunt conformationes tales, quibus formæ inferiores adhærent: & sunt dispositiones, quibus disponitur ille, qui opus habet, ut ipsi benedicatur, quique cupit benedictionem.

§.312. Quandocunque enim dispositiones fiunt ad instar harum; benedictiones inveniuntur sub istis; & fit quicquid fit.

§.313. Omnia comprehenduntur istis dispositionibus; omnia erigunt se ut accipiant dispositiones has Regis fortis, Senis occultissimi omnium. Et omnia illa mitigantur ab ordinationibus istis Regis Senioris.

§.314. Didicimus. Nisi Senior Seniorum, Sanctus Sanctorum disponeretur istis conformationibus, non inveniretur neque superiora neque inferiora, & omnia essent quasi non essent.

§.315. Et didicimus traditione exotica. Quousque splendent illæ conformationes barbæ? usque ad tredecim inferiores: & quandocunque tredecim illæ inveniuntur, splendent istæ.

§.316. Et omnes in numero illarum tredecim inveniuntur.

§.317. Barba (ergo) Regis Senis maximè venerandi præ omnibus tota simul est occulta & dignissima.

§.318. Et quia illa est dignissima & abscondita præ omnibus, de ea non fit mentio in alio quo loco Legis & non manifestatur.

עִמְּרִין דְּעִמְּרִין דִּלְתַתָּא כִּתְאַחְרָן
מִנְּהוֹן׃ 311. וּבְגִין כָּךְ הַנֵּי תִּקּוּנִין אִינִין
תִּקּוּנִין דְּתִקּוּנִין דִּלְתַתָּא מְכַוְּנִין
מִתְּאַחְרָן תִּקּוּנִי דְּאִתְתָּקַן דְּאִצְטְרִיךְ
לְאִתְבָּרְכָא מַאן דְּבָעֵי בִּרְכָה.
312. וְכָל תִּקּוּנִין דְּאִתְתָּקַן בִּקְבִלְהוֹן
בִּרְכָאן מִשְׁתַּכְחִין לְקַבְּלֵיהוֹן וְאִתְעֲבִיד
מַה דְּאִתְעֲבִיד.
313. כֹּלָּא כְּלִיל בְּהַנֵּי תִּקּוּנִין כֹּלָּא
וְקָאֵם לְקַבְּלֵי תִּקּוּנִין דְּמַלְכָּא תַּקִּיפָא
עַתִּיקָא סְתִימָא דְּכֹלָּא וְכֹלְהוּ
אִתְבַּסְּמָן מִתִּקּוּנִין אִלֵּין דְּמַלְכָּא
עַתִּיקָא.
314. תָּאנָא אִי עַתִּיק דְּעַתִּיקִין
קַדִּישָׁא דְּקַדִּישִׁין לָא אִתְתָּקַן בְּאִלֵּין
תִּקּוּנִין לָא אִשְׁתְּכַח עִלָּאִין וְתַתָּאִין
וְכֹלָּא הֲוֵי כְּלָא הֲוֵי.
315. וְתָנֵינָא עַד כַּמָּה וְחֵילִין אִלֵּין
(סָאִי אִתְתָּקַן בְּאִלֵּין) תִּקּוּנִי דְּרֵיקָנָא
עַד תְּלֵיסַר דִּלְתַתָּא וְכָל זִמְנָא
דִּתְלֵיסַר אִלֵּין מִשְׁתַּכְחִין זְהִירִין
אִלֵּין.
316. כֹּלָּא בְּחִשְׁבָּנָא דְּאִלֵּין
תְּלֵיסַר אִשְׁתַּכַּח.
317. דְּרֵיקָנָא דְּמַלְכָּא עַתִּיקָא
יַקִּירָא מְכֻלָּא כְּלָא בְּחַד אִיהִי
טְסִירָא וְעַקִּירָא.
318. וּבְגִין דְּאִיהִי עַקִּירָא וְטְסִירָא

מִכֹּלָּא לָא אִדְכַּר בִּידָּ בְּאַתָר
דְּאִיצְטְרִיךְ וְלָא אִתְגַּלְיָיא.
319. וּמַה דְּרֵיקָנָא אִתְגַּלְיָיא דְּרֵיקָנָא
דְּכַהֲנָא רַבָּא עִלָּאָה וּמַהֲאֵי דְּרֵיקָנָא
נָחִית לְדְרֵיקָנָא דְּכַהֲנָא רַבָּא דִּלְתַתָּא.
320. מַאי דְּרֵיקָנָא דְּכַהֲנָא רַבָּא.
דְּרֵיקָנָא דְּכַהֲנָא רַבָּא בִּתְמָנְיָא תִּקּוּנִין
אִתְתָּקַן וּבְגִין כָּךְ תְּמָנְיָא תִּקּוּנִין
לְכַהֲנָא רַבָּא כַּד מִשְׁחָא נָחִית עַל
דְּקָנֵיהּ.
321. הֲוֹד כְּשֶׁמֶן הַטּוֹב עַל רֹאשׁ
יוֹרֵד עַל הַזָּקָן וְגוֹ׳.
322. וּמַלֵּל דְּכְתִיב שֶׁבֶת אַחִים גַּם
יָחַד · גַּם לְרַבּוֹת כֹּהֵן גָּדוֹל דִּלְתַתָּא.
323. דְּכָל זִמְנָא דְּכַהֲנָא רַבָּא
דִּלְתַתָּא מְשַׁמֵּשׁ בְּכַהֲנָא דְּ Cremo. nens. col. 251.
רַבָּא כְּבִכּוֹל מִן גַּרְגֹּל
דִּלְעֵלָּא מְשַׁמֵּשׁ בְּכַהֲנָא רַבָּא.
324. דָּא תִּקּוּנָא חַד דְּרֵיקָנָא
דְּעַתִּיק סְתִימָא דְּכֹלָּא.
325. אֶל רֹשׁ וְאוֹת אַתְּ רְ תְּחַק
לְמַדְרֵי בְּנִקְרָא דְּרֵיקָנָא וְסִכְּרֵי
אִפֵּי דְּעַתִּיק יוֹמִין עַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין.
זְכָאָה חוּלָקִי וְזָכָאָה חוּלְקִי עִמְּכוֹן
בְּעָלְמָא דְּאָתִי׃

§.319. Quæ autem barba manifestatur? Barba sacerdotis magni summi, & de illa barba descendit (influxus) in barbam inferiorem Sacerdotis magni inferioris.

§.320. Quomodo se habet barba Sacerdotis magni? Barba Sacerdotis magni octo conformationibus disponitur. Et propterea octo vestes habet Sacerdos Magnus, cum unguentum descendit super barbam ejus.

§. 321. Id est, quod scribitur [Ps/133.v.2.] Sicut oleum optimum super caput descendens super barbam, barbam Aaron, quod descendit secundum proportionem attributorum ejus &c.

§. 322. Et unde nobis hoc? quia scriptum est: [ibid.] habitare fratres etiam pariter. Vox, Etiam, significationem auget Sacerdotis magni inferioris.

§. 323. Ut quotiescunque Sacerdos magnus inferior ministrat in Sacerdotio magno, ita, si fas est dicere, & sursum Sacerdos magnus, ministret in Sacerdotio magno.

§. 324. Hæc est ordinatio prima barbæ Senis absconditissimi omnium.

§. 325. Dixit ipsi R. Schimeon: Rectè tibi R. Jizchak debetur, ut sis sub ornatu conformationis barbæ & acceptes faciem Senis dierum, Senioris Seniorum: Beata est portio tua, & beata portio mea vobiscum in mundo venturo.

SECTIO XIII.

De parte secunda Barbæ Macroprosopi.

§. 326. Surge R. Chiskijah, & siste te in statum tuum, & deprædica dignitatem partis cujusdam barbæ sanctæ.

326. קוֹם רַ חִזְקִיָּה וְאֲמוֹד בְּקִיּוּמָךְ וְאַמְרָא וְתַקִּינִי דִּיקְנָא קַדִּישָׁא.

§. 327. Surrexit R. Chiskijah, incepitque & dixit: [*Cant.7.v.11.*] Ego dilecti mei, & super me desiderium ejus.

327. קָם רִבִּי חִזְקִיָּה שָׁאֲרִי וְאָמַר אֲנִי לְדוֹדִי וְעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ.

§. 328. Quis in causa est, quod ego sim dilecti mei? propterea quod super me desiderium ejus.

328. מִי גָּרַם שֶׁאֲנִי לְדוֹדִי מִשּׁוּם דְּעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ.

§. 329. Contemplatus sum; & ecce vidi Lumen dignissimum lucernarum supernarum.

329. מִסְתַּכֵּל הֲוֵינָא וְאָרֵי חֲמִית נְהוֹרָא וּקְרִינָא דִּבְוִינָא עִלָּאִין.

§. 330. Splendebat & ascendebat ad trecenta viginti quinque latera.

330. נָהִיר וְסָלִיק לְתִלְתָּ מְאָה וְחַמְשָׁה וְעֶשְׂרִין עִבְרִין.

§. 331. Et caligo quædam lavabatur [*al. regebatur*] illo lumine sicut cum quis lavatur in illo fluvio profundo, cujus aquæ diviſæ fluunt & manant versus omne latus, ex eo quod supra eum.

331. וְהַדְ חֲשׁוֹךְ הֲוָה אִתְסְחִי [סָא אִתְסְכִי] כְּהֵיוָא נְהוֹרָא כְּמַאן דְּאִתְסְחִי בְּהֵיוָא נַהֲרָא עַמִּיקָא דְּמִיטֵּי מִתְפַּלְגָן וְנָזְרִין וְנָגְדִין לְכָל עִבְרָ מִכֹּחַ דְּעִלּוֹי.

§. 332. Et lumen illud ascendit ad littus maris superioris profundi, nam omnia ostia bona & dignitates in illo ostio aperiuntur.

332. וְסָלִיק הַהוּא נְהוֹרָא בְּשִׂפְתָא דְּיַמָּא עִלָּאָה עַמִּיקָא דְּכָל פִּתְחִין טָבִין וְקַרְיִן בְּהַהוּא פִּתְחָא אִתְפְּתָחָן.

§. 333. Ego rogabam ab iis [al. quænam *esset*] interpretationem ejus quod videram: Incipientes autem dicebant: נְשׂוֹא עָוֹן Tollentem iniquitatem vidisti.

333. אֲנָא שְׁאִיל מִנְּהוֹן (סָא מִנֵּי) פִּשְׁרָא דְּחָמִית וּפָתְחִי וְאָמְרִי נְשׂוֹא עָוֹן חָמִית.

§. 334. Dixit: Hæc est dispositio secunda, & sedit.

334. אָמַר דָּא תִּקּוּנָא תִּנְיָנָא וְתַיְּיב.

§. 335. Dixit R. Schimeon: Nunc con-

335. אָמַר שִׁמְעוֹן הַאֲוֵינָא אִתְקְשַׁר

nexus est [al. mitigatus est] mundus. Benedictus sis tu R. Chiskijah à Seniore Seniorum.

§. 336. Dixit R. Schimeon: Omnia lumina congregantur, quæ veniunt in hoc sigillum sanctum.

§. 337. Testor super me cœlos summos ex summis, & terram sanctam summam è supernis, quod nunc videam, quod homo non vidit ex illo tempore quo Moses secunda vice ascendit montem Sinai.

§. 338. Video enim faciem meam fulgere, ut vehementem solis splendorem, qui egressurus est in medelam mundi.

§. 339. Sicut scriptum est: [*Mal.4.v.2.*] Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ & sanitas in alis ejus.

§. 340. Imò plura: Ego scio, quod facies meæ fulgeat: Moses verò nescivit, nec animadvertit.

§. 341. Sicut extat [*Exod.34.v.29.*] Et Moses non cognovit quod promicaret cutis facici ejus.

§. 342. Et ulterius: Ego video oculis meis tredecim illas sculpturas ante me, & lucere ut lucernæ.

§. 343. Et cum aliqua illarum (*dispositionum*) explicatur ore vestro; (*eadem statim*) attollitur, & conformatur, & coronatur, & occultatur in occultatione formarum Barbæ; omnes autem cæteræ restitant.

§. 344. Et quod magis, quælibet earum dum explicatur ab ore vestro, lucet & coronatur & sedet, sicut Rex in medio exercitus sui.

§. 345. Et cum cessat explicari, ascendit, & coronatur corona sancta, & ordinatur, &

336. אָמַר רִשׁ כְּלִלְתּוֹ בְּצִיצִין חַבְרִין דְּאִתַּיְּין בְּהַאי עוֹקָא קַדִּישָׁא.

337. אַסְהֲדָנָא עֲלַי שְׁמַיָּא עִלָּאִין דְּעִלָּאִין וְאַרְעָא קַדִּישָׁא דְּעִלָּאָה דְּאֲנִי חָמֵי הָשְׁתָּא מַה דְּלָא חָמֵי בַּר נַשׁ מִיּוֹמָא דְּסִלִּיק מֹשֶׁה זִמְנָא תִּנְיָנָא לְטוּרָא דְּסִינַי.

338. דְּאָנָא חָמִינָא אַנְפַּאי נְהִירִין כְּנְהוֹרָא דְּשִׁמְשָׁא תַּקִּיפָא דְּתֵפֵּק לְמִסַּק בַּאֲסוּוָתָא לְעָלְמָא.

339. דִּכְתִיב וְזָרְחָה לָכֶם יִרְאֵי שְׁמִי שֶׁמֶשׁ צְדָקָה וּמַרְפֵּא בִּכְנָפֶיהָ.

340. וְעוֹד דְּאָנָא יָדְעָנָא דְּאַנְפַּאי נְהִירִין וּמֹשֶׁה לֹא יָדַע וְלֹא אִסְתְּכַל.

341. וְהֹרַ וּמֹשֶׁה לֹא יָדַע כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו.

342. וְעוֹד דְּאָנָא חָמֵי בְּעֵינַי תְּלֵיכַר אִלֵּין גְּלִיפִין קֳמַאי וְנְהִירִין כִּבְוִינִין.

343. וְכַד אִתְפְּרַשׁ כָּל חַד מִנַּיְיהוּ מִפֻּמַּיכוֹן אִסְתְּלַק וְאִתְתְּקַן וְאִתְעַטַּר וְאִתְסְתַּר בְּסִתְּרֵי דִּיקְנָא דְּקַיְּימִי וְתַקִּינִי דִּיקְנָא וְכָל אַחֲרָנִין אִשְׁתְּאַרוּ.

344. וּבְעוֹד דְּכָל חַד מִתְפְּרַשׁ בְּפוּמַּיכוֹן נָהִיר וְאִתְעַטַּר וְיָתִיב כְּמַלְכָּא בְּגוֹ חֵילוֹהִי.

345. וְכַד אִסְתַּיֵּים לְאִתְפְּרָשָׁא

occultatur, & residet inter formas barbæ sanctæ; & sic omnes & singulæ.

§. 346. Alacres estote socii sancti; certè enim in tali statu non erit (*mundus*), usque dum veniat Rex Messias.

סְלִיק וְאִתְעַטַּר בְּעִטְרָא קַדִּישָׁא וְאִתְתַּקַּן וְאִתְמַר וְיָתִיב בְּתִקּוּנוֹי וְיָקִיצָא קַדִּישָׁא וְכֵן לְכָל חַד וְחַד.

346. אִדְרַזּוּ חֲבִרִין קַדִּישִׁין דְּהָא בְּקוּיְמָא דָּא לָא יֵהָא עַד דְּיֵיתֵי מַלְכָּא מְשִׁיחָא.

SECTIO XIV.

De tertia parte Barbæ Macroprosopi.

§. 347. Surge R. Chiskijah alterâ vice.

347. קוּם רַ׳ חִזְקִיָּה תִּנְיָינוּת.

§. 348. Didicimus. Antequam surgeret R. Chiskijah, vox prodiit & dixit: Unus angelus non exequitur duas legationes.

348. תָּנָא עַד לָא קָם רַ׳ חִזְקִיָּה קָלָא נָפַק וְאָמַר אֵין מַלְאָךְ אֶחָד עוֹשֶׂה שְׁתֵּי שְׁלִיחוּיוֹת.

§. 349. Commotus est R. Schimeon, & dixit: Certè singuli (*vestrum*) loco suo [*loquentur, respectu septem inferiorum:*] Ego autem & R. Eleasar filius meus, & R. Abba integram reddemus perfectiorem summam [*totius Decadis.*] Surge R. Chija.

349. אִתְרַגִּישׁ רַ׳ שִׁמְעוֹן וְאָמַר וַדַּאי כָּל חַד וְחַד בְּאַתְרֵיהּ וְאָנָא וְר׳ אֶלְעָזָר בְּרִי וְרִבִּי אַבָּא אֲשַׁתְּלִים שַׁלִּיטָתָא עֵילָאָה · קוּם רַ׳ חִיָּיא.

§. 350. Surrexit R. Chija, & incipiens dixit: [*Jerem. 1. v. 6.*] Eheu Domine Deus, ecce ego non possum loqui, quia puer sum Ego.

350. קָם רַ׳ חִיָּיא פָּתַח וְאָמַר וַאֲמַר אֲהָהּ יְיָ׳ אֱלֹהִים הִנֵּה לֹא יָדַעְתִּי דַּבֵּר כִּי נַעַר אָנֹכִי.

§. 351. An ergò Jeremias non potuit loqui? atqui multi sermones exierunt ex ore ejus, antequam diceret hoc: num ergò mendacium dixit, cùm scriptum est: Ecce non possum loqui?

351. וְכִי יִרְמְיָה לֹא הֲוָה יָדַע וְהָא כַּמָּה מִלִּין נְפָקוּ מִפּוּמוֹי עַד לָא אֲמַר דָּא וְהוּא אֲמַר מַלָּח בְּרִיךְ רְכְתִיב הִנֵּה לֹא יָדַעְתִּי דַּבֵּר.

§. 352. Sed didicimus. Avertat Deus, quod in hunc finem id dixerit; sed sic traditum est: Quænam est differentia inter דִּבּוּר & אֲמִירָה? Amirah seu dictio est, ubi non requiritur elevatio vocis: Dibbur seu locutio verò requirit elevationem vocis & proclamationem verborum.

352. אֶלָּא תָּנָא הַכִּי דַּאוּשׁ אֲמַר עַל דָּא · אֶלָּא הָכִי תָּנָא מִדַּת בֵּין דִּיבּוּר לְאֲמִירָה אֲמִירָה דְּהָא וְלָא בְּעֵי לְאַתְקָפָא קָלָא דִּבּוּר בָּעֵי לְאַתְקָפָא וְלְאַכְרָזָא מִלִּין.

Mantuan. fol. 153.

§. 353.

§. 353. Quia scriptum est [*Exod. 20. v. 1.*] Et eloquutus est Deus omnia verba ista, dicendo.

353. דִּכְתִיב וַיְדַבֵּר אֱלֹהִים אֵת כָּל הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה לֵאמֹר.

§. 354. Et, prout didicimus; Totus mundus audivit hunc sermonem, & totus mundus contremuit. Et propterea scriptum est: Et eloquutus est וידבר & non scriptum est ויאמר: & dixit.

354. וְתָאנָא כָּל עָלְמָא שְׁמָעוּ דְּהַהוּא דִּבּוּר וְכָל עָלְמָא אִזְדַּעְזָעוּ וּבְגִין כָּךְ כְּתִיב וַיְדַבֵּר וְלָא כְּתִיב וַיֹּאמֶר.

§. 355. Sic hoc loco: Ecce non possum loqui, i. e. præconis instar declamando verbum & convincendo mundum per Spiritum sanctum.

355. אוֹף הָכִי כְּתִיב הִנֵּה לֹא יָדַעְתִּי דַּבֵּר לְאַכְרָזָא מִלָּה וּלְאוֹכָחָא בְּרוּחַ קֻדְשָׁא לְעָלְמָא.

§. 356. Si ita res se habet; notandum quod scriptum est: וידבר Et loquutus est Dominus ad Mosen dicendo. Nimirum, quis Prophetarum tàm excelsus fuit ac Moses? Non unquam enim quis hominum tàm dignus fuit ut ille: Iste enim audivit Dibbur elocutionem cum exclamatione præconii, & non timuit, nec tremuit: reliqui verò Prophetæ tremuerunt etiam ad Amirah dictionem & valdè timuerunt.

356. אִי הָכִי הָא כְתִיב וַיְדַבֵּר יְיָ׳ אֶל מֹשֶׁה לֵאמֹר אֶלָּא מַאן הוּא נְבִיאָה עִלָּאָה כְּמֹשֶׁה דְּלָא זָכָה בַּר בַּשׁ כְּוָותֵיהּ דְּהוּא שְׁמַע דִּבּוּר בְּהַכְרָזָה דְּלָא רָחִיל וְלָא אִזְדַּעְזָע וּשְׁאַר נְבִיאִים אִזְדַּעְזָעוּ אֲפִי בַּאֲמִירָה וְרָחִילוּ בְּדַחְלוּ.

§. 357. Et didicimus. Per dispositionem primam Barbæ & secundam, deducioportet ad tertiam: sicut scriptum est [*Job 33. v. 29.*] Ecce id omne operabitur Deus vicibus tribus cum viro.

357. וְתָאנָא בְּתִיקוּנָא קַדְמָאָה דְּזִיקְנָא וְתִנְיָינָא לְאַתְבָּא (סְא לְאַקְפָּא) לְתַלְיִיתָאָה דִּכְתִיב הֵן כָּל אֵלֶּה יִפְעַל אֵל פְּעָמִים שָׁלוֹשׁ עִם גָּבֶר.

§. 358. Et veni vide. Per duas conformationes primas te venire oportet ad tertiam, quia hæc forma tertia est in medio.

358. וְתָא חֲזֵי דְּתַרְוַיְיהוּ תִּקּוּנִין קַדְמָאִין לְמֵיתֵי לְתַלְיִיתָאָה דְּהוּא דְּהוּא תִּקּוּנֵי תַלְיִיתָאָה · מַאֲמַצְעִיתָא.

§. 359. Nam sub naso sub duobus foraminibus prodit semita quædam & pili absunt ab illa semita.

359. דְּתַרְוַיְיהוּ חִוְרִין מִתָּחוֹת וְתַרְוַיְיהוּ נְקִיבִין נָפִיק חַד אָרְחָא וְשַׁעֲרִיא אִסְתָּלָקוּ (סְא אִתְפַּסְקוּ) בְּהַהוּא אָרְחָא.

§. 360. Quare absunt? quia scriptum est [*Mich. 7. v. 18.*] תעבר על פשע Et transiens super prævaricationem. Illa ergo semita præparatur ad transeundum per eam.

360. אֲמַאי אִתְפַּסְקוּ בְּשׁוּם דִּכְתִיב וְתַעֲבֹר עַל פֶּשַׁע וְהַאי אִתְעֲבִידָא אִתְתְּקַן לְאִתְעַבְרָא בֵּיהּ.

§. 361. Et propterea sub foraminibus nasi residet ista semita: & pili non crescunt in illa semita, quia subigit iniquitates.

§. 362. Scriptum enim est: Transiens super prævaricationem, ad dandum transitum ad os sanctum, ut dicat, condonavi.

§. 363. Didicimus. Multa loca vel flagella expectant hoc os; & non uni manifestatur ex illis: tollitur enim & circumdatur: scitur & non scitur.

§. 364. Didicimus in occultatione in libro facta. Quid est, quod adscripta est (*hac in dispositione*) vox פְּשַׁע? si probi sunt; locum habet vox עֲבַר transiens, sin minus; locum habet vox פְּשַׁע prævaricatio.

§. 365. Quid docet (*hac phrasis*) transiens super prævaricationem? שִׁבְעָא influentiam, ut præponatur ש ante פ.

§. 366. Si non sunt probi, stat & non transit in Microprosopum.

§. 367. Quæ differentia est inter hunc & illum? In Microprosopo (*res ita se habet*): hæc semita descendit sub foraminibus nasi ejus; scriptum est [*Num. 12. v. 9.*] Et exarsit ira Domini, & abiit.

§. 368. Quid est, & abiit? quod exiit spiritus iræ de illis foraminibus: & si quem invenit coram se, hic tollitur & non invenitur.

§. 369. Quod innuitur verbis illis [*Jes. 40. v. 7.*] Quoniam spiritus Domini afflat illud.

§. 370. De Macroprosopo autem scriptum est: Transiens super prævaricationem.

§. 371. Et scriptum est [*Job. 37. v. 21.*] Et spiritus transiit & purificavit eos.

364. וְכֵן יִתֵּם תְּחוֹת נִקְבֵי הוֹטְמָא
הַאי אוֹרְחָא וּשְׂעָרָא לָא אִתְרְבֵּי
בְּהַאי אוֹרְחָא מְשִׁים כּוֹבֵשׁ עֲוֹנוֹת.

362. וְכֵתִיב וְעֹבֵר עַל פֶּשַׁע לִשְׁיָרֵית
אַעְבְּרָא עַר (סַא עַל) פְּוּמָא קַדִּישָׁא
דְּיֵיתֵי סְלִיחָתִי.

363. תָּאנָא כַּמָּה עַרְקָמִין מְחַכְּאן
לְהַהִיא פְּגִימָא וְלָא אִתְגְּלִי רָחֵיט
מִנַּיְיהוּ דְּהָא אִסְתְּלַק וְאִתְעֲטַר יְדִיעַ
וְלָא יְדִיעַ.

364. תָּאנָא בְּצִנְעוּתָא Cremonens. col. 252. דִּכְתִיבָא מִדִּי דִכְתִיב פֶּשַׁע.
זְכוּ עֹבֵר לָא זְכוּ פֶּשַׁע.

365. מַאי מַשְׁמַע עֹבֵר עַל פֶּשַׁע.
שִׁבְעָא דְּאַקְדִּים שִׁין לְפֵא.

366. לָא זְכוּ עוֹמֵד וְלֹא עֹבֵר
בּוֹעֵיר אַפִּין.

367. מַאי בֵּין הַאי לְהַאי בּוֹעֵיר
אַפִּין כַּד נָחִית הַהוּא אוֹרְחָא מִתְּחוֹת
נִקְבָא חִטְמוֹי כְּתִיב וַיִּחַר אַף יְיָ בָּם
וַיֵּלֶךְ.

368. מַאי וַיֵּלֶךְ וְכַפִּיךְ רוּחָא דְּרוּגְזָא
מֵאֵבֶן נִקְבֵי וּמַאן דְּאַשְׁכַּח קַשְׁיָדִין
אִיהוּ וְלָא אִשְׁתְּכַח.

369. הַהֲדֵר כִּי רוּחַ יְיָ נָשְׁבָה בּוֹ.

370. בְּאֹרֶךְ אַפַּיִן כְּתִיב עֹבֵר עַל
פֶּשַׁע.

371. וְכֵתִיב וְרוּחַ עֲבָרָה וְטִהֲרָם.

§. 372.

§. 372. Et didicimus. De hoc ita scriptum est: Transiens super prævaricationem in illa semita. de illo [*Ex. 12. v. 23.*] Et transiit ad percutiendam Ægyptum.

§. 373. Beati est portio ejus, qui dignus est hoc. Et hæc est conformatio tertia de semita barbæ venerandæ sanctæ excelsæ Senioris Seniorum.

§. 374. Dixit R. Schimeon: Certè, Deus sanctus, benedictus sit ille, quamplurimum, beneficiet tibi, & protegat te.

§. 375. Et didicimus. Quid est quod scriptum est [*Esa. 60. v. 3.*] Lætando lætabor in Domino? De Sene dierum dicitur. Ille enim est lætitia omnium.

§. 376. Didicimus. Quando manifestatur illa semita Barbæ Senis dierum, omnes autores lamentationis & ejulatûs & executores Judicii absconduntur, & silent, nec est qui aperiat apertura ad nocendum; propterea quod ista semita manifestatur formâ debitâ.

§. 377. Et hinc qui (*os*) tangit, monetque esse tacendum, hanc semitam digito notat: atque id est symbolum denotans Senem sanctum [al. propterea quod ista semita est symbolum silentii. Hinc ille, qui aliquem aspicit & monet ut sileat, hanc semitam tangit, quæ est symbolum &c.]

372. וְתֵן תָּתֵם תָּבֹא כְּתִיב עֹבֵר
עַל פֶּשַׁע בְּהַהוּא אוֹרְחָא תָּתֵם וְעָבַר
יְיָ לִנְגֹּף אֶת מִצְרַיִם.

373. וְזַכַּאי חוּלְקֵיהּ רְמַאן דְּזָכֵי
לְהַאי וְדָא הוּא תְּקוּנָא תְּלִיתָאֵי דִּ
דְּאִרְחָא דְּרִיקְנָא יְקִירָא קַדִּישָׁא
עַלָּאָה עַתִּיקָא דְּעַתִּיקָא.

374. אָמַר רָשִׁ וְדַאי דַּקְבָה יְסַגֵּא
לְאִסְתַּבָּא לָךְ וְיִחֲרֵי לְאַגָּנָא עָלָךְ.

375. וְתָאנָא מַאי דִּכְתִיב שׁוֹשׂ
אָשִׂישׂ בְּיָ בְּעִתִּיק יוֹמִין אִתְמַר דְּהָא
הוּא חֶדְוָתָא דְּכֹלָּא.

376. תָּאנָא בְּשַׁעְתָּא דְּאִתְגְּלֵי הַאי
אוֹרְחָא דְּרִיקְנָא דְּעַתִּיק יוֹמִין כְּלְהוּ
מָארֵי דִּיבָבָ וְוִילָלָה וּמְאָרִיהוֹן דְּוִינָא
סְתִימִין וְשָׁתְקִין וְלֵית דְּיִפְתַּח פּוּמְרָא
לְאַבְאָשָׁא מְשִׁים דְּהַאי אוֹרְחָא
אִתְגְּלְיָא לְתַקָּנָא.

377. §. יְמַהַאי מַאן דְּאַחֵיר וְאַחֵיד
וְאָמַר מְשִׁים דְּהַאי אוֹרְחָא סִימָנָא
לְשַׁתְּקוּתָא וּמַהַאי הוּא מַאן דְּאַחֵיד
וְאָחֵיר) לְשַׁתְּקָאָה לְהַאי אוֹרְחָא
רְשִׁים דְּהוּא סִימָנָא דְּעַתִּיקָא
קַדִּישָׁא.

SECTIO XV.

De parte quarta Barbæ Macroprosopi.

§. 378. Conformatione quartâ disponitur pilus, & descendit sub ore ejus à principio uno ad principium alterum.

378. תִּקּוּנֵי דְּבִיעָאָה מִתְתַּקַּן שַׂעְרָא
וְנָחִית תְּחוֹתֵי פִּימֵיהּ מֵרֵישָׁא חָדָא
לְרֵישָׁא חָדָא.

§. 37.

§. 379. Id innuitur, [*in dicto Micha*] verbis לִשְׁאֵרִית נַחֲלָתוֹ Residui hæreditatis suæ.

379. הוֹדֵר לִשְׁאֵרִית נַחֲלָתוֹ.

§. 380. Sicut dicitur [2. *Reg.* 19. *v.* 4.] Et levabis orationem pro residuo invento. Ubi omne quod invenitur sive extat revera, appellatur residuum.

380. כְּרֹא וְנָשֵׂאתָ תְּפִלָּה בְּעַד הַנִּמְצָאת הַנִּמְצֶאֶת מַמָּשׁ שְׁאֵרִית.

§. 381. Scriptum enim: [*Zeph.* 3. *v.* 13.] Residuum Jisraël non faciet iniquitatem.

381. הַכָּתוּב שְׁאֵרִית יִשְׂרָאֵל לֹא תַּעֲשֶׂה עַוְלָה.

SECTIO XVI.

De parte quinta Barbæ Macroprosopi.

§. 382. Conformatio quinta. Egreditur semita alia sub ore. Istud est quod scriptum est [*in dicto Micha*] לֹא הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ Non tenuit in perpetuum iram suam. Surge R. Jose.

382. תִּקּוּנִי חֲמִישָׁאָה נָפִיק אוֹרְחָא אָחֳרָא מִתְּחוֹת פּוּמָּא הַהוּא דִּכְתִיב לֹא הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ קוּם ר׳ יוֹסֵי.

§. 383. Surrexit R. Jose, exorsusque dixit: [*Psal.* 143. *v.* 15.] Beatus populus cui sic; beatus populus cujus Dominus Deus est.

383. קָם ר׳ יוֹסֵי פָּתַח וְאָמַר אַשְׁרֵי הָעָם שֶׁכָּכָה לּוֹ אַשְׁרֵי הָעָם שֶׁיְיָ׳ אֱלֹהָיו.

§. 384. Beatus populus, cui sic. Quid est לוֹ שֶׁכָּכָה cui sic? sicut dicitur [*Esther.* 7. *v.* 10.] Et ira Regis שָׁכְכָה quievit; id est, quievit ab iracundia sua.

384. אַשְׁרֵי הָעָם שֶׁכָּכָה לּוֹ מַהוּ שֶׁכָּכָה לּוֹ כְּמָה דְּאַתְּ אָמַר וְחֵמַת הַמֶּלֶךְ שָׁכָכָה שָׁכַךְ מֵרוֹגְזוֹ.

§. 385. Expositio alia: Sedavit per iram suam: quod innuitur his verbis [*Num.* 11. *v.* 15.] Et si ita tu facias mihi, occide me quæso occidendo, si inveni gratiam in oculis tuis.

385. דְּאִי שָׁכַךְ בִּרְגִזוֹיֵה תְּהֹךְ וְאִם כְּכָה אַתְּ עֹשֶׂה לִי וגו׳.

§. 386. Occide me quæso occidendo: hoc est judicium judicii. Sed Beatus populus, cujus Dominus est Deus, miserationes miserationum.

386. תְּרַגֵּנִי נָא תַּרוֹג דָּא הוּא דִּינָא דְּדִינָא אַשְׁרֵי הָעָם שֶׁיְיָ׳ אֱלֹהָיו רַחֲמֵי דְּרַחֲמֵי.

§. 387. Expositio alia: שֶׁכָּכָה nomen est, quod includit omnia Nomina, juxta quod Sanctus ille Benedictus transire facit iram suam, & quiescere facit Microprosopum, & è medio tollit omnia illa extranea.

387. דָּא שֶׁכָּכָה שְׁמָא דְּכָלִיל כָּל שְׁמָהָן וְקָכָה מֵעֵבֶר הַגְּזֵרָה וְאַכְתִּי לֵיהּ לְעֵיר אַפֵּין וּמַעֲבִיר עַל כָּל אִינּוּן דִּלְבַר.

§. 388. Didicimus per Barajetham (*seu traditionem extra Urbem sanctam editam:*) Semita illa conformationis sanctæ superioris Senioris Seniorum, quæ descendit in barbam sub foraminibus nasi; & hæc semita inferior, æquales sunt in omnibus: modò quod illa supra, hæc infra sit: & superior vocatur Transiens super prævaricationem; inferior (*autem*); Non tenuit in perpetuum iram suam.

388. דְּתַנְיָא אָרְחָא דְּתַקִּינָא קַדִּישָׁא עִלָּאָה עַתִּיקָא דְּאִידּוּ נְחִית בְּרִיקָנָא תְּחוֹת נִקְבֵי דְּזוּטְמָא וְהַאי אָרְחָא דִּלְתַתָּא שְׁקִילָן אִינּוּן בְּכֻלָּא דָּא לְעֵילָּא וְדָא לְתַתָּא לְעֵילָּא עֵיבֵר עַל פִּשְׁעָא לְתַתָּא לֹא הֶחֱזִיק לָעַד אַפּוֹ.

§. 389. Didicimus. Non tenuit, i. e. non est locus residendi. Sicut superius datur locus ad tollendum: ita inferiùs locus datur ad tollendum.

389. וְתַנְיָנָן לֹא הֶחֱזִיק דִּלְא אִית אֲתַר לְמֵיתֵי כְּמָה דִּלְעֵילָּא יְהֵיב אֲתַר לְאַעְבָּרָא כָּךְ לְתַתָּא יְהֵיב אֲתַר לְאַעְבָּרָא.

§. 390. Didicimus. Ubicunque in hoc Seniore occultissimo omnium semita detegitur, bonum est omnibus inferioribus: apparet enim consilium ad benefaciendum omnibus.

390. תַּנְיָא בְּכָל אֲתַר דְּבְהַאי עַתִּיקָא טְמִירָא דְּכֻלָּא אִתְחָזֵי אִתְגְּלְיָיא טַב לְכֻלְּהוּ דְּלְתַתָּא דְּהָא אִתְחֲזֵי עֵיטָא לְמֶעְבַּד טַב לְכֻלְּהוּ.

§. 391. Ubi verò absconditur, & non detegitur, non est consilium, nec est qui cognoscat illum, nisi ipse solus.

391. מַאן דְּסָתִים וְלָא אִתְגְּלְיָיא לֵית עֵיטָא וְלֵית מַאן דְּיָדַע לֵיהּ אֶלָּא הוּא בִּלְחוֹדוֹי.

§. 392. Veluti de Eden summo nemo scit, nisi ipse Senior Seniorum.

392. כְּמָה דְּעִדֶּן עִלָּאָה לֵיהּ וְיָדַע לֵיהּ אֶלָּא הוּא עַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין.

§. 393. Et de hoc scriptum est: [*Psal.* 92. *v.* 6.] quàm magnificata sunt opera tua, Domine, valdè profundæ sunt cogitationes tuæ.

393. וְעַל דָּא כְּתִיב מָה גָּדְלוּ מַעֲשֶׂיךָ יְיָ׳ מְאֹד עָמְקוּ מַחְשְׁבוֹתֶיךָ.

§. 394. Dixit R. Schimeon: Opera tua in mundum venturum à Seniore Seniorum in ordinem redigantur.

394. אָמַר ר׳ שִׁמְעוֹן עוֹבָדָךְ לְעָלְמָא דְּאָתֵי מִמֵּעַם עַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין.

SECTIO XVII.

De parte sexta Barbæ Macroprosopi.

§. 395. Conformatione sexta concinnatur pilus & ascendit ex imo sursum, & tegit arcolas aromatis optimi usque ad principium oris superius; & descendit pilus à principio in

395. הַקּוּנִי שִׁתָּאָה מִתְתַּקַּן שִׁעְרָא וְסָלִיק מֵרֻעָא לְעֵילָּא וְחַפֵּי תִּקְרוּבָתָא דְּבוּסְמָא טָבָא עַד רֵישָׁא

principium aperturæ semitæ inferioris oris. Surge R. Jesa, & expone conformationem hanc.

§. 396. Surrexit R. Jesa, incepitque & dixit: [*Jes.54.v.10.*] Et benignitas mea à te non recedet.

§. 397. Et scriptum est [*ib.p.8.*] Et in benignitate olam seu seculi misertus sum tui.

§. 398. Hi versus contrariantur ne sibi? Non contrariantur. Didicimus enim. Datur Benignitas [*unius generis*] & iterum datur benignitas alia. Est enim alia benignitas interna, & alia benignitas externa.

§. 399. Benignitas interna est, quam diximus de Seniore Seniorum: & illa abscondita est in hac parte barbæ, quæ dicitur angulus barbæ.

§. 400. Nec decet ut homo corrumpat hanc partem propter hanc benignitatem internam Senis dierum.

§. 401. Et propterea de Sacerdote inferiori scribitur [*Lev.21.v.5.*] Non decalvabunt calvitiem suam in capite suo, & angulum barbæ suæ non radent.

§. 402. Quare? ne corrumpant semitam benignitatis Senioris. Nam sacerdos etiam ad hanc partem pertinet.

§. 403. Et didicimus in occultatione libri: Ubique opus est ut benignitati procuretur incrementum & ut ædificetur: & hæc non est præscindenda, nec è mundo tollenda.

§. 404. Illud est, quod scriptum est: Et benignitas mea à te non recedet. Benignitas nempe Senis dierum.

§. 405. [*Cùm autem dicitur in altero textu*] Et in benignitate עולם sive seculi: [*sensus hic est*] Benignitas quæ dicitur Benignitas Olam i. e. seculi, est altera; de qua scriptum est: [*Psal.89.v.3.*] Dixi, seculum benignitate ædificabitur.

§. 406. Et hæc Benignitas Senioris Seniorum est Benignitas veritatis. Et benignitas veritatis non de vita corporis dicitur, sed de vita animæ.

§. 407. Et propterea scriptum est [*Mich. 7.v.18.*] quoniam Benignitatem vult ipse. Hæc est Conformatio sexta barbæ venerandæ Senioris Seniorum.

SECTIO XVIII.

De parte septima Barbæ Macroprosopi.

§. 408. Conformatio septima est, ubi deficit pilus, & apparent duo poma in areolis aromatis, pulchra & jucunda aspectu. Cremonens. fol. 64. col. 233.

§. 409. Incepit R. Schimeon & dixit: [*Cant.2.v.3.*] Sicut malum inter arbores sylvæ, ita dilectus meus inter filios!

§. 410. Quid est malum? (sicut) hoc in se habet tres colores: ita Sancti benedicti duo poma continent sex colores.

§. 411. Et duo poma ista, quæ sunt forma septima, complectuntur omnes sex conformationes, de quibus dictum est.

§. 412. Et de illis verificatur locus ille [*Prov.16.v.15.*] In luce faciei Regis vita.

§. 413. Et didicimus. Ex illis pomis egreditur vita pro mundo, & exhibetur gaudium

Microprosopo; sicut scriptum est [*Num. 6. v. 24.*] Lucere faciat Dominus vultum suum super te.

§. 414. Et scriptum est: In luce faciei Regis vita. In luce faciei Regis. Ista sunt duo poma areolarum aromaticarum, de quibus diximus.

§. 415. Lucere faciat Dominus vultum suum super te. Facies hîc intelligitur exterior, quæ cum lucet, benedicitur mundo.

§. 416. Et didicimus. Quocunque tempore illæ lucernæ exteriores fulgent, toti mundo benedicitur, & non invenitur ira in mundo.

§. 417. Et si illæ exteriores, multò magis hæc duo poma, quæ lucent semper, quæ lætantur semper, (*id efficient.*)

§. 418. Traditio extra urbem edita. Cum deteguntur duo poma illa Microprosopus apparet in lætitia; omnes enim illæ lucernæ inferiores in lætitia sunt: Et omnia illa inferiora fulgent, & omnes mundi gaudent, & perficiuntur omni perfectione, & omnia gaudent, & lucent, & nullum bonum deficit, omnia implentur tempore uno, omnia lætantur eodem tempore.

§. 419. Veni, vide. Facies exterior aliquando fulget, aliquando obscuratur: & propterea scriptum est: Lucere faciat Dominus faciem suam super te. Et [*Psal 67. v. 2.*] Illuminet faciem suam nobiscum Selah.

§. 420. Unde (*discimus*) quod non semper sit (*lumen osa*) sed quando deteguntur poma superiora.

§. 421. Traditione didicimus. Illa poma occulta lucent & alba sunt semper: & ex illis

דִּבְּרִיב וְאַד יְיָ פְּנָיו אֲלֵיךְ׃

414. וּכְתִיב בְּאוֹר פְּנֵי מֶלֶךְ חַיִּים
בְּאוֹר פְּנֵי מֶלֶךְ אִלֵּין אִינִין תַּרְיִן
דְּתַיְיחִין דְּתַקְרִיבָא דְּבִיסְמָא דְּאִינְמָא׃
415. יָאֵר יְיָ פָּנָיו אֵלֶיךָ פָּנִים דְּלְבָר
וְכִי נְהִיר מִתְבָּרֵךְ עָלְמָא׃
416. וְתָאנָא כָּל זִמְנָן דְּהִנֵּי בְּצִינֵי
דְּלְבָר נְהִירִין כָּל עָלְמָא מִתְבָּרֵךְ וְלָא
אִשְׁתְּכַח רוּגְזָא בְּעָלְמָא׃
417. וּמַה אִי הִנֵּי דְּלְבָר כַּךְ תַּרְיִן
דְּתַיְיחִין דְּנְהִירִין תְּדִירָא וְדַחֲדָאן תְּדִירָא
שַׁאנֵי׃
418. תָּנְיָא כַּד אִתְגַּלְיָין תַּרְיִן
דְּתַיְיחִין אִלֵּין אִתְחֲזֵי זְעִיר אִפִּין
בְּחֶדְוָתָא וְכָל אִינִין בְּצִינֵי דְּלְתַתָּא
בְּחֶדְוָתָא וְכָל אִינִין דְּלְתַתָּא נְהִירִין
וְכָל עָלְמִין חֲדָאן וְשָׁלְמִין מִכָּל
שְׁלִימוּתִין וְכוּלָּא חֲדָאן וְנְהִירִין וְכָל
טִיבוּ לָא פְּסִיק · כָּלְהוּ אִתְמַלְיָין
בְּשַׁעְתָּא חֲדָא כָּלְהוּ חֲדָאן בְּשַׁעְתָּא
חֲדָא׃
419. תָּא חֲזֵי פְּנִים דְּלְבָר אִיהֵי זִמְנִין
דְּנְהִירִין וְאִיהֵי זִמְנִין דְּחַשְׁוֹכָאן וּבְגִין
כְּךָ יָאֵר יְיָ פָּנָיו אֵלֶיךָ · יָאֵר פָּנָיו
אִתָּנוּ סֶלָה׃
420. מִכְּלָל דְּלָא הֲוֵי תְּדִירָא
אֶלָּא מַר אִתְגַּלְיָין דְּתַיְיחִין דְּסְתִימִין
נְהִירִין וְחִוְורִין תְּדִירָא וּמִנַּהּ נְהִירִין

radii

radii prodeunt in trecenta septuaginta latera; & omnes conformationes sex priores barbæ in eis includuntur.

§. 422. Istud est quod dicitur [*Mich. 7. v. 18.*] Revertetur, miserebitur nostri. Revertetur sive iterum; inde observatur quod aliquando occultentur, aliquando detegantur: quare dicitur: Revertetur & miserebitur nostri.

§. 423. Et in illo, qui inferior est (*huic formæ respondet*) Nomen אמת Veritas. Hæc est forma septima, quæ includit priores sex, in duobus pomis Senioris Senioris.

לְהַלְּת מְאָה וְשִׁבְעִין עִיבּוּר וְכָל שִׁיתָּא
תִּקּוּנִין דְּרַתְמָאִין דְּבְרִיקָנָא בֵּיהּ כְּלִילָן׃
422. הֵשִׁיב יְרַחֲמֵנוּ · יִכְבֹּשׁ
מִכְּלָל דְּחָמְנִין טְמִירִין דְּחָמְנִין אִתְגַּלְיָין
הֵשִׁיב יְרַחֲמֵנוּ׃
423. וּבְהַאי דְּלְתַתָּא הוּא אֱמֶת יְהָא
הוּא תִּקּוּנָא שְׁבִיעָאָה דְּכָלִיל שִׁתָּא
בְּתַרִין פַּתְיִחִין דְּבְעַתִּיקָא Mantuan. fol 134.
דְּעַתִּיקִין׃

SECTIO XIX.

De parte octava Barbæ Macroprosopi.

424. תִּקּוּנֵי תְּמִינָאָה נָפֵק חַד
חוּטָא דְּשַׁעֲרִי סִיחֲרָנִיוּת דְּרִיקָנָא
וְתַלְיָין בְּשִׁקּוּלָא עַר טְבִיעָא · קוּם רְ
אֶלְעָזָר בְּרִי אַתְקִין תִּקּוּנִי דָּא׃
425. קָם רְ אֶלְעָזָר בְּרֵיהּ פָּתַח וְאָמַר
הַכָּל תָּלוּי בְּמֹחַל וְאַפֵּי סְתִים בְּחֵיכַל ·
מִלָּה דָּא אוֹקִימְנָא בְּסִפְרָא דְּצְנִיעוּתָא
וְהָכִי קָאָמַר׃
426. וְכִי תֵּיכַל תָּלוּי בְּמֹחַל · וּתְיֵינָן
סְתִים קֹדֶשׁ וְגַרְמֵהּ קֹדֶשׁ וְהֵיכָל קֹדֶשׁ׃
427. וּכְתִיב וְקָרָא זֶה אֶל זֶה וְאָמַר
קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ אֵינוֹ וְסֵפֶר תּוֹרָה
לְקַבְּלִיהוֹן גַּרְמֵהּ קֹדֶשׁ וְהֵיכָל קֹדֶשׁ
וְהוּא קֹדֶשׁ׃
428. וְתוֹתֵרָה נָתְנָה בְּנֵי קְרִישׁוּרָה
בְּנֵי מַעֲלוֹת בַּיָּמִים שֶׁל שְׁוָה שְׁבִיעִיּוֹת

quæ sunt, tabulæ, & area, & templum; adeoque & ipsa à libro Legis dependet: & ille dependet ab influentia.

§. 429. Et (*tamen*) scriptum est [*Jer.10.v.2.* A signis (sive influentiis) cœlorum ne cõsternemini. Quod si illa in sanctitate sunt, quomodo possunt dependere ab influentia.

§. 430. Sed ita statuimus in libro Occultationis. Hoc filum venerandum sanctum, à quo omnes pli barbæ dependent, dicitur influentia. Quare? propterea quod omnes Sanctitates Sanctitatum omnium Sanctitatum ab illa influentia dependent.]

§. 431. Et in Librum Legis quamvis ille sanctus sit, nõ cadunt decem Sanctitates, donec afferatur in templum. Postquam verò allatus est in templum, dicitur sanctus decem Sanctitatibus.

§. 432. Eodem modo ut supra se res habet. Ubi non dicitur templum nisi cum sociatæ sunt decem sanctitates.

§. 433. Et didicimus. Omnia dependent ab influentia, quæ est filum illud, à quo omnes pili dependent.

§. 434. Cur dicitur influentia? quia ab ea dependent influentiæ, & influentiæ influentiarum: & ab ea (*veniunt*) supera & infera.

§. 435. Et propterea illa dependet, & in ea pendent omnes res mundi, superæ & inferæ; imò etiam Liber Legis, qui in templo est, & coronatur decem sanctitatibus, non exceptus est hinc cum cæteris sanctis: & omnia dependent ab ea.

§. 436. Et qui aspicit illam formam coram illo subiguntur & inflectuntur [*al. addunt pec-*

בְּשֶׁלֹשׁ לְוֻחוֹת וְאַרוֹן וְהֵיכָל בִּשְׁת
תַּלְיָא וְאִיהִי תַּלְיָא בְּמֹחָא׃

435. וְכַתִּיב וַגְּאוֹתוֹ הַשְּׁמִים אֶל
תַּחְתִּי וְטַאן דְּאִיהִי בְּקֻדְשֵׁיהֶם תַּלְיָא
לְהֵוֵי תַּלְיָא בְּמֹחָא׃

436. אֱלֹהָ חַכְמָא אוּקְמוּהָ בִּסְפְרָא
דְּצְנִיעוּתָא דְּאִי חִטְיָא וְקָרְיָא קְדִישָׁא
וְכָל שַׁעֲרֵי דְּדִיקְנָא תַּלְיָן בִּידָהּ
אִתְקְרֵי מֹחָא׃ מַטֵּי מְשׁוּם דְּכָל קְדוּשֵׁי
קְדִישִׁין דְּקִדְשַׁיָּיא בְּהַאי מֹחָא
תַּלְיָן׃

437. וְכַד אִתְּגַּלְיָא דְּאִיהִי קְדוּשׁ לָא
חֲל עֲלַיְהּ עֶשֶׂר קְדִישִׁין עַד דְּעַיְּיל
לְהֵיכָל בֵּין דְּעַיְּיל לְהֵיכָל אִתְקְרֵי
קָדוּשׁ בְּעֶשֶׂר קְדוּשׁוֹת׃

438. כְּעוֹבָא דְּלֵילָא דְּלָא אִתְקְרֵי
הֵיכָל אֶלָּא כַּד אִתְתַּקַּן עֶשֶׂר
קְדוּשׁוֹת׃

439. וְתָאנָא הָכָל תַּלְיָא בְּמֹחָא דְּאִיהִי
הַאי חוּטָא וְכָל שְׁעָרִין תַּלְיָן בֵּיהּ׃

440. אִמַּאי מֹחָא מְשׁוּם דְּמַנְבַּע
תַּלְיָן מֹחָא וּמֹחָא וּמְנַבַּע עִלָּאִין
וְתַתָּאִין׃

441. וְכַמָּה אִינּוּן תַּלְיָא וְכִיוָן תַּלְיָן
מַלֵּי דְּעִלְּמָא עִלָּאִין וְתַתָּאִין וְאִפֵּי
כָּל שֶׁבְּהֵיכָל דְּמַתְעַטְּרִין בְּעֶשֶׂר
קְדוּשׁוֹת לָא נָפְקִין מִכְּלָלִיּוֹת עִם שְׁאָר
קְדִישִׁין וְכוּלְהוּ תַּלְיָן בְּהַאי׃

442. וְתָאנָא דְּחָכְמֵי לְהַאי תִּקּוּנָא

cata] juxta id quod scriptũ est: יִכָּבֵשׁ עֲוֹנוֹתֵינוּ: subjiciet iniquitates nostras.

§. 437. Dixit ipsi R. Schimeon: Benedictus sis, filiũ, Sancto Sanctorum, Seniori præ omnibus.

SECTIO XX.

De parte nona Barbæ Macroprosopicæ.

§. 438. Conformatio nona: Miscentur pili cum illis pilis, qui dependent, nec unus præminet alteri: Surge R. Abba.

§. 439. Surrexit R. Abba & dixit: Isti sunt pili illi, qui miscentur cum his, qui dependent, vocanturque profunda maris, quia exeunt de superfluitatibus cerebri.

§. 440. Et ex illo loco ejiciuntur omnes Domini ea ctores debitorum humanorum & subiguntur.

§. 441. Dixit R. Schimeon: Benedictus sis à Sene dierum.

SECTIO XXI.

De parte decima & undecima Barbæ Macroprosopi.

§. 442. Conformatio decima. Descendunt pili sub barba, & integunt guttur sub barba. Surge R. Jehuda.

§. 443. Surrexit R. Jehuda, incepitque & dixit: [*Jes.2.v.19.*] Et introibunt in speluncas petrarum, & in cavitates terræ à facie formidinis Domini exercituum, & à gloria altitudinis ejus, cùm ille surget ad excutiendam terram.

Cremonenſ. fol. 64. col. 254.

§. 444. A facie formidinis Domini: notum sane est, quod ille qui exterior est, formido Domini vocetur:

444. מִפְּנֵי פַּחַד יְיָ הוּא אִתְיְדַע
דְּמַאן דְּאִיהוּ פַּחַד יְיָ אִתְקְרֵי.

§. 445. Et à gloria altitudinis ejus. Isti sunt pili sub barba, & vocantur, gloria altitudinis ejus.

445. וּמִיתָּרֵי גַּאוּתוֹ אִינוּן שְׂעָרֵי
דְּתַחוֹת דִּיקְנָא וְאִתְקְרוּן הָדָר גַּאוּתוֹ.

§. 446. Duæ *(autem concurrunt)* Dabis veritatem Jacobo: *(quæ est decima.)*

446. תִּתֵּי תִּתֵּן אֱמֶת לְיַעֲקֹב.

§. 447. Et undecima, quod non præmineat pilus præpilo, Misericordiam Abraham.

447. וְחַד סַר דְּלָא נִפְקָא נִיצָא
מִן נְיָמָא·חֶסֶד לְאַבְרָהָם:

SECTIO XXII.

De parte duodecima Barbæ Macroprosopi:

§. 448. Conformatio duodecima est, quod pili non pendent super os, & os vacuum est ex omni parte, & pili pulchri circumcirca illud: ne inveniatur molestia, sicut necessarium est.

448. תִּקּוּנָא דְּתְרֵיסַר דְּלָא תַלְיָן
שְׂעָרֵי עַל פּוּמָא וּפוּמָא אֲתָבֵי מִכָּל
סִטְרִין וְאִין שְׂעָרֵי סְחוֹר סְחוֹר לֵיהּ
בְּגִין דְּלָא אִשְׁתְּכַח טַרְחוּתָא כְּמָה
דְּאִצְטְרִיךְ.

§. 449. Molestia *(autem)* in quo consistit? Nimirum dici solet: Si judicium est in loco judicii [al. si judicium sequitur post judicium] molestia oritur.

449. טַרְחוּתָא בְּמַאי קָא מְיַירֵי
דְּיָנָא בְּאַתְרֵי דְּיָנָא טַרְחוּתָא אִשְׁתְּכַח.

§. 450. An ergo pili barbæ molestia sunt aut judicium sunt? atqui organa [al. omnes] misericordiæ esse videntur.

450. וְכִי שְׂעָרֵי דְּדִיקְנָא טַרְחָא
אִינוּן אוֹ דִּינָא אִינוּן וְהָא כְּלֵי רַחֲמֵי
אִתְּמָנוּ.

§. 451. Nimirum id propterea dicitur, quod non molesti sint efflatui Spiritus ad Microprosopum.

451. אֶלָּא דְּלָא אִתְעַרְעַר בִּישׁוּבָא
(סַ"א בְּנְשׁוּבָא) דְּרוּחָא דְּזַעֲיר אַפִּין.

§. 452. Didicimus enim, quod ex illo ore sancto excelso Sancti Sanctorum effletur Spiritus.

452. וְתָאנָא מִתַּמָּן פּוּמָא קַדִּישָׁא
עִלָּאָה קֹדֶשׁ קָדָשִׁים נְשִׁבָא רוּחָא.

§. 453. Quis Spiritus? Spiritus, qui effunditur in eum [al. qui adhæret ei,] ut eo vestiatur; sc. Microprosopus.

453. מַאי רוּחָא וְאִיתְתַּרְכָּ
(סַ"א דְּאִיתְדַּבַּק) בֵּיהּ דְּאִתְלַבַּשׁ בֵּיהּ
וְזַעֲיר אַפִּין.

§. 454. Et illo Spiritu vestiuntur omnes, qui inferius sunt. Et cùm Spiritus ille exit, tunc di-

454. וּמִתַּמָּן רוּחָא מִתְלַבְּשִׁין כָּל

viditur

viditur in 37000 latera, quorum quodlibet solum expanditur in locum suum.

§. 455. Et quilibet qui dignus est vestiri, ab illo vestitur.

§. 456. Et propterea pili non inveniuntur super os sanctum, quia Spiritus ejus exit; nec oportet aliud quid misceri cum eo & appropinquare ei.

§. 457. Et illud occultatum est maximè, quod *(ipse)* non adhæresci aliquid nec sursum nec deorsum vergens: & ipsum est absconditum in occulto occultorum, ut sciri nequeat.

§. 458. Istud verò non formatum est, nec est in eo dispositio.

§. 459. Et propterea Spiritus ille, qui procedit ad exteriora, & quò vestiuntur Prophetæ veri, dicitur Os Domini.

§. 460. Sed in hoc Seniore Seniorum non exponitur, nec est qui sciat Spiritum ejus, præter eum ipsum.

§. 461. Et propterea pili ejus æquales sunt circa os; & hoc nudatum est ab omni parte.

§. 462. Et in hoc confisi sunt Patres nostri, ut vestirentur illo Spiritu, qui expanditur in multa latera in loco, quo omnes pili æquales sunt circumcirca.

§. 463. Hoc est illud quod scriptum est in loco Michæ: quam juraſti Patribus nostris.

§. 464. Et hæc est conformatio san-

455. וְכָל מַאן דְּאִתְחֲזֵי לְאִתְלַבְּשׁ
מִנֵּיהּ אִתְלַבַּשׁ.

456. וְעַל דָּא שְׂעָרִין לָא אִשְׁתְּכָחוּ עַל
פּוּמָא קַדִּישָׁא מִשּׁוּם דְּרוּחֵיהּ נָפִיק וְלָא
בָּעֵי מִלָּה אַחֲרָא לְאִתְעָרְבָא בֵּיהּ וּלְקָרְבָא
בָּהּ.

457. וְדָא הִיא טְמִירוּתָא דְּכֻלָּא דְּלָא
אִתְדַּבַּק לָא לְעֵילָא וְלָא לְתַתָּא וְהִיא
סָתִים בְּסָתִימָא דְּסָתִימִין דְּלָא אִתְיְדַע.

458. דָּא הִיא דְּלָא אִתְתָּקַן וְלָא הֲוָה
בֵּהּ תִּקּוּנָא.

459. וּבְגִין כָּךְ רוּחָא דְּנָפִיק לְבַר
וּמִתְלַבְּשִׁין בֵּיהּ נְבִיאֵי מְהֵימְנֵי אִתְקְרֵי
פֻּם יְיָ.

460. אֲבָל בְּהַאי עַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין לָא
אִתְפָּרַשׁ וְלֵית מַאן דְּיָדַע רוּחֵיהּ בַּר אִינּוּן.

461. וּבְגִין כָּךְ שְׂעָרוֹי שְׁקִילִין סְחוֹרָנִיָּה
דְּפוּמָא וְאִתְפַּנֵּי מִכָּל סִטְרוֹי.

462. וּבְהַאי אִתְרַחִיצוּ אֲבָהָתָנָא
לְאִתְלַבְּשָׁא בְּהַאי רוּחָא דְּסָתְפַּשְׁט לְכַמָּה
עִבְרִין בַּאֲתַר דְּכָל שְׂעָרֵי שְׁקִילִין
בְּסִחוֹרָנָא.

463. דָּא הוּא דִּכְתִיב אֲשֶׁר נִשְׁבַּעְתָּ
לַאֲבוֹתֵינוּ.

464. וְדָא הוּא תִּקּוּנָא קַדִּישָׁא עִלָּאָה

cta excelsa dodecadum; è qua catenatim dependent 12 termini suprà, & 12 termini intrà: 12 termini secundum 12 tribus Patrum.

§. 465. Istud est quod scriptum l. c. Quam juraſti Patribus noſtris.

דְּתַרְיסַר דְּמִכָּאן אִשְׁתַּלְשְׁלוּ כ״ם תְּחִיסִין
לְעֵילָּא · וְיֵ״ב תְּחִיסִין לְתַתָּא · כ״ם תְּחִיסִין
וְיֵ״ב שִׁבְטֵי אַבְהָתָא.

465. הַדָּא הוּא דִּכְתִיב אֲשֶׁר נִשְׁבַּעְתָּ לַאֲבוֹתֵינוּ:

SECTIO XXIII.

De parte decima tertia Barbæ Macroprosopi.

§. 466. Conformatio decima tertia. *Pili*, qui sub barba hinc & inde pendent in dignitate pulchra, & in dignitate decora, & tegumentum præbent usque ad ſerobiculum, & nihil videtur de facie areolarum aromaticarum, præter illa poma pulchra alba.

466. תִּקּוּנֵי דְּתַלְיסַר תִּלִּין שַׂעֲרֵי
דְּתוֹתְבֵי דִּיקְנָא מִכָּאן וּמִכָּאן בִּיקָרָא יְאָה
וּבִיקָרָא שְׁגִיאָה וְחָפְיָן עַד טַבּוּרָא וְלָא
אִתְחֲזֵן מֵאִנְפֵּי תַּרְסִיכָא דְּבוּסְמָא כַּר
אִיתֵּן הַפּוֹחִין שְׁפִירִין דִּלְעֵילָּא.

§. 467. Dixit R. Schimeon: ô quam beata est portio ejus, qui invenitur in hac Synodo ſancta excelsa, in qua nos ſumus! Beata est portio ejus in mundo hoc & in mundo venturo.

467. אָמַר רִבִּי שִׁמְעוֹן חוּלְקֵיהּ
דְּמַאן דְּאִשְׁתְּכַח בְּהַאי אִדְרָא קַדִּישָׁא
עִלָּאָה דְּאַנְתּוּן בֵּיהּ זַכָּאָה חוּלְקֵיהּ בְּעָלְמָא
דֵּין וּבְעָלְמָא דְּאָתֵי

§. 468. Nos enim ſedemus in ſanctitate excelsa, quæ (al. leg. in igne excelso, qui) circundat nos.

468. דְּאֲנַן יָתְבִין בְּקוּדְשָׁא עִלָּאָה
וְאִסְתַּחַר לָן כְּמָה דְּאִית אֶשָׁא עִלָּאָה
אִסְתַּחַר לָן:

§. 469. Et omnes istæ formæ excelsæ in formam Barbæ ſanctam coordinantur & coronantur & circumcircà locantur in loca ſua.

469. וְהַאי כָּל תִּקּוּנִין עִלָּאִין לְדִיוּקְנָא
דִּיקְנָא קַדִּישָׁא אִתְתַּקַּנוּ וְאִתְעַטְּרוּ
וְאִסְתַּחֲרוּ לְאַתְכָּיְידוּתֵי.

§. 470. Et hæc conformatio decima tertia est dispositio pulchra, quæ tantum excitat in se desiderium, ut caput erigendum sit versus eam.

470. וְהַאי תִּקּוּנָא דְּתַלְיסַר הוּא תִּקּוּנָא
יָאֶה דְּכָל דִּיוֹקְנָא אִתְחֲזֵן כְּסוּפָא לְמִקַּף רֵישָׁא
לְקַבְלֵיהּ.

§. 471. Ab ea dependent omnia illa, quæ in Microprosopo comprehenduntur: Ab ea dependet supera & infera.

471. מִנַּיְיהוּ תַּלְיָין כָּל אִינּוּן דְּבָעֵיר
אִפֵּין אִחִידָן · מִנַּיְיהוּ תַּלְיָין עִלָּאִין וְתַתָּאִין

§. 472. Hæc est forma perfectionis, quæ consummat omnes dispositiones, quæque perficit omnia.

472. דָּא הוּא תִּקּוּנָא שְׁלִימְתָּא
וְאַשְׁלִים לְכָל תִּקּוּנִין דָּא אַשְׁלִים לְכֹלָּא

§. 473.

§. 473. Traditione didicimus. Istæ partes vocantur dies Kedem, antiquí, dies primi primorum. Illæ verò quæ reperiuntur in Microprosopo, vocantur dies Olam ſ. seculi.

473. תָּאנָא אִלֵּין תִּקּוּנִין אִקְרוֹן יְמֵי
קֶדֶם אִקְרוֹן יוֹמִין קַדְמָאֵי דְּקַדְמָאֵי וְאִינּוּן
דְּאִשְׁתַּכְחוּ בְּזָעִיר אַפִּין אִקְרוֹן יְמֵי עוֹלָם.

§. 474. Et didicimus. Illi dies Kedem omnes conformantur in formis barbæ, in quibus componitur Senior Seniorum; occultus occultorum. Hæc autem decima tertia comprehendit illas.

474. וְתָאנָא אִלֵּין יְמֵי קֶדֶם כֻּלְּהוּ
מִתְתַּקְּנָן בְּתִקּוּנָא דְּדִיוּקְנָא (סַב דְּדִיקְנָא)
דְּעַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין סְתִימָא דְּסְתִימִין כְּלִיל
כְּהוֹן וְהַאי דְּתְלֵיסַר כְּלִיל לְהוֹן.

§. 475. Et omnia abſcondita ſuperiora & inferiora abſconduntur in ea, & comprehenduntur in illa influentia, à qua emanant omnia: ſicut dictum est.

475. וְכָל גְּוָונִין עִלָּאִין וְתַתָּאִין גְּנִיזִין בֵּיהּ
וּבֵיהּ כְּלִילִין בְּהַאי מַוְלָא דְּמִתְנַזְּלִין מִנַּיְיהוּ
כֻּלָּא מִמֶּה דְּאִתְּמַר.

§. 476. Et ista dies non comprehenditur in eis; ſed ipſe comprehendit omnia.

476. וְהָא יוֹמָא לָא אִתְכְּלַל בַּהֲדַיְיהוּ
אֶלָּא הוּא כְּלִיל כֻּלָּא.

§. 477. Et illô tempore, quo excitabitur Senex dierum in conformationibus ſuperioribus, illa dicitur dies una, in qua inſtituit magnificare barbam ſuam.

477. וּבְהַהוּא זִמְנָא דְּאִתְעַר עַתִּיק יוֹמִין
בְּתִקּוּנִין דִּלְעֵילָּא הַהוּא אִתְקְרֵי יוֹם אֶחָד
וְרָבִיָּה זִמְנָא לְאוֹקָרָא דִּיקְנֵיהּ.

§. 478. Quod innuitur verbis illis [*Zach.* 14. v. 6.] Dies una quæ nota Domino.

478. הָדָא הוּא דִּכְתִיב יוֹם אֶחָד הוּא
יִוָּדַע לַיְיָ.

§. 479. Illa ſola prævalet omnibus; illa includit omnia, illa vocatur nomine noto.

479. הַהוּא בִּלְחוֹדוֹי יְתִיר מִכֻּלָּא · הוּא
דְּכָלִיל כֻּלָּא הוּא דְּאִתְקְרֵי בְּשְׁמָא יְדִיעָא.

§. 480. Sic enim didicimus. Eo in loco, ubi dies est, & nox est: cum non ſit dies ſine nocte:

480. דְּתָנֵינָן בְּאַתַר דְּאִית יוֹם אִית
לֵילָה דְּלֵית יוֹם בְּלָא לֵילָה.

§. 481. Sed quia illo tempore tempus erit dignitatis Barbæ, illa (*dies*) ſola invenietur.

481. וּמִשּׁוּם דְּהַהוּא זִמְנָא זִמְנָא יְהֵא
דִּיקְנָא דְּדִיקְנָא וְהוּא בִּלְחוֹדוֹי יִשְׁתְּכַח.

§. 482. Non (*vocatur*) dies nec nox: non enim dies dicitur niſi ex parte noſtri, nec nox dicitur niſi ex parte noſtri.

482. לָא אִתְקְרֵי לָא יוֹם וְלָא לֵילָה
דְּלֵית יוֹם אֶקְרֵי אֶלָּא מִסִּטְרָא דִּילָן וְלֵית
לֵילָה אֶקְרֵי אֶלָּא מִסִּטְרָא דִּילָן.

§. 483. Et quia ista forma includit omnia, hinc non cognoſcitur, nec videtur de ea (*quicquam.*)

483. וּמִשּׁוּם דְּהַאי תִּקּוּנָא כְּלִיל כֻּלָּא
לָא אִתְיְדַע וְלָא אִתְחֲזֵי מִנַּיְיהוּ.

§. 484. Et de ea manat oleum magnificentiæ in tredecim latera, quæ fecuriunt versus omnia illa inferiora ut luceant.

484. וּמִנִּיד נָגִיד מִשְׁחָא דְּרַבְיָתָא לְתַלְיָסַר עִיבֵר מִבְעִין לְכֹל אִינִין דְּלְתַתָּא וְנַהֲרִין׃ Cremonens. col. 255.

§. 485. Illo oleo consummantur tredecim partes Barbæ sanctæ excellæ.

485. בְּרַדְיָא מְשִׁיחָא אִתְּתַקְנוּ תְּלֵיסַר תִּקּוּנִין דְּדִקְנָא קַדִּישָׁא עִלָּאָה׃

§. 486. Et illæ formæ, quæ in illa Barba, disponuntur & descendunt in multa latera; nec videntur quomodo extendantur, & quomodo egrediantur.

486. וְאִלֵּין תִּקּוּנִין דִּבְרַדְיָא דִּיקְנָא מִתְתַּקְנָן וְנַחֲתִין לִכְמָה עִיבֵר וְלָא אִתְחֲזוֹן דְּיָתְתַּקְנָן וְנַחֲתִין וְהֵיךְ מִתְפַּשְׁטִין וְהֵיךְ נְפִקִין׃

§. 487. Omnibus absconditæ & omnibus occultatæ sunt: & nemo novit locum ad hunc antiquum.

487. מִכֹּלָא אִסְתִּימוּ וּמִכֹּלָא אִתְטְמִרוּ לֵית יְדַע אֲתַר לְהַאי עַתִּיקָא׃

§. 488. In expansione illarum omnes illæ includuntur, sicut dictum est.

488. בְּפִשְׁטוּתָא דִּלְהוֹן כְּלִילִין כֻּלְּהוֹן כְּמָה דְאִתְּמַר׃

§. 489. Cognoscitur & non cognoscitur; occultatur & non occultatur.

489. אִתְּיְדַע וְלָא אִתְּיְדַע טְמִיר וְלָא טְמִיר׃

§. 490. De eo legitur [*Isa.* 42. v. 8.] Ego Dominus, hoc nomen meum, & gloriam meam alii non dabo.

490. עַלְיְהוּ אִתְקְרֵי אֲנִי יְיָ הוּא שְׁמִי וְכִבּוּדִי לְאָחֳרָא לָא אֶתֵּן׃

§. 491. Et scriptum est [*Psal.* 100. v. 2.] הוּא Ipse fecit nos, & non ipsi nos.

491. וּכְתִיב הוּא עֲשָׂנוּ וְלֹא אֲנַחְנוּ׃

§. 492. Et scriptum est [*Dan.* 7. v. 9.] Senex dierum sedit: id est, in loco suo residet; & nemo cognovit illum. Sedet, sed non adest.

492. וּכְתִיב תְּתִיךְ יוֹמִין יְתִיב בְּאַתְרֵיהּ יְתִיב וְלֵית דְּיָדַע לֵיהּ יְתִיב וְלָא שְׁכִיחַ׃

§. 493. Et scriptum est [*Psal.* 139. v. 14.] Confitebor tibi propterea, quod terribilibus mirificatus sum &c.

493. וּכְתִיב אוֹדְךָ עַל כִּי נוֹרָאוֹת נִפְלֵאתִי וְגוֹ׳׃

SECTIO XXIV.

Conclusio de Macroprosopo.

§. 494. Dixit R. Schimeon ad socios: Cum expanderetur Velum illud, [*per quod intelligitur ipsa representatio Barbæ Macroprosopi,*] quod vos vidistis super nos: ego vidi, quod omnes formæ descenderent

494. אָמַר רִבִּי שִׁמְעוֹן לְחַבְרַיָּא כַּד אִתְפְּרִיסָא דָּא דְּאִתְּחֲמָן חַבְרַיָּא עִלָּאָה אֲנָא חֲמֵינָא דְּכָל תִּקּוּנִין בְּעוֹבְרִין וְנָחֲתִין בְּאֲתַר דָּא׃

descenderent in illud; & fulgeant in loco illo. [*Jam quasi dicturus sit* אָמֵן, finitô scilicet discursu de Macroprosopo hanc particulam per subsequens ægnima describit.]

§. 495. Et aulæum quoddam splendor Dei sanctissimi benedicti [*al. apertura Sanctitatis: per hoc autem intelligitur Tetragrammaton, quod una cum nomine* אדני *Elohim* אמת *id est.* 91.] expanditur per quatuor columnas in quatuor latera [*quæ sunt quatuor literæ, quibus ærem dicitur cingi.*]

495. וְחַד פְּרוֹכְתָּא בְּחִינָא דְקוּדְשָׁא בְּרִיךְ הוּא סָלִיק בְּסִטְרָא דְּקִדּוּשָׁא פְּרִיסָה בְּאַרְבַּע סְמָכִין לְאַרְבַּע עִיבֵר׃

§. 496. Columna una locata est ex imis ad summa. [*hoc est, Regnum Emanativum, basi & immutatus Emanationis, quod ab imo columnæ medio ascendere dicitur, usque ad summitatem Coronæ.*]

496. סְמָכָא חַד הוּא וְיָתִיב מִתָּתָא לְעֵילָּא׃ Mantuan. fol. 135.

§. 497. Et uncus quidam focarius in ea [*sicut enim ignis in altari nudis manibus tangi non poterat: sic Nomen illud Tetragrammaton ore contingi & pronunciari non potest, sed tangitur & producitur per* אהיה *quadam* שם *nomine ejus;* מנורא *enim* שם *ambo efficiunt* 340.] & in unco focario quatuor uncinuli clavibus similes acuti ex omni parte [*talis enim erat forma clavium, ut velut uncino possulus reduceretur. Intelligunt autem 4. literæ nominis* אהיה, *quæ inserunter & innectuntur 4. literis Tetragrammati hoc modo* יאהדה *] qui apprehendunt velum, & illud deducunt è superioribus deorsum.

497. וְחַד מַגְרוֹפָא בֵּיהּ וּבְמַגְרוֹפָא אַרְבַּע מִפְתְּחִין שְׁנִינִן (סְאָ שְׁנַיִן) מִכָּל סִטְרוֹי וּמְתָאֲחֲדִי פַּרְסָא וְנָחְתִין לְדַ מַעֲלָא לְתַתָּא׃

§. 498. Et sic in columna secunda, & tertia & quarta (*id est, quatuor literæ quatuor literis applicantur, ut dictum est.*)

498. וְכֵן לְסִמְכָא תִּנְיָנָא וּתְלִיתָאָה וְרְבִיעָאָה׃

§. 499. Et inter columnam unam & interalteram continentur 18. bases columnarum [*hic intelligitur Nomen expositum per septuaginta duo sive nomina sive numeros: utrumque enim pertinet ad Macroprosopum, nam octodecim quater sumta efficiunt 72.*] & fulgent in fulgore [*al. in apertura*] sculpturarum, quæ in illo velo: & sic per omnia quatuor latera. [*Per sculpturas intelligitur expositio Nominis Tetragrammati.*]

499. וּבֵין סִמְכָא לְסִמְכָא אִחְיַין תְּמָנְיסַר רַגְלֵי דְּסִמְכִין וּמִתְנַהֲרִין בִּבְרִיצָא דְּגְלִיפִין (סְאָ בְּכִיסְטָא דְּגְלִיפִין) בַּהֲדֵי פַּרְסָא וְכֵן לְאַרְבַּע עִיבֵר׃

§.500. Video illas formas, quæ lucent super eo, & expectant verba de ore nostro, ut coronentur & attollantur singula in locum suum.

500. חֲמִינָא אִלֵּין תְּקוֹנִין דְּנַהֲרִין עֲלֵהּ וְהוֹ מְחַכְּאן מִלִּי דְּפוּמָנָא לְאִתְעַטָּרָא וּלְאִסְתַּלָּקָא כָּל חַד בְּאַתְרֵיהּ.

§.501. Et cùm expositæ sunt ore nostro singulæ ascendunt, & coronantur, & disponuntur in illo ordine, qui hic dispositus est ex quolibet ore cujuscunque [al. per halitum cujusvis] de nobis.

501. כַּד הוֹ מִתְתַּקְּנָא בְּפוּמָנָא כָּל חַד וְחַד סַלִּיק וְאִתְעַטַּר וְאִתְתְּקַן בְּהַהִיא תְּקוּנָא דְּאִתְתְּקַן הָכָא מִכָּל נְשָׁבָא דְּנָפִיק מִנָּנָא:

§.502. Et quando quis ex nobis aperit os, ut loquatur de aliqua conformatione, illa forma locatur & expectat vocem, quæ egreditur ex oribus vestris: & tunc hæc ascendit in locum suum & coronatur.

502. וְכַד פָּתַח מִנָּן פּוּמָא דְּחַד מִנָּנָא לְאִתְּקָנָא בְּהַהוּא תְּקוּנָא הַהוּא תְּקוּנָא קָיְמָא מְחַכֵּי לְמִלָּה דְּנָפִיק בְּפוּמֵיכוֹן וְכַדֵּין סָלְקָא בְּדוּכְתֵּיהּ וְאִתְעַטַּר.

§.503. Et omnes columnæ hinc & inde gaudent [*hæc intelliguntur animæ sanctæ, quæ antea fuerant columnæ & præsides Scholarum, & hue advenisse dicuntur:*] quod audiant aliquid quod ignorarverant. Et auscultant vocibus vestris multi currus, [*i.e. Angeli currum Dei constituentes,*] hic stantes propter vos.

503. וְכָל סְמָכִין מִכָּאן וּמִכָּאן חַדָּאן עַל דִּשְׁמְעִין מַה דְּלָא יְדְעִי. וְצִיתִין לְקָלֵיכוֹן כְּמָה רְתִיכִין קַיְמִין הָכָא בְּגִינֵיכוֹן.

§.504. O beatos vos in mundum venturum! quia omnia verba, quæ egrediuntur ex ore vestro, omnia sancta, omnia recta sunt, quæ non aberrant sive ad dextram, sive ad sinistram.

504. זְכָאן אַתּוּן לְעָלְמָא דְּאָתֵי דְּכָל מִלֵּי דְּנָפְקִי מִפּוּמֵיכוֹן כְּרְתֵי מְלִין קַדִּישִׁין מִלֵּי דְּשָׁרָן דְּלָא אִסְתַּאֲבָן לְיַמִּינָא וְלִשְׂמָאלָא.

§.505. Deus Sanctissimus & Benedictus gaudet audire ea; & auscultat illis verbis, donec Ipse confundet [*al. ferat*] sententiam; nam in mundo venturo altera vice omnia hæc verba sancta numerabuntur.

505. קֻדְשָׁא בְּרִיךְ הוּא חָדֵי לְמִשְׁמַע וְצָיֵית לְהַנֵּי מִלֵּי עַד דְּהוּא אָמַר (אַל אַגְזַר) דִּינָא וְיָהֵב לְעָלְמָא דְּאָתֵי תִּמְנֵן זִמְנָא אַחְרָא כָּל הַנֵּי מִלֵּי קַדִּישִׁין.

§.506. De vobis scriptum est [*Cant. 7. v. 9.*] Et palatum tuum sicut vinum optimum vadens ad dilectum meum, ad rectitudines, faciens loqui labia dormientium.

506. עֲלֵיכוֹ כְּתִיב וְחִכֵּךְ כְּיֵין הַטּוֹב הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים דּוֹבֵב שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים.

§.507. Quid est; faciens loqui labia dormientium? quod etiam in mundo venturo labia vestra prolatura sint verba legis ante eum.

507. מַאי דּוֹבֵב שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים דְּאַפִּילוּ

dormientium? quod etiam in mundo venturo labia vestra prolatura sint verba legis ante eum.

לְעָלְמָא דְּאָתֵי מְרַחֲשָׁן שְׂפָוָתֵיכוֹן אוֹרַיְתָא קֳמֵיהּ.

SECTIO XXV.

Ingressus de Macroprosopo.

§.508. Nunc disponite vos & applicate Scientiam ad describendum, quomodo conformentur partes Microprosopi, & quomodo vestiatur Conformationibus suis à formis Senis dierum, Sanctorum, absconditi absconditorum, occultati omnibus.

508. הַשְׁתָּא אִתְתְּקָנִי וְאִתְכַּוְונִי דַּעְתָּא לְמִתְקַן תְּקוּנֵי דְּזֵעִיר אַפִּין הֵיךְ יִתְתַּקַּן וְהֵיךְ יִתְלַבַּשׁ בְּתִקּוּנוֹי מִתְּקוּנֵי עַתִּיק יוֹמִין קַדִּישָׁא דְּקַדִּישִׁין טְמִירָא דְּטִמִּירִין כְּסִירָא מִכֹּלָּא.

509. Jam enim obligati estis, [al. Sapientia vobis opus est,] ut judicetis judicium verum, pulchrum & decorum; utque disponatis omnes conformationes quàm accuratissimè.

509. דְּהַשְׁתָּא חוֹבְתָּא (סָלְקָא חָכְמְתָא) עֲלֵיכוֹ לְמֵמַר דִּינָא קְשׁוֹטָא דְּיָאוּת וְשַׁפִּירָא וּלְאַתְקָנָא כָּל תִּקּוּנִין עַל בֵּירוֹיֵיהוֹ.

510. Conformationes autem Microprosopi disponuntur à formis Macroprosopi; & constitutiva ejus expandantur hinc & inde sub figura humana, ut dominetur [al. ut educatur] in eo Spiritus occulti ex omni parte:

510. תִּקּוּנֵי דְּזֵעִיר אַפִּין מִתְּקוּנֵי דְּאֲרִיךְ אַפִּין אִתְתְּקָנִי וְאִתְפְּשָׁטוּ תְּקוּנֵי מִכָּאן וּמִכָּאן כְּחֵזוּ בַּר נָשׁ לְמִשְׁלְטָא (סָלְקָא) דְּמִשְׁלְפָא בִּידָא רוּחָא דְּטִמִּירָא מִכָּל סְטָרִין.

§.511. Ut locari possit super Throno, quia scriptum est [*Ez. 1. v. 26.*] Et super similitudine solii, similitudo sicut aspectus hominis super eum desuper.

511. בְּגִין לְמִיתַּב עַל כּוּרְסְיָיא דִּכְתִיב וְעַל דְּמוּת הַכִּסֵּא דְּמוּת כְּמַרְאֵה אָדָם עָלָיו מִלְמַעְלָה.

§. 512. Sicut aspectus hominis; quoniam includit omnes formas. Sicut aspectus hominis: quoniam includit omnia nomina; sicut aspectus hominis, quoniam includit omnia arcana, quæ dicta sunt & proposita, antequam crearetur mundus, quamvis non substituerint.

512. כְּמַרְאֵה אָדָם דְּכְלִיל כָּל דְּיוֹקְנִין. כְּמַרְאֵה אָדָם דְּכְלִיל כָּל שְׁמָהָן. כְּמַרְאֵה אָדָם דְּכְלִיל סְתִימִין כָּל עָלְמִין עִלָּאִין וְתַתָּאִין כְּמַרְאֵה אָדָם דְּכְלִיל כָּל רָזִין דְּאִתְאֲמָרוּ וְאִתְתְּקָנוּ עַד דְּלָא אִבְרֵי עָלְמָא וְאַעֲנֵי דְּלָא אִתְקְיִימוּ.

SECTIO XXVI.

De Regibus Edomiticis.

§. 513. Didicimus in Libri Mysterio. Senior Seniorum, antequam pararet Conformationes suas, exstruxit Reges, collegit Reges, & proportionem dedit Regibus: sed non subsistèterunt, donec expelleret [al. relinqueret] eos: & occultavit eos in aliud tempus.

513. תָּאנָא בַּצְנִיעוּתָא דְּסִפְרָא דְּעַתִּיקָא רְעֵיתֵיקִין עַד לָא זַמִּין הֲקִימֵי כְּאנֵי מַלְכִין כְּנֵס מַלְכִין וּמְשַׁעֵר מַלְכִין וְלָא הֲוֹו מִתְעֵיסֵי עַד דְּדָחֵי (סְאָ) [אַתָּא] לוֹן וְאַצְנַע לוֹן לְכַתַּר זְמַנָּא.

Emek. ham. fol. 67. c.

§. 514. Id innuitur in his verbis [*Gen.* 36. v. 31.] Et isti sunt Reges, qui regnarunt in terra Edom. In terra Edom, id est, in loco, in quo omnia judicia consistunt.

514. תַּחַד וְאִלֵּה הַמְּלָכִים אֲשֶׁר מָלְכוּ בְּאֶרֶץ אֱדוֹם בְּאֶרֶץ אֱדוֹם בְּאַתַר דְּכָל דִּינִין מִתְקַיְּמִין תַּמָּן.

§. 515. Omnes autem isti non subsiterunt, donec Caput album Senioris Seniorum dispositum fuit.

515. וּכְדֵין לָא אִתְקַיְּמוּ עַד דְּרֵישָׁא חִוָּרָא עַתִּיקָא רְעַתִּיקִין אִתְתְּקַן.

§. 516. Cum hoc conformatum fuit, (*ipsum porro*) disposuit omnes conformationes inferiores; & dispositæ sunt omnes formæ superiores & inferiores.

516. כַּד אִתְתְּקַן הָכֵין כָּל תִּקּוּנִין וְלַתְתָּאִין תִּתְקִין כָּל תִּקּוּנִין דְּעִלָּאִין דְּתַתָּאִין.

§. 517. Inde discimus, nisi caput populi, quodcunque illud fuerit, debitè priùs fit constituturum, quod populus non redigatur in ordinem. Si enim illud ritè fuerit dispositum, omnia ordinantur; si verò illud non prius disponitur, nec populus disponi poterit.

517. מִכָּאן אִילֵּפְנָא כָּל רֵישָׁא דְּעַמָּא דְּלָא אִתְתְּקַן הוּא בְּקַדְמֵיתָא לֵית עַמָּא מִתְתְּקְנָא וְאִי אִידֵי מִתְתְּקַן כּוּלֵי מִתְתְּקְנִין וְאִי אִידֵי לָא מִתְתְּקַן בְּקַדְמֵיתָא לָא יָכְלִין עַמָּא לְאִתְתְּקְנָא.

§. 518. Unde id nobis? à Sene dierum. Antequam enim ille disponeretur in conformatione sua, non ordinatum est quicquam, quod ordinandum erat; & omnes illi mundi vastati sunt.

518. מְנָלַן מֵעַתִּיק יוֹמִין דְּעַד לָא אִתְתְּקַן הוּא בְּתִקּוּנוֹי לָא אִתְתְּקַן כָּל אִינּוּן דְּבָעֵי לְאִתְתְּקָנָא וְכוּלְּהוּ עָלְמִין אִתְחָרְבוּ.

§. 519. Id quod innuunt verba hæc [*l. c. v.* 32.] Et regnavit in Edom Bela filius Beor.

519. וַיִּמְלֹךְ בָּאֱדוֹם בֶּלַע בֶּן בְּעוֹר.

§. 520. Et regnavit in Edom. Hic arcanum quoddam [al. venerandum] latet; innuitur enim locus, ubi omnia judicia colliguntur & inde dependent.

520. וַיִּמְלֹךְ בָּאֱדוֹם וַיָּא חֲנָא (סְאָ יְקִירָא) הוּא אַתַר דְּכָל דִּינִין מִתְקַמְּרִין תַּמָּן וְתַלְיָין מִתַּמָּן.

Cremoneal col. 256.

§. 521.

§. 521. Bela filius Beor. Traditio. Hic denotat decretum judiciale rigorosissimum, cujus causa congregantur millies mille autores ejulatûs & planctûs.

521. בֶּלַע בֶּן בְּעוֹר תָּאנָא הוּא גְּזַרְתָּ דִּינָא תַּקִּיפָא דְּתַקִּיפִין דִּכְנִיצָה מִתְקַמְּרִין אֶלֶף אַלְפִּין מָארֵי וַיְבָכָא וְיִלָּלָה.

§. 522. Et Nomen urbis ejus Dinhaba. Quid est דִּנְהָבָה? Quasi diceretur: Judicium da, sicut scriptum est [*Prov.* 30. v. 16.] Fato duæ sunt filiæ, da, da.

522. וְשֵׁם עִירוֹ וְדִנְהָבָה מַאי דִּנְהָבָה בְּלוֹמַר דִּין הַבָּה · כְּדַאי לַעֲלוּקָה שְׁתֵּי בְּנוֹת הַב הַב.

§. 523. Cùm autem ascendit (*in animum ejus*) [*vid. inf. §.* 533.] ut componeretur eo, (*modo*) non subsistit, & non potuit consistere: quare? propterea quod Homo nondum constitutus erat.

523. כְּיוָן דְּסָלִיק לְאִתְתַּשְׁבָא בְּיַד לָא קָאֵים וְלָא הֲוָה יָכִיל לְמִיקַם מַכַּח מְשׁוּם דָּאָדָם לֹא אִתְתָּקַן.

§. 524. Quæ ratio? quia constitutio Hominis in formâ continet omnia, & omnia in illa disponi possunt.

524. מַכַּח דְּתִקּוּנָא דְּאָדָם בְּרִיוּקָנֵיהּ כָּלִיל כּוּלָּא וְיָכִיל כֻּלָּא לְאִתְתַּשְׁבָא בֵּיהּ.

§. 525. Et quia constitutio ista Adami non inveniebatur, non poterant subsistere nec componi; & aboliti sunt.

525. וּבְגִין דְּתִקּוּנָא דָּא דְּאָדָם לָא אִשְׁתְּכַח לָא יָכִילוּ לְמִיקַם וְלְאִתְתַּשְׁבָא וְאִתְבַּטָּלוּ.

§. 526. Aboliti ne? atqui omnia illa includuntur in Homine. Verum enim verò (*ita*) aboliti sunt, ut sublati sint ex ista forma, donec proveniret repræsentatio Adami.

526. וְאִתְבַּטָּלוּ סַד וְהָא כֻּלְּהוּ בְּאָדָם אִתְכְּלִילָן אֶלָּא אִתְבַּטָּלוּ וְאִסְתַּלְּקוּ מֵהַהִיא תִּקּוּנָא עַד דְּיֵיתֵי תִּקּוּנָא דְּאָדָם.

§. 527. Cum autem venit ista forma configurata [al. recollecta], sunt omnia & redierunt in statum aliud.

527. וְכַד אָתָא הַאי דְּיוֹקְנָא אִתְגְּלִיפַ (סְאָ אִתְכְּלִילוּ) כֻּלְּהוּ וְאִתְחֲזִרוּ לְקַיּוּמוֹ אַחֲרָא.

§. 528. Ex iis quidam mitigati & non mitigati sunt; quidam autem planè non sunt mitigati.

528. מִנְּהוֹן אִתְאַסְּמוּ (סְאָ מִנְּהוֹן אִתְבַּסְּמוּ וְלָא אִתְבַּסְּמוּ) וּמִנְּהוֹן לָא אִתְבַּסְּמוּ כְּלָל.

§. 529. Et si dicis: Atqui scriptum est l. c. Et mortuus est: Id verò notat quod aboliti sint omninò. Respondeo: Sic non esse: sed quicunque descendit de gradu suo priori, in quo antea erat, de eo dicitur in Scriptura; quod sit mortuus.

529. וְאִי תֵּימָא וְהָא כְּתִיב וַיָּמָת · וְיָמָת · דְּאִתְבַּטָּלוּ לְגַמְרֵי לָאו הָכֵי · אֶלָּא כָּל מַאן דְּנָחֵית מִדַּרְגָּא קַדְמָאָה דַּהֲוָה בֵּיהּ קָאֵי בֵּיהּ מִיתָה.

§. 530. Sicut scriptum est [*Exod.* 2.

530. כְּדָא וַיָּמָת מֶלֶךְ מִצְרַיִם וְנָחַת

v.23.] Et mortuus est Rex Ægypti (*ubi sensu est*) quod descenderit ex illo gradu priori in quo stetit.

§. 531. Postquam autem constitutus est Adam, vocati sunt nominibus aliis, & mitigati sunt in statum permanentem, per illum: & consistunt in loco suo, & omnes vocantur nominibus aliis & non prioribus.

§. 532. Excepto illo, de quo scriptum est [*Gen.*36.*v.*39.] Et nomen Uxoris ejus Mehetabeel filia Mitrad, filia Mesahab.

§. 533. Quam ob causam? quia isti non aboliti fuerunt sicut cæteri. Quamobrem? quia fuerunt mas & fœmina: sicut est palma, quæ non alta fit nisi sit mas & fœmina.

§. 534. Et propterea nunc inveniuntur mas & fœmina, & non legitur de iis, quod mortui sint, sicut cæteri sed stabiles permanserunt.

§. 535. Sed non compositi sunt donec conformaretur forma hominis [*superni.*] Postquam autem constituta est forma Adami (*superni*) restituti sunt in stationem aliam & in ordinem venerunt.

מִדְרָגָא קַדְמָאָה דַּהֲוָה קָם בֵּיהּ׃

531. וְכֵין דְּאִתְתָּקַן אָדָם אִתְקְרִין בִּשְׁמָהֵן אַחֲרָן וְאִתְכַּסְּיָין בְּקֵיוָמָא בִּיהּ וְקָיְמִין בְּרוּכְתֵּיהּ וְכֻלְּהוּ אִתְקְרִין בִּשְׁמָהֵן אָחֳרָנִין מִן קַדְמָאִין׃

532. בַּר הַהוּא דִּכְתִיב בֵּיהּ וְשֵׁם אִשְׁתּוֹ מְהֵיטַבְאֵל בַּת מַטְרֵד בַּת מֵי זָהָב׃

533. מַ"ט מִשּׁוּם דְּהָנֵי לָא אִתְבְּטָלוּ כְּשְׁאָר אִתְרַיָּין · מַ"ט מִשּׁוּם דְּתַיְירָ דְּכַר וְנוּקְבָא כְּהַאי תָּמְרָא דְּלָא סָלְקָא אִלְּא דְּכַר וְנוּקְבָא׃

534. וּבְגִין הָשְׁתָּא דְּאִשְׁתְּכַח דְּכַר וְנוּקְבָא לָא כְּתִיב בְּהוּ מִיתָה כְּאִתְרַיָּין וְאִתְקַיְימוּ׃

535. אֲבָל לָא אִתְעֲבִיד עַד דְּאִתְתָּקַן דְּיוֹקְנָא דְּאָדָם · וּכְיֵן דְּאִתְתָּקַן דְּיוֹקְנָא דְּאָדָם אִתְתְּקִיפוּ וְאִתְקַיְימוּ בְּקַיּוּמוֹ אַחֲרָא וְאִתְיַשְׁבוּ׃

SECTIO XXVII.

De Cranio Microprosopi; & annexis; aëre scilicet subtili & igne atque rore.

§. 536. Traditio. Cum Caput album sibi proponeret ornatum superaddere ornatui suo, constituit, paravit & produxit ex splendore intensi luminis scintillam unam. Flavit in eam & refrigauit [al. & conformata est.]

536. תָּאנָא כַּד סָלִיק בְּרֵישָׁא דְּרֵישָׁא חִוָּרָא לְמֶעְבַּד וְקָרָא לְקַדְמֵיתָא תִּקּוּן וְזִמּוּן וְאַפִּיק מִבֵּינֵיהוֹן חַד נִיצוֹצָא נָשַׁב בֵּיהּ אִתְתַּקַּר (סְאִ אִתְתָּקַן)

§. 537. Et pergebat propositum ejus; & extensa est in trecenta & septuaginta latera.

537. וְסָלִיק רְעוּתֵיהּ דְּאִתְפַּשְׁטָא לְתַלְתָּ מְאָה וְשַׁבְעִין עִבְרִי׃

§. 538. Et scintilla substitit, & expectavit donec egrederetur aër purus, qui circumvolvebatur: factaque extensione ulteriori prodiit cranium quoddam durum in quatuor latera.

538. וְכַמְּאִי אוֹרְיָיתָא וְכָיְא אִשְׁתְּאִיב נִיצוֹצָא וְאִתְאַחַד וְכָלִיל (סְאִ וְאִתְכְּלִיל) בֵּיהּ׃

§. 539. Et in illo aëre puro absorpta est scintilla & comprehensa & in eo inclusa.

539. בֵּיהּ סַךְ אֶלָּא אִתְטְמַר בֵּיהּ׃

§. 540. In illóne putas? (*non.*) verum occultata est in eo.

540. וּכְגִין דְּאִי גוּלְגַּלְתָּא אִתְפַּשְׁטָ בְּסִטְרוֹי וְאִי אוֹרָיְא הוּא סָטִיר דְּסָטִירִין דְּעָתִיק יוֹמִין׃

§. 541. Et propterea istud cranium expansum est in latera sua: Et iste aër est res occultissima Senis dierum.

541. בְּרוּחָא דְּגִנִּין בְּהַאי גוּלְגַּלְתָּא אִתְפַּשְׁטוּ אֲשָׁא מִסְטָר חַד וְאוֹרָיְא מִסְטָר חַד וְאוֹרָיְא דְּכָיְא קָאִים עֲלַיְיהוּ מֵהַאי סְטַר וְאֲשָׁא דְּכָיְא קָאִים מֵהַאי סְטַר׃

§. 542. In Spiritu, qui reconditus est in illo cranio expanduntur, Ignis ex parte una, & aër ex parte altera. Et aër subtilis versatur super isto ex hoc latere, & Ignis subtilis versatur ex illo latere.

542. מַאי אֲשָׁא הָכָא אֶלָּא לְאוֹ הַיְינוּ אֲשָׁא אֲכָל בְּגִיצוֹצָא דָּא דְּאִתְכְּלִיל בְּאוֹרָיְא דְּכָיְא נָהִיר לָמָאנֵי דְּשַׁבְעִין עָלְמִין׃

§. 543. Quid est Ignis hôc loco? At verò non est Ignis; sed splendor ille, qui includitur in aëre subtili, fulget in ducentos & septuaginta mundos.

543. וְדָיְא מִסְטְרוֹי אִשְׁתְּכַח · וּכְגִין דְּלָא הַאי גוּלְגַּלְתָּא אִתְקְרֵי גוּלְגַּלְתָּא תַּקִּיפָא׃

§. 544. Et rigor sive judicium ex parte ejus invenitur. Et propterea illud cranium vocatur Cranium rigidum.

544. בְּגוּלְגַּלְתָּא דָּא יַתְבִּין תִּשְׁעָה אַלְפֵי רִבּוֹא עָלְמִין דְּמַטְלַן עָלּוֹי וְכַמְכִין עָלּוֹי׃

§. 545. In isto Cranio residunt novies mille myriades mundorum, qui influxum accipiunt ab eo, & quiescunt super eo.

545. בְּהַאי גוּלְגַּלְתָּא נָפִיק טַלָּא מַרִישָׁא חִוָּרָא דְּאִתְכְּלִיל מִבֵּינֵיהּ תְּדִיר וְהַאי טַלָּא זַכְיָין מִיתַיָּא לְאַחְיָאה׃

§. 546. In illud cranium destillat Ros de Capite albo, quod semper plenum est eo: Et ex illo rore vivificabuntur mortui.

546. וְדָיְא טַלָּא דְּאִתְכְּלִיל בִּתְרֵי גַוְונֵי מִסְטְרָא דְּרֵישָׁא חִוָּרָא חִוָּר בְּגַוְונֵיהּ (סְאִ בְּגַוְונָא) דְּכָלִיל כֻּלְּהוּ חִוְורֵי וְכֻלְּהוּ חִוְורֵי׃

§. 547. Et iste Ros in se habet duos colores. Ex parte Capitis albi, albedo (*ejus*) in eo, quæ comprehendit omne omninò album.

547. וְדָיְא טַלָּא דְּאִתְכְּלִיל בִּתְרֵי גַוְונֵי מִסְטְרָא דְּרֵישָׁא חִוָּרָא חִוָּר בְּגַוְונֵיהּ (סְאִ בְּגַוְונָא) דְּכָלִיל כֻּלְּהוּ חִוְורֵי וְכֻלְּהוּ חִוְורֵי׃

§. 548. Sed quando residet in isto Capite Microprosopi, apparet in eo rubedo, sicut est Crystallus, quæ est alba & apparet color ruber in colore albo.

548. אֲבָל כַּד אִתְיַשְׁבָן בְּהַאי רֵישָׁא חִוָּרָא אִתְחֲזֵי סוּמְקָא כְּהַאי בְּרוּלְתָּא דְּאִיהִי חִוָּרָא וְאִתְחֲזְיָא גְוֹנָא סוּמְקָא כְּגַוְנָא חִוָּרָא.

§. 549. Et propterea scriptum est [*Dan.12.v.2.*] Multi qui dormiunt in terra pulveris expergiscentur, hi ad vitam æternam, & illi ad opprobrium & contemtum æternum.

549. וּבְגִין כָּךְ כְּתִיב וְרַבִּים מִיְּשֵׁנֵי אַדְמַת עָפָר יָקִיצוּ אֵלֶּה לְחַיֵּי עוֹלָם וְאֵלֶּה לַחֲרָפוֹת וְלִדְרָאוֹן עוֹלָם.

§. 550. Ad vitam æternam; quia digni sunt illâ albedine, quæ venit ex parte Senis dierum Macroprosopi.

550. לְחַיֵּי עוֹלָם בְּגִין דְּאִתְחֲזֵיאוּ לְהַהִיא חִוָּרָא דְּאָתֵי מִסִּטְרָא דְּעַתִּיק יוֹמִין אִיהוּ דְּאִתְּפַּס.

§. 551. Ad opprobrium & contemtum æternum: quia digni sunt illâ rubedine Microprosopi.

551. לַחֲרָפוֹת וְלִדְרָאוֹן עוֹלָם בְּגִין דְּאִתְחֲזֵיאוּ לְהַהִיא סוּמְקָא דְּזֵעִיר אַפִּין.

§. 552. Et omnia continentur in illo rore: quod innuitur verbis illis [*Jes. 26. v.19.*] Quia Ros luminum, ros tuus: ubi dualitas.

552. וְכֹלָּא כְּלִיל בְּהַהִיא טַלָּא דְּהַהוּא כִּי טַל אוֹרוֹת טַלֶּךָ אוֹרוֹת תַּרְיִ.

§. 553. Et ille ros, qui destillat, quotidie destillat, super agrum pomorum colore albo & rubro.

553. וְהַהִיא טַלָּא דְּנָטִיף נָטִיף כָּל יוֹמָא לְאַקְלָא דְּתַפּוּחִים כְּגַוְנָא חִוָּרָא וְסוּמְקָא.

§. 554. Hoc cranium lucet duobus coloribus versus hoc latus & illud;

554. הַאי גֻּלְגַּלְתָּא אִתְחֲזֵי בְּתַרְיָן גַּוְונִין דְּהַאי סְטָר וּדְהַאי סְטָר.

§. 555. Et ex aëre illo subtili expanduntur de cranio in faciem ejus, centum & quinquaginta myriades mundorum: & propterea dicitur זעיר אפין, Microprosopus.

555. וּמֵהַאי אֲוִירָא דְּהַהִיא אִתְפַּשְׁטָא מִגֻּלְגַּלְתָּא לְאַפּוֹי קַ רְבוֹא עָלְמִין וּבְגִין כַּךְ אִתְקְרֵי זְעִיר אַפִּין.

§. 556. Sed illo tempore cum opus est, expanditur facies ejus, & longa fit, propterea quod intuetur faciem Senioris Seniorum, unde vita mundo.

556. וּבְשַׁעְתָּא דְּאִצְטְרִיךְ אִתְפַּשְׁטוּ אַפּוֹי וְאִרְכִּין בְּהַהוּא זִמְנָא בְּגִין דְּיִשְׁתַּמַּשׁ בְּאַפֵּי דְּעַתִּיקָא דְּעַתִּיקִין וְחַיִּים לְעָלְמִין.

§. 557. Et ex hoc cranio exitus est ab uno latere ad omnia illa, quæ infra sunt: & reflectunt lumen suum versus Senem dierum, cum ascendunt in numerum sub virga.

557. וּמֵהַאי גֻּלְגַּלְתָּא נָפִיק חַד סִיבְרָ לְכָל אִינּוּן דְּלַתַּתָא וְיַהֲבִין אֲנַר אוֹרַיְיתָא לְעַתִּיק יוֹמִין כַּד סַלְקִין בְּחִושְׁבָּנָא תְּחוֹת שַׁרְבִיטָא.

§. 558.

§. 558. Istius ergò finditur Cranium infra, cùm veniunt in numerum; & ab hac fissura reflexio luminis oritur versus Senem dierum.

558. וְלָקְבִיל דָּא בְּקַע לְגוּלְגַּלְתָּא לְתַתָּא כַּד שַׁלְיָן בְּרוּשְׁבָּנָא · וְהַאי בְּקַע אוֹרַיְיתָא אִשְׁתְּבַח מְבַיַּע לְעַתִּיק יוֹמִין.

SECTIO XXVIII.

De Cerebro & menynge Microprosopi.

§. 559. In ea vitatibus Cranii tria cava inveniuntur: in quibus locatur cerebrum.

642. בְּאִלֵּין תַּקִּיפִין (סָא תְּקוֹנִין) דְּבוֹסְמָא שָׂארֵי דִּיקְנָא לְאִתְחֲזָאָה מֵרֵישָׁא דְּאוּדְנִין וְנָחֵית וְסָלִיק בְּתַקְרוֹבָא דְּבוֹסְמָא.

643. שַׂעֲרִין אוֹכְמִין דְּדִיקְנָא בְּתַקְוָנָא שַׁפִּיר כְּגִיבּוֹר תַּקִּיף.

644. מְשׁוּחָא דְּרִבְיוּתָא דְּדִיקְנָא עִלָּאָה דַּעֲתִיקָא דְּאַבָּא דִּיקְנָא דְּזָעִיר אַנְפִּין.

645. שַׁפִּירוּ דְּהַאי דִּיקְנָא בְּטֵ תְּקוֹנִין אִשְׁתַּכַּח · וְכַד מְשׁוּחָא דְּרִבְיוּתָא קַדִּישָׁא דַּעֲתִיקָא קַדִּישָׁא נְהִיר בְּהַאי דִּיקְנָא אִשְׁתַּכְּחוּ כְּכֹ תְּקוֹנִין.

646. וּבְרִין מִתְבָּרְכִין כֻּלְּהוּ וְיִשְׂרָאֵל סָבָא מִתְבָּרְכָא בְּהַאי וְסִימָנָא בְּךָ וְכָרֵךְ יִשְׂרָאֵל.

647. תְּקוֹנִין דְּדִיקְנָא אוֹקִימְנָא בְּאַרְעָא וְהָכָא בְּעֵינָא לְמֵיעַל בְּלָא כְּסוּפָא.

648. הָא כָּל תְּקוֹנִין דְּדִיקְנָא אוֹקִימְנָא וְכֻלְּהוּ מַתְקְנִין Cremonen. col. 572. barbæ

barbæ Senioris Sanctissimi dispositæ sint in Synodo Sancta.

§. 649. *(Aliter;)* Sex sunt; novem vocantur. Nam forma prima prodit per illam scintillam lucernæ fulgidissimæ, & allidit sub pilis capitis, *(numirum)* sub illis cincinnis qui auribus insternuntur:

§. 650. Et descendit ante aperturam aurium usque ad principium oris.

§. 651. Hæc autem forma in Seniore Sanctissimo non invenitur. Sed cum ab influentia Senioris Sanctissimi promanat, & ab eo dependet illa featurigo Sapientiæ; cumque Mater se se exferit & includitur in aëre subtili; illam albedinem assumit Mater.

§. 652. Et scintilla intrat & exit, & sibi invicem innectuntur, & inde fit forma una.

§. 653. Et cum opus est, una eminet super alteram, & altera contegitur coram socia.

§. 654. Et propterea omnibus opus est; unâ ad faciendam ultionem, & alterâ ad misereudum.

§. 655. Et propterea hanc Barbam expetiit David Rex, sicut posuimus.

§. 656. In hac barba novem formæ inveniuntur: *(inter quas sunt)* sex myriades, quæ inter illas dependent, & extenduntur in totum corpus.

§. 657. Et illæ sex quæ dependent, pendent in pilis qui sub agro aromatum, tres in hoc latere, & tres in illo.

§. 658. Et in eruptione [al. in ornatu]

barbæ pendent tres reliquæ: una supra labia; & duæ in illis pilis, qui dependent usque ad præcordia.

§. 659. Et omnes illæ sex, tres hinc & tres inde, prodeunt & omnes dependent ab illis pilis, qui deorsum pendent; & extenduntur in totum corpus.

§. 660. Sed propter istas tres, quæ magis sunt de ornatu barbæ, quam omnes, scriptum est Nomen sanctum;

§. 661. Quando scriptum est [*Psal.* 118. v. 5.] *De angustia invocavi Iah: exaudivit me in latitudine Iah. Dominus mihi non timebo.*

§. 662. Quod autem posuimus in Synodo Areæ: verba illa; de angustia invocavi Iah. (referenda esse) ad locum illum ubi barba incipit extendi, qui locus est remotior, & ante aures: etiam rectè habet.

§. 663. Et in Libro Dissertationis Scholæ Raf. Jebha senis, sic dicit & constituit; quod initium barbæ sit à Benignitate superna.

§. 664. De qua scribitur: [1. *Par.* 29. v. 11.] *Tibi, Domine, Majestas, & severitas, & pulchritudo &c.* Et omnia (*ita*) sunt, & ita incipit.

§. 665. Novem ergò sese exserunt, & dependent à Barba: & ante aures ita incipit. Sed in statu non persistunt nisi per locum alium, prout constituimus.

§. 666. Nam quando mundus opus habet misericordia, influentia Senioris detegitur; & omnes illæ formæ, quæ in barba ornatissima Microprosopi omnes reperiuntur esse miserationes; quatenus vindictam exercent contra osores Israëlitarum, & contra illos, qui istos affligunt.

§. 667. Omnis autem ornatus barbæ consistit in illis pilis, qui dependent, quia omnia abhinc dependent.

§. 668. Omnes isti pili, qui in barba Microprosopi, duri sunt & rigidi, quia omnes subigunt judicia; cum Influentia sanctissima manifestatur.

§. 669. Et cum pugnandum est in pugna, tunc apparet tanquam heros fortis, victoriosus in bello. Atque tunc depilatur qui depilatur; & calvescit, qui calvescit.

§. 670. Istas novem formas commemorabat Moses secunda vice [*Num.* 14. v. 17.] cum opus esset eas omnes convertere in misericordiam.

§. 671. Quamvis enim tredecim formas nunc non recitaret; tamen à meditatione dependebat negotium. Non enim intromittebat se in illas formas ut eas commemoraret.

§. 672. Sed in Influentiam meditationem dirigebat, & istius faciebat mentionem. Sicut scriptum est [*Num.* 14. v. 17.] *Et nunc magnificetur obsecro Potentia Tetragrammati!*

§. 673. Quid intelligitur per potentiam Domini? Sic vocatur Influentia Sancta, occultata omnibus occultationibus. Et vis ista, & lumen istud ab Influentia dependet.

§. 674. Et quia Moses hoc dicebat, & hoc commemorabat, & de eâ meditabatur, tunc simul recitabat novem istas formas, quæ pertinent ad Microprosopum.

§. 675. Utinluce essent omnia, & non reperiretur judicium. Et propterea totum ab Influentia dependet, hoc judicium [Al. tota hæc barba.]

667. כָּל זְקִירוֹי דְּדִיקְנָא בְּאִינִין שַׁעֲרִי דְּדִינִין אִינִי מִשְׁתַּמְשִׁין דְּכֹלָּא בְּהַאי תַּלְיָין.

668. כָּל הַנֵּי שַׁעֲרִי דְּדִיקְנָא דְּעַיְיאָ אִצְטְרִיכִין לְדִינִין בְּשַׁעְתָּא דְּמִתְגַּלְיָא קַדִּישָׁא אִתְגַּלְיָא.

669. וְכַד בָּעֵי לְאִתְּחָא קְרָבָא אִתְחֲזֵי כְּגִבָּרָא תַּקִּיפָא מָארֵי נִצְחָן קָרְבָּיָא וּכְדֵין מָארֵי דְּמָרִיט וְאִצְטְלִישׁ מָאן דְּאִצְטְלִישׁ.

670. הַנֵּי תִּשְׁעָה תַּקִּינִין אֲמַרְן מֹשֶׁה בְּגִין הֲנָיָא בְּשַׁעְתָּא דְּאִצְטְרִיךְ לְאַהְדְּרוּ לוֹן לְכֻלְּהוּ רַחֲמֵי.

671. דְּאַף דְּתְלֵיסַר תַּקִּינִין לָא אֲמַר הָכָא בְּמִלְּיָא תַּלְיָא מִלְּתָא דְּהָא לָא יְעֵיל בְּהַנֵּי תַּקִּינִין לְאַדְכָּרָא.

672. אֶלָּא בְּמִלָּא אִתְּבְוִין וְאַדְכַּר לֵיהּ וְהֹוֶה תַּעְתַּח יַגְדֵּל נָא כֹּחַ יְיָ.

673. מַאן כֹּחַ יְיָ דְּאִתְּמַר אִלֵּין מִלָּאֵי קַדִּישָׁא סְתִימָא דְּכֹל סְתִימִין דְּאִתְּלָא דָּא וְאִתְּחַוִּי דָּא מִכֹּלָּא תַּלְיָא.

674. וְכֵון דַּאֲמַר מֹשֶׁה דָּא וְאַדְכַּר דָּא וְאִתְּכַוַּן בָּהּ אֲמַר הַנֵּי תִּשְׁעָה תַּקִּינִין דְּתַלְיָין בְּזֵעִיר אַנְפִּין.

675. בְּגִין דְּנְהִירוּ כֹּלְּהוּ וְלָא יִשְׁתְּכַּח דִּינָא וְעַיְיל כֹּלָּא בְּמִלָּא תְּלֵי דָּא דִּינָא (דָּא רַחֲמֵי)

§. 676. Cum pili incipiunt impediri, (*ipse est.*) tanquam heros fortis; tanquam heros exercitatus victoriosus in bello.

676. כַּד שַׂרְיִין שַׁעֲרִי לְאִתְעַכְּבָא כְּגִיבּוֹר תַּקִּיף כְּגִיבּוֹר רָגִיל מָארֵי נָצַח קְרָבָא.

§. 677. In hanc barbam promanat Oleum dignitatis à Seniore occultato: sicut dicitur: [*Psal.* 133. v. 2.] *Sicut oleum bonum super caput, descendens super barbam, barbam Aharon.*

677. בְּהַאי דִּיקְנָא נָגִיד מְשַׁח דַּרְגוּתָא מֵעַתִּיקָא סְתִימָאָה כְּרָא כְּשֻׁמֶן הַטּוֹב עַל הָרֹאשׁ יוֹרֵד עַל הַזָּקָן זְקַן אַהֲרֹן.

SECTIO XIX.

De Labiis Microprosopi & ore ejus.

§. 678. Pili isti non contegunt labia: & labia tota rubicunda sunt ut rosa. Sicut scriptum est: [*Cant.* 5. v. 13.] *Labia ejus rosa.*

678. אִלֵּין שַׂעֲרִי לָא חַפְיִין עַל שִׂפְוָון וְשִׂפְוָון כֻּלְּהוּ סוּמְקָן כְּוַרְדָּא דִּכְתִיב שִׂפְתוֹתָיו שׁוֹשַׁנִּים.

§. 679. Labia mussitant severitatem, (&) mussitant Sapientiam.

679. שִׂפְוָון מְרַחְשָׁן גְּבוּרְתָּא מְרַחְשָׁן חָכְמְתָא.

§. 680. Ab illis labiis dependent bonum & malum; Vita & mors.

680. בְּאִינִין שִׂפְוָון תַּלְיָין טַב וּבִישׁ חַיֵּי וּמוֹתָא.

§. 681. Ab illis Labiis dependent Domini exsuscitationis, (vigiliæ. Nam cum ista labia mussitant, omnes excitantur ad proferendum Secreta; nec non Domini judicii in omnibus tribunalibus, in quibus mansiones habent.

681. מֵאִלֵּין שִׂפְוָון תַּלְיָין מָארֵי דִּין דְּאִתְעֲרוּתָא דְּכַד מְרַחְשָׁן אִלֵּין שִׂפְוָון מִתְעָרִין כֻּלָּא לְמִגַּו וְכָארֵי דִּינָא בְּכָל בָּתֵּי דִּינִין דְּמִדְּרִידִין בְּהוֹן.

§. 682. Et propterea vocantur vigiles: sicut scriptum est: [*Dan.* 4. v. 14.] *In decreto vigilum verbum; & in sermone sanctorum petitio.*

682. וּבְגִּנְכָּא אִקְרוּן עִירִין וְכְתִיב בְּגְזֵרַת עִירִין פִּתְגָמָא וּבְמֵימַר וְגוֹ'.

§. 683. Quid est Vigil? In Libro Dissertationis id explicatur è loco illo [1. *Sam.* 28. v. 16.] *& factus inimicus tuus.*

683. מַאי עִיר בְּסִפְרָא דַּאֲגַדְתָּא כְּרָא וַיְהִי עָרִיךְ.

§. 684. Quia judicia excitantur contra illos, qui misericordiam non assequuntur è supernis.

684. דְּמִתְעָרִין דִּינִין לְאִינָּן דְּלָא אִתְרַחֵימוּ לְעֵלָּא.

§. 685. Hinc excitantur illi, qui sunt Domini inimicitiæ omnium.

685. בְּגִּין כְּמִתְעָרִין אִלֵּין דְּאִינִין מָארֵי דְּכָבֵי דִּכְלְהוּ. Cremonens. col. 573.

§. 686. Et nihilominus in utrumque modum (*feruntur*) misericordiæ & judicii. Et propterea vocantur, *Vigil & sanctus*: Judicium & misericordia.

686. וְעִכְּךָ בְּחִרְיֵי עֲוֹנִי דְּרַחֲמֵי וְדִינָא
דִּילָךְ אַקְרוֹן עִיר וְקַדִּישׁ דִּינָא וְרַחֲמֵי.

§. 687. Et in illis labiis apparet os, quando aperitur.

687. וּבְאִלֵּין שִׂפְוָון אִתְחֲזֵי פּוּמָא כַּד
אִתְפְּתַח.

§. 688. A spiritu illo, qui prodit ab ore ejus, induuntur multa millia & myriades: & cum extenditur, eodem induuntur Prophetæ veri, & omnes Os Domini vocantur.

688. רוּחָא דְּנָפִיק מִן פִּימֵהּ בֵּיהּ
מִתְלַבְּשִׁין כְּמָה אַלְפִין וְרִבְבָן וְכַד אִתְפְּשַׁט
מִתְלַבְּשִׁין בֵּיהּ נְבִיאֵי מְהֵימְנֵיָּא וְכָל דְּלֵהּ
קָרֵי יְיָ אִקְּרוּן.

§. 689. Cum verba prodeunt ab ore eadem in labiis mussitantur in omnes octodecim mille mundos: donec connectantur omnes simul in duodecim semitis & tramitibus notis. Et unum semper expectat alterum.

689. כַּד מִלִּין נְפָקִין מִן פּוּמָא
וְאִתְיַחֲשִׁין בְּשִׂפְוָון לְכָל דְּלֵהּ תַּכְסִי דְּרִי
אִלֵּין עָלְמִין עַד דְּמִתְקַטְּרִין כַּחֲדָא
בִּתְרֵיסַר אוֹרְחִין וְשִׁבִּילִין רְאִשְׁתְּמוֹדָעִן
וְכָלָּא מְחַכָּאן דָּא לְדָא.

§. 690. Linguâ loquitur magnalia in nexu medii ad ambitum.

690. בִּלְשׁוֹן מְמַלֵּל רְבְרְבָן בְּקִטּוּר
דְּטִבּוּרָא בְּעִטּוּרָא

§. 691. Et propterea scriptum est: [*Cant. 5. v. 16.*] *Palatum ejus dulcedines.* Dulcedines propriè loquendo.

691. וְעָרֵב חִכּוֹ מַמְתַקִּים מַמְתַקִּים
וְדָא מַאי חִכּוֹ כְּרָא וְחִיךְ וְטַעֲמִין לְאַכְלָא.

§. 692. *Et totus ipse desideria.* [Ubi in voce מחמדים involvuntur] Ignis & aqua: quia Ignis & aqua transferuntur, [al. conformantur, vel mitigantur] & pulchra sunt in latere ejus.

692. וְכֻלּוֹ מַחֲמַדִּים אֵשׁ וּמַיִם אֵשָׁא
וּמַיָּא מְעַתְּקִין (סָא מִתְתַּקְּנִין) וְיָאוֹת
בְּסִטְרוֹי.

§. 693. Nam colores invicem consociantur.

693. דָּא גַּוְונִי מִתְחַבְּרָן כַּחֲדָא.

§. 694. In Palato ejus literæ figuratæ & exsculptæ (*i. e. Gutturales*) in circuitu ejus condensantur [*in Palatinas.*]

694. חִכּוֹ בְּאַתְוָון רְשִׁימִין דְּמִתְגַּלְּפָן
בְּעִטּוּרוֹי גְּלִידִין.

§. 695. Litera א, quæ ejicit Reges & constituit Reges. [*i. e. qua ad Coronam vertitur, sit* ג.]

695. אָ דְּמַרְמֵיד מַלְכִין וּמְקַטֵּם מַלְכִין.

§. 696. Litera ה, quæ expellit, & descendit & ascendit, & coronatur in caput: [*hæc est descriptio Sapientiæ*] & Ignis condensatur in nerem. [*i. e. incrassetur in Iod.*]

696. הָ דְּמַרְמֵיד וְנָחִית וְסָלִיק וְעָטִיר
בְּרֵישָׁא וְאִשָּׁא גְּלִיד בְּיוֹדָא.

§. 697. Litera He flavedo [al. assuctio] Matris, aliisque in fœminâ, extensa est in fœminam majorem per desiderium Civitatis Sanctæ, quæ semper [Al. hæc enim loca] sibi invicem annectuntur [*fit Caph, quod refertur ad Basilian.*] sicut dicitur [*Cant. 4. v. 6.*] *ad montem myrrhæ, collem thuris.*

697. הֵ יְרוֹקָא (סָא וְנִקְבָא) דְּאִמָּא סְטִיר
לְיַנְקָבָא אִתְפַּשַּׁט לְנוּקְבָא רְבָא
בְּתִיאוּבְתָּא דְּקַרְתָּא קַדִּישָׁא דְּמִתְקַטְּרִי
תְּדִירָא (סָא אִתְרִין) דָּא בְּדָא כְּדָא הַר
הַמֹּר גִּבְעַת הַלְּבוֹנָה.

§. 698. Litera Ajin (*quæ denotat septem destructas inferiores*) medium sive splendor moduli (*id est, lux interna Vasorum confractorum*) exsculpta est in labia ejus excurrendo [*condensata est in* פ, *quod è medio palati excurrit usque in labia.*] Rami enim connectuntur in latus ejus; [*septem inferiores referuntur ad Microprosopum*] in spiritus [*tales erant in mundo primo*] exsculptos. [*tales facta sunt in mundo restituto.*]

698. עָ טִירָא דְּטוּבְסָא גְּלִיפָא
בְּשִׂפְוָותֵיהּ רְהִיטִין דְּעַנְפִּין מִיתְאַחֲדִין
לְסִטְרוֹי לְרוּחִין גְּלִיפִין.

§. 699. Nam in Mysteriis literarum Salomonis Regis circundantur istæ literæ quatuor, per quatuor literas גיכפ

699. וְהָא בְּרֵישׁ דְּאַתְוָון דְּשְׁלֹמֹה מַלְכָּא
אִתְעַטְּרוּ אִלֵּין אַתְוָון דְּ כְּרִ גִּ יְכִ פְּ.

§. 700. [*Scriptum autem est Job. 6. v. 6.*] *Nunquid comedetur insipidum absque sale? an est sapor &c.*

700. הֲיֵאָכֵל תָּפֵל מִבְּלִי מֶלַח וגו׳.

§. 701. Et scriptum est: [*Jesch. 32. v. 17.*] *Et erit opus justitiæ pax.* [*Et Psal. 19. v. 11.*] *Desiderabilia præ auro, præ obryzo multo, & dulcia &c.*

701. וּכְתִיב וְהָיָה מַעֲשֵׂה הַצְּדָקָה שָׁלוֹם
וְהַחֲמֻדִּים מִזָּהָב וּמִפָּז רָב וּמְתוּקִים וגו׳.

§. 701. Dulcia profectò. Sed David Rex (*ibid. v. 12.*) inquit: *Etiam servus tuus monetur in eis.*

702. מְתוּקִים וְרָאֵי דָּוִד מַלְכָּא אָמַר גַּם
עַבְדְּךָ נִזְהָר בָּהֶם וגו׳.

§. 703. Contestor de me, quod omnibus diebus cautus fuerim circa illas, ne circa illas errarem.

703. אַסְהֲדָנָא עֲלַי דְּכָל יוֹמָא אִזְדַּהֲרָנָא
בְּהוֹ דִּלְמָא לְאִשְׁתָּעָאָה בְּהוֹ.

§. 704. Excepta die quadam cùm necterem coronas Regis in spelunca Maranæa, vidi splendorem Ignis, flammantis facie violenta: ut contremiscerem.

704. בַּר יוֹמָא חַד דַּעֲטַרְנָא עִטְרֵי
מַלְכָּא בִּמְעָרְתָּא דְּמָרְנָא וְחָמֵינָא בְּרִיקָא
דְּאֵשָׁא מִתְלַהֲטָא אִפּוֹהִי דְּמַרְמֵיא
וְאִזְדַּעְזָעְנָא.

§. 705. Ex illa die cautè egi in cogitatione mea circa illas, nec omisi eas, omnibus diebus meis.

705. מֵהָהוּא יוֹמָא אִזְדַּהֲרֵינָא בְּרַעְיָנָא

§.706. Beatam portionem ejus, qui cautus est in Seniore (al. circa dulcedinem) Regis, ut illas degustet prout decet.

§.707. Propterea scriptum est: [*Psal.* 34. *v.* 9.] *Gustate & videte, quoniam bonus Dominus &c.*

§.708. Et scriptum est: [*Prov.* 9. *v.* 5.] *Ite comedite de pane meo &c.*

בְּהוֹן וְלָא שַׁבִּיקְנָא לוֹן כָּל יוֹמָא׃

706. וְזַכָּאָה חוּלְקֵיהּ מַאן דְּאִזְדַּהַר בְּעִתִּיקָא (סא בְּמִתְּיקָא) דְּמַלְכָּא דְּטָעֵם בָּרוּ כַּרְחֵוֵי׃

707. עַל דָּא כְּתִיב טְעֲמוּ וּרְאוּ כִּי טוֹב יְיָ וְגוֹ׃

708. וּכְתִיב לְכוּ לְחֲמוּ בְּלַחְמִי וְגוֹ׃

SECTIO XX.

De Corpore Microprosopi.

§.709. Extenditur Masculus per Cognitionem. Et implentur exedræ & conclavia.

§.710. A principio cranii incipit, & extenditur per totum corpus, quoad pectus & brachia & in omnia.

709. אִתְפַּשְׁטַת דְּכוּרָא בִּרְעוּתָא וְאִתְמַלְיָין אַכְסַדְרִין וְאִדְרִין׃

710. מֵרֵישָׁא דְּגֻלְגַּלְתָּא שָׁרֵי וְאִתְפַּשְׁטַ בְּכָל גּוּפָא מֵחֲדוֹי וּמֵרַחֲשׁוֹי וְכֵן לָא׃

SECTIO XXI.

De Uxore Microprosopi.

§.711. A tergo ejus adhæret radius splendoris vehementissimi, & flammat, & producit cranium quoddam, occultatum ab omni latere suo.

§.712. Et lumen [al. & descendit] duorum cerebrorum, in eo sic effiguratur.

§.713. Et ipsa adhæret lateri masculi; quapropter etiam vocatur [*Cant.* 5. *v.* 2.] Columba mea, perfecta mea. Ne legas תאומתי perfecta mea: sed תאומותי gemella mea proprie loquendo.

§.714. Crines fœminæ continent colores versicolores; sicut scriptum est [*Cant.* 7. *v.* 5.] *Coma capitis tui sicut purpura.*

§.715. Connectitur autem Rigor (*hic*) è quinque rigoribus; & fœmina extenditur in

711. מֵאֲחוֹרוֹי אִתְדְּבַק נְהִירָא בְּוִיעָא דְּחֶדְוְתָא וְלָהֵט וְאַפֵּיק גֻּלְגַּלְתָּא חֲדָא סְתִימָא מִכָּל סְטָרוֹי׃

712. וּנְהִירוּ (סא וְנָחִית) דְּתַרְעֵי מוֹחֵי גְּלִיפָן בָּהּ הָכֵי׃ Mantuan. fol. 290.

713. וְאִתְדְּבָקַת בְּסִטְרוֹי דִּדְכוּרָא בְּגִין כָּךְ אִקְרֵי יוֹנָתִי תַּמָּתִי אַל תִּקְרֵי תְּמוּתִי אֶלָּה תַּאוֹמָתִי וְדָא׃

714. שַׂעְרוֹי דְּנוּקְבָא כְּלִילִין מִכָּל גַּוְונִין (סא גְּוָונִי) דְּרַהֲטִים וְדָא הוּא דִּכְתִיב כְּאַרְגָּמָן׃

715. אִתְקְטַר גְּבוּרָא בְּחַמְשָׁה גְּבוּרָאן

in latere suo; & applicatur ad latus masculi.

§.716. Donec separetur à latere ejus, & accedat ut copuletur cum eo de facie ad faciem.

§.717. Et cùm copulantur, apparent unum omninò esse corpus.

§.718. Hinc discimus: Masculum solum videri corpus tantummodo dimidium: ita ut omnes miserationes dimidiæ sint. Et sic etiam fœmina.

§.719. Cum autem copulantur insimul, illud totum apparet esse unum revera corpus. Et ita est.

§.720. Sic etiam hîc: cum masculus copulatur cum fœmina, ambo constituunt unũ corpus; & mundi omnes in gaudio sunt: quoniam omnes à corpore perfecto benedictionem accipiunt. Et hoc arcanum est.

§.721. Et propterea [*dicitur Gen.* 2. *v.* 3.] *benedixit Dominus diei septimo & sanctificavit eum:* Quia tunc omnia inveniuntur in uno corpore perfecto: quoniam Matrona applicatur Regi, & reperitur (*cum eo*) corpus unum.

§.722. Et propterea benedictiones inveniuntur in die hac.

§.723. Atque hinc is, qui non est mas & fœmina, vocatur Corpus dimidium; nulla autem benedictio quiescit in re mutila & defectiva; sed in loco perfecto & in re perfecta; & non in medietate rei.

§.724. Et res dimidia non subsistit in æternum, nec benedictionem accipit in æternum.

§.725. Pulchritudo fœminæ tota est à pulchritudine masculi. Jamque constituimus ista, & nota sunt inter socios.

§.726. Cum hac fœmina conne ctuntur

in latere suo; & applicatur ad latus masculi.

716. עַד דְּאִתְפְּרִישָׁא מִסִּטְרוֹי וְאִתְיְצַת לְאִתְחַבְּרָא עִמֵּהּ אַפִּין בְּאַפִּין׃

717. וְכַד מִתְחַבְּרִין מִתְחַזְיָין חַד גּוּפָא מַמָּשׁ׃

718. מֵהָכָא אוֹלִיפְנָא דְּכַר בִּלְחוֹדוֹי אִתְחֲזֵי גֻּפָּא דְּכוּלְהוּ רַחֲמֵי נִסְּיוֹנִין דְּאִנּוּן דְּאִתְפַּלְגִין וְכֵן נוּקְבָא׃

719. וְכַד מִתְחַבְּרָן כַּחֲדָא אִתְחֲזֵי דְּכוּלָּא כְּלָא חַד גּוּפָא מַמָּשׁ וְהָכֵי הוּא׃

720. אוֹף הָכָא כַּד דְּכַר אִתְחַבַּר בְּנוּקְבָא כְּלָא הוּא חַד גּוּפָא וְעָלְמִין כֻּלְּהוּ בְּחֵדוּ דָּא כֻּלְּהוּ מְגוּפָא שְׁלִים מִתְבָּרְכָן וְהָכֵי הָוָא׃

721. עַל כֵּן בָּרַךְ יְיָ אֶת יוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיְקַדֵּשׁ דְּהָא אִשְׁתְּכַח כְּלָא בְּחַד גּוּפָא שְׁלִים דְּהָא מַטְרוֹנִיתָא אִתְדְּבָקַת בְּמַלְכָּא וְאִשְׁתְּכַח גּוּפָא חַד׃

722. וְעַל כֵּן בִּרְכָאן מִשְׁתַּכְחָן בְּהַאי יוֹמָא׃

723. וּמֵהָכָא מַאן דְּלָא אִשְׁתְּכַח דְּכַר וְנוּקְבָא אִקְרֵי פְּלָג גּוּפָא וְלֵית בִּרְכְתָא שָׁרְיָא בְּמִלָּה פְּגִימָה וְחִסְרָה אֶלָּה בְּאַתְר שְׁלִים בְּמִלָּה שְׁלִים וְלָא בְּפִלְגוּת מִלָּה׃

724. וּפִלְגוּת מִלָּה לָא אִתְקַיָּים לְעָלְמִין וְלָא אִתְבָּרְכָן לְעָלְמִין׃

725. נְיָ דְּנוּקְבָא כְּלָא מִנֵּי דְּכוּרָא הָא וְדָא אוֹקִימְנָא מִלֵּי וְאִשְׁתְּמוֹדָעָן בֵּינֵי חַבְרַיָּיא׃

726. מֵהַאי נוּקְבָא מִתְאַחֲזָן כָּל אִינִין

omnes

omnes illæ, quæ infra sunt: ab illa fuctionem habent, & ab illa benedictionem accipiunt. Et ipsa vocatur Mater omnium.

§. 727. Sicut Mater continet corpus, & totum corpus ab illa fugit. [al. continet hortum, & totus hortus ab illa] Ita hæc se habet ad omnes alias inferiores.

§. 728. Scriptum est: [*Prov. 7. v. 4.*] *Dic Sapientiæ Soror mea tu.* Datur enim Sapientia, & iterum datur Sapientia alia.

§. 729. Et hæc fœmina vocatur Sapientia minor, respectu alterius.

§. 730. Et propterea scriptum est [*Cant. 8. v. 8.*] *Soror nobis parvula, & ubera nulla habet, &c.*

§. 731. Nam in exilio hoc ad nos sese exporrigit Soror nostra parvula. Profectò parvula videtur; sed magna est, & grandis est, dum scilicet ipsa complementum est, quod Rex sibi assumit.

§. 732. Sicut scriptum est: [*Cant. 8. v. 10.*] *Ego murus, & ubera mea sicut turres.*

§. 733. *Et ubera mea &c.* quoniam plena sunt pro fuctione omnium. *Sicut turres*; quæ sunt flumina magna, quæ prodeunt à Matre superna.

SECTIO XXII.

De reliquis membris Microprosopi.

§. 734. Masculus extenditur in dextram & sinistram, per hæreditatem quam consequitur.

§. 735. Sed quando colores commiscentur, tunc vocatur Pulchritudo: & efformatur totum corpus *in arborem magnam & validam, pulchram, & decoram*; [*Dan. 4. v. 8.*]

§. 736. *Sub illa umbram quærunt bestiæ agri; & sub ramis ejus habitant volucres cæli, & alimentum pro omnibus in ea est.*

§. 737. Brachia ejus sunt dextrum & sinistrum. In dextro est vita & Benignitas: in sinistro mors & Rigor.

§. 738. Viscera ejus efformantur per Cognitionem, & replent omnes exedras & conclavia: sicut diximus.

§. 739. Sic enim scriptum est: [*Et per cognitionem conclavia replebuntur.*]

§. 740. Porro corpus ejus extenditur in duo femora; & intra hæc continentur duo renes, duo testiculi masculini.

§. 741. Omne enim oleum, & dignitas, & vis masculi è toto corpore in istis congregatur: nam omnes exercitus, qui prodeunt ab iis, omnes prodeunt & morantur in orificio membri genitalis.

§. 742. Et propterea vocantur Exercitus: & sunt Superatio & Gloria. Nam pulchritudo est Tetragrammaton: Superatio autem & Gloria sunt exercitus: hinc venit Nomen illud, *Dominus exercituum.*

§. 743. Membrum masculi est extremitas totius corporis, & vocatur fundamentum: & hic est gradus ille qui mitigat fœminam. Omne enim desiderium masculi est versus fœminam.

§. 744. Per hoc fundamentum ille ingreditur in fœminam: in locum qui vocatur Zijon, & Jerusalem. Nam hic est locus tegendus fœminæ: & in uxore vocatur uterus.

§. 745. Et hinc Dominus exercituum vocatur fundamentum. Et scriptum est: [*Ps. 132. v. 13.*] *quoniam Dominus elegit Zijon, desideravit in habitaculum sibi.*

§.746. Cum separatur Matrona & cum Rege copulatur de facie ad faciem in excellentia Sabbathi: omnia fiunt unum corpus.

§.747. Atque tunc Deus ille Sanctissimus, qui benedictus sit! sedet in throno suo, & omnia vocantur Nomen integrum; nomen Sanctum. Benedictum sit nomen ejus in seculum, & in seculorum secula.

§.748. Omnia hæc verba distuli usque in diem hunc, qui per illa coronatur pro mundo venturo. Jamque hic manifestantur: ô beatam portionem meam!

§.749. Cum hæc matrona copulatur cum Rege, omnes mundi benedictionem accipiunt, & reperiuntur in gaudio Universi.

§.750. Sicut masculus constat è triade, & initium est cum triade: eodem modo omnia sic se habent: & finis totius corporis ita est: & Matrona non accipit benedictionem nisi in syntagmate triadis; & isti gradus sunt Superatio, gloria, & fundamentum.

§.751. Et mitigatur & benedictionem accipit in loco qui vocatur Sanctum Sanctorum inferius.

§.752. Sicut scriptum est:] *Psal.* 133. *v.* 3.] quoniam ibi præcepit Dominus benedictionem. Duo enim gradus sunt, supra & infra.

§.753. Hinc non est licentia illuc introeundi, nisi Sacerdoti magno, qui provenit de latere Benignitatis: ne in illum locum supernum ingrediatur alius, quàm iste, qui vocatur Benignitas.

§.754. Et ingrediatur in Sanctum Sanctorum; & mitigetur uxor; & benedictionem accipiat illud Sanctum Sanctorum; in loco qui vocatur Zion.

746. כד אתפרשת מטרוניתא
ואתחברת במלכא אנפין באנפין בשלמי
שבתא אתעביד כלא חד גופא.

747. וכדין יתיב קודשא בריך הוא
בכורסיוד ואקרי כלא שמא שלים
שמא קדישא בריך שביא לעלם ולעלמי
עלמין.

748. כל אלין מלין סליקנא עד יומא
דא דאתעטרא בהו לעלמא דאתי
והשיתא אתגלין חמא וזכאה חולקי.

749. האי מטרוניתא כד אתחברת
עם מלכא כל עלמין מתברכין ואשתכחו
בחדוותא דכלא.

750. כמה דדכורא כליל בתלתא
ושיורותא בתלתא כך כלא הכי וסיומא
דכל גופא הכי ומטרוניתא לא מתברכא
אלא בכללא דתלתא אלין ואינון נצח
הוד יסוד.

751. ומתבסמא ומתברכא באתר
דאקרי קדש הקדשים דלתתא.

752. דכתיב כי שם צוה יי את
הברכה ושם תרין דרגין אינון לעילא
ותתא.

753. ובגין לית רשותא למיעל תמן
בר כהנא רבא דאתי מן מטרא דחסד
בגין דלא עייל לההוא אתר דלעילא
אלא ההוא דאקרי חסד.

754. ועייל בקודש הקדשים ומתבסמת
נוקבא ומתברכא הוי קדש הקדשים
בגו אתר דאתקרי ציון.

§.755.

§.755. Zion autem & Jerusalem duo sunt gradus, unus misericordiam, & alter judicium denotans.

§.756. De Zion enim scriptum est: [*Jes.* 1. *v.* 27.] *per Judicium redimetur.* Et de Jerusalem [*ibidem v.* 21.] scriptum est: justitia pernoctat in ea: sicut posuimus.

§.757. Et omne desiderium masculi fertur erga fœminam. Sic autem vocantur hæc, quia ex hinc proveniunt benedictiones pro omnibus mundis; & omnia benedictionem accipiunt.

§.758. Hic locus vocatur Sanctum; & omnes sanctitates masculi illuc ingrediuntur, per illum gradum, de quo diximus.

§.759. Omnes autem veniunt à Capite superno cranii masculi, è latete cerebri superni, ubi residet.

§.760. Et hæc benedictio promanat per omnia membra corporis, usque ad illa, quæ vocantur Exercitus.

§.761. Et omnis ille desfluxus qui profluit è toto corpore ibidem congregatur, & propterea vocantur Exercitus; quia omnes Exercitus superiorum & inferiorum ibidem egrediuntur.

§.762. Et ille desfluxus in loco ubi congregatur & qui emittitur per illud fundamentum Sanctissimum, totus est albus: & propterea vocatur Benignitas.

§.763. Ex illo Benignitas ingreditur in Sanctum Sanctorum: sicut scriptum est [*Psalm.* 133. *v.* 3.] *quia ibidem præcipit Dominus benedictionem* (&) *vitam usque in seculum.*

§.764. Dicit R. Abba: vix finiit Lucerna sancta vocem *vitam*; & cessarunt verba ejus. Ego autem scribebam; & putabam me plura scripturum; sed nihil audiebam.

755. ציון וירושלים תרין דרגין אינון
חד רחמי ותד דינא.

756. ציון דכתיב במשפט תפדה.
וירושלים דכתיב צדק ילין בה כמה
דאוקימנא.

757. וכל תיאובתא דדכורא לנבי
נוקבא הכי קרינן להו דמתמן נפקא
ברכן לכולהו עלמין וכולהו מתברכין.

758. האי אתר אקרי קדש וכל
קדשים דדכורא עיילין תמן בהאיא
דרגא דאמינא.

759. וכולהו אתיין מריש עלאה
דגלגלתא דדכורא מסטרי דמיחי עלאי
דשדרין ביה.

760. ונגיד האיא ברכא בכל שיזיפי
גופא עד אינון דאקרון צבאות.

761. וכל האיא נגידו דאתנגיד מכל
גופא מתכנשי תמן ועל אקרון צבאות
דכל צבאות דעלאין ותתאין תמן
נפקין.

762. והאיא נגידו באתר דאתכניש
תמן שרין ליה בהאיא יסוד קדישא
כלא חוורא בגין אקרי חסד.

763. מההוא חסד עייל לקדש
הקדשים דכתיב כי שם צוה יי את
הברכה חיים עד העולם.

764. אמר ר אבא לא סיים ביציאא
קדישא למימר חיים עד דאשתככי
מלוי ואנא כתיבנא סברנא למכתב טפי
ולא שמענא.

§. 765. Non autem elevabam caput meum, quia lumen erat nimium: & hactenus non potueram illuc respicere.

§. 766. Contremuit igitur, & audiebam vocem, quæ exclamabat & dicebat: [*Prov.* 3. v. 2.] *Longitudinem dierum & annos vitæ*, &c.

§. 767. Audiebam vocem aliam: [*Psal.* 21. v. 5.] *vitam petit à te*, &c.

§. 768. Per totum illum diem ignis non recessit à domo, & nemo erat, qui appropinquaret ad eum: quia non poterant; lumen enim & ignis erant circa illum per totum illum diem.

§. 769. Procidebam autem in terram, & vociferabar.

§. 770. Cum igitur recessisset ignis, videbam lucernam sanctam, sanctum sanctorum, quod ablatus esset è mundo.

§. 771. Obvolutus autem jacebat in dextro suo latere, & facies ejus risum præ se ferebat.

§. 772. Surgebat autem R. Eleasar filius ejus, & acceptas manus ejus exosculabatur: Ego autem lingebam pulverem, qui sub pedibus ejus erat.

§. 773. Socii volebant plorare, sed non poterant loqui. Incipiebant tamen & flebant Socii, & R. Eleasar filius ejus procidebat ter, & non poterat aperire os suum.

§. 774. Postmodum exorsus dicebat: O Pater, O Pater, tres fuerunt, in unum redacti sunt.

§. 775. Nunc divagabuntur animalia: aves avolabunt & occultabunt se in foramina Maris magni: & socii omnes bibent sanguinem.

§. 776. Surgebat autem R. Chija in pedes suos & dicebat: Hactenus lucerna sancta curam nostri habuit [al. occupatus fuit circa nos.] Jam tempus non superest aliud, nisi ut occupemur circa honorem ejus.

765. לָא זַקִּיפְנָא רֵישָׁאי דְּחִוָּרָא חָוָה סְגֵי
וְלָא הֲוַי יְכִילְנָא לְאִסְתַּכְּלָא אֲרַחֲכֵי.

766. אִדְּעִזְעָא שְׁמַעְנָא קָלָא דְּאָקְדֵי
וְאָמַר אֲרַךְ יְמִים וּשְׁנוֹת חַיִּים וגו׳.

767. שְׁמַעְנָא קָלָא אָחֳרָא חַיִּים שָׁאַל
מִנָּךְ וגו׳.

768. כָּל הַהוּא יוֹמָא לָא אִפְּסִיק אֶשָּׁא
מִן בֵּיתָא וְלָא הֲוָה מַאן דְּמְטֵי Cremonens. col. 599.
לְגַבֵּיהּ דְּלָא יְכִילוּ דְּנָהִירָא
וְאֶשָּׁא הֲוָה בְּסוֹחֲרָנֵיהּ כָּל הַהוּא יוֹמָא.

769. נְפִילְנָא עַל אַרְעָא וְצָעִינָא.

770. כַּד דְּאִיזִיל אֶשָּׁא חֲסִינָא
לִבְצִינָא קַדִּישָׁא קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים
דְּאִסְתַּלַּק מִן עָלְמָא.

771. אִתְעַטַּף שָׁכִיב עַל יְמִינֵיהּ
וַאֲבָּפֵי חַיְכִין.

772. קָם רִ׳ אֶלְעָזָר בְּרֵיהּ וְנָטִיל יְדוֹי
וְנָשֵׁיק לוֹן וְאָנָא לְחִיכְנָא עַפְרָא דְּתַחוֹת
רַגְלוֹי.

773. בָּעֵי חַבְרַיָּיא לְמִבְכֵּי וְלָא יְכִילוּ
לְמִלָּלָא שָׁאֲרֵי בְּכָיֵיהּ חַבְרַיָּיא וְרִ׳ אֶלְעָזָר
בְּרֵיהּ נָפֵל תְּלַת זִמְנִין וְלָא יְכִיל לְמִפְתַּח
פּוּמֵיהּ.

774. לְבַתַּר פָּתַח וְאָמַר אַבָּא אַבָּא
תְּלַת הָווּ חַד אִתְחַזְרוּ.

775. הַשְׁתָּא תְּנִיד חִיוָתָא צִפְּרָאן
מָאסֵן מִשְׁתַּקְעִין בְּגִיזְקָנָן דְּיַמָּא רַבָּא
וְחַבְרַיָּיא כּוּלְּהוּ שַׁתְּיִין דָּמָא.

776. קָם רִ׳ חִיָּיא עַל רַגְלוֹי וְאָמַר
עַד הַשְׁתָּא בְּצִבְצִינָא קַדִּישָׁא מְסַתְּכַל

§. 777. Surgebant ergo R. Eleasar & R. Abba, & imponebant ei vestem sepulchralem: (&) quis (*unquam*) vidit (*talem*) commotionem & mixtum affluxum Eruditorum? per totam autem domum ascendebant odores (*fragrantes.*)

§. 778. (*Tunc*) elevabant eum in feretrum; & nemo hæc servitia ei exhibebat, quam R. Eleasar, & R. Abba.

§. 779. Veniebant (*autem*) Lictores & milites de Caphar [Al. de Zippore & Taradra: vel, Doctores & studiosi è pago,] & repellebant eos [*sive contumeliæ, juxta priorem sensum, sive majoris honoris causa, sensu posteriore.*]

§. 780. Sed incolæ Maronææ iis reclamabant cum tumultu, quod putarent, eum ibidem non sepultum iri.

§. 781. Cum igitur efferretur lectus sepulchralis; Ipse elevabatur in aërem, & Ignis flammabat ante eum.

§. 782. (*Et*) Vox audiebatur (*dicens:*) Ingredimini & venite & congregaminiad gaudia nuptialia R. Schimeonis. [*Jesch.* 57. v. 2.] *Ingredietur (eum) pace, (&) requiescent in cubiculis suis.*

§. 783. Cum inferretur in antrum (*sepulchrale*) audiebatur vox in antro: *Hic est ille Vir qui commovit terram, & tremere fecit regna.*

§. 784. Quot libertates in cœlo reperiuntur hodie, propter te!

§. 785. Hic est ille R. Schimeon filius

777. קָם רִ׳ אֶלְעָזָר וְרִ׳ אַבָּא · נְטָלוּ
בִּיהּ בְּטִירְקָא דְּסִילְקָא · מַאן חָמָא
עַרְעוּרָא וְעַרְבּוּבְיָא דְּחַבְרַיָּיא וְכָל בֵּיתָא
הֲוָה סָלִיק רֵיחִין.

778. סָלִיקוּ בִּיהּ כְּפוּרְיָא וְלָא אִשְׁתַּמַּשׁ
בִּיהּ אֶלָּא רִ׳ אֶלְעָזָר וְרִ׳ אַבָּא.

779. אָתוּ טִירְקִין וְכַאבֵי תְּרֵיסִין דְּכַפַּר
וְטַרְדָּא בָּתוּ (כְּאַ רְצִפְּרִי וְטַרְדָּיָא וְתוּ.)

780. בְּנֵי מָרוֹנְיָא צָוְחִין בְּקִטְרִיגָן
דְּחָשִׁיבִי דְּלָא יְתְקְבַר תַּמָּן.

781. כַּד דְּנָפִיק פּוּרְיָא הֲוָה סָלִיק
בַּאֲוִירָא וְאֶשָּׁא הֲוָה לְהוֹט קְדָמֵיהּ.

782. שְׁמַעוּ קָלָא עָלוּ וְאִתוּ וְאִתְכַּנְּשׁוּ
לְחֶדְוָתָא דְּרִבִּי שִׁמְעוֹן בָּא שָׁלוֹם וְיָנוּחוּ
עַל מִשְׁכְּבוֹתָם.

783. כַּד עָאל לְמַעְרְתָּא שְׁמַע קָלָא
בְּמַעְרְתָּא זֶה הָאִישׁ מַרְעִישׁ הָאָרֶץ
מַרְגִּיז מַמְלָכוֹת.

784. כַּמָּה בְּטִירִין בִּרְקִיעַ מִשְׁתַּכְּחִין
(כְּאַ מִשְׁתַּכְּחִין) בְּיוֹמָא דֵּין בְּגִינָךְ הָוָה.

785. רִ׳ שִׁמְעוֹן בֶּן יוֹחַאי דְּמָארֵיהּ

Jochai, de quo Dominus ejus gloriatur quotidie. Beata est portio ejus supra & infra.

מִשְׁתַּבַּח בֵּיהּ בְּכָל יוֹמָא · זַכָּאָה חוּלָקֵיהּ דְּעִלָּא וְתַתָּא.

§. 786. Quot thesauri summi reservati sunt ipsi!

786. כַּמָּה גְנָזִין עִלָּאִין מִסְתַּתְּרִין לֵיהּ.

§. 787. De ipso dictum est [*Dan.* 12. *v.* 13.] *Et tu vade ad finem, & requiescet, & stabis in sorte tua in fine dierum.*

787. עָלֵיהּ אִתְּמַר וְעִתְּדָ֖ לָ֣ךְ לְקֵ֑ץ וְתָנ֥וּחַ וְתַעֲמֹ֖ד לְגֹרָלְךָ֥ לְקֵ֖ץ הַיָּמִֽין׃

Huc usque

Synodus Sancta minor.

עַד כָּאן הָאִדְרָא קַדִּישָׁא זוּטָא׃



PARTIS SECUNDÆ
TRACTATVS QVARTVS

Qui est

IN SIPHRA DE ZENIUTHA

Seu

LIBRUM MYSTERII

COMMENTARIUS

è manuscripto à R. Chajim Vital juxta
tradita R. Jezchak Lorja Germani edito
latinitate donatus:

In quo

Magna ex parte etiam illustrantur ambo Tractatus, qui vocantur Idra, tam rabba sive major, quam suta sive minor.

Nec non

COMMENTARIUS ALIUS

generalior in omnes hos tres Tractatus methodicus è scriptis R. Naphthali Hirtz F. Jacob Elchanam collectus & translatus.

IN SIPHRA DE ZENIUTHA,

Seu

LIBRUM OCCULTATIONIS

Commentarius R. Jizchak Lorjenſis Germani; è Manuſcripto, translatus.

§. 1. ספרא דצניעותא; *Liber Zeniutha, ſeu occultationis.* Hoc nomen explicandum eſt juxta ſenſum dicti illius Prov. 25. v. 2. כבוד אלהים הסתר דבר; *Gloria Dei eſt, celare verbum.* Item juxta illud Prov. 11, 2. ואת צנועים חכמה *& cum latentibus eſt Sapientia.* [Senſus eſt, De occultis & occultandis, occulto quoquoque loquendi genere hic agi. Forte quoque Autor hujus Libri, nempe R. Schimeon Ben Jochai, hoc nomine alludit ad tempus, quo Librum hunc compoſuit, cùm ſcilicet per annos duodecim occultaretur in ſpelunca quadam præ metu Romanorum.]

§. 2. סגרא דחקיל במחקלא *Liber qui deſcribit Librationem Bilancis,* &c. Bilancæ vocantur Mas & Fœmina: ſicut ſcriptum extat in Sohar ſectione Pekude: *Qui matrimonium contrahunt, dicuntur conſtitui per modum Bilancis, cum ſcilicet mares & fœminæ invicem coaleſcunt,* &c. Et ſic quoque reperimus in Idra minore in Deuter. col. 562. *Cum Senex Sanctiſſimus occultiſſimus omnium occultorum, reſtaurationem inſtituere vellet, omnia conformabat per modum maris & fœminæ: talis nempe loco, (& moda) ut continerent marem & fœminam: (Prius enim) non ſubſiſtebant,* (in naturis ſuis ſolitariis;) *ſed ſtatu alio* (dandi & accipiendi ſubſiſtebant) *ceu mas & fœmina. Hæc ſapientia, continens omnia cum prodiret & eluteſceret è Sene ſanctiſſimo; non eradiabat niſi ceu mas & fœmina; Hæc Sapientia extendebatur & inveniri poterat, qua mas & fœmina erat. Sapientia* (enim dicitur) *Pater; Intellectus informatio,* (*dicitur*) *Mater.* (Ita tamen ut) *Sapientia & Mater intelligendi in unam conformarentur Bilancem maris & fœminæ: & per illos omnia ſubſiſtunt ſub analogyneitate* (ſimili:) *quod niſi fieret, non permanerent* &c. Hæcibi.

§. 3. Senſus eſt hic. Senex ſanctiſſimus tria habet capita: Unum eſt Sapientia occulta, quæ non manifeſtatur, quia idem eſt ac ſi non eſſet; cum (Sapientia) alia manifeſtetur per triginta duas ſemitas; hæc autem (de qua hic agimus) dicitur occulta. Caput ſecundum, hoc ſublimius, eſt ſenex Sanctiſſimus, corona ſumma. Nomen tertii eſt: Caput quod nec cognoſcit nec cognoſcitur; (quia nec ipſum novit, nec inferiora norunt, quid in hoc capite ſit; quia non cohæret nec cum Sapientia, nec cum Matre intelligendi. Et hoc vocatur. אין סוף Infinitum.

§. 4. Sed Corona summa, qui est Senex sanctissimus, occultissimus omnium occultorum conformatur in sapientia occulta ad instar maris & fœminæ.

§. 5. Ista enim Sapientia occulta exponitur per tria Tetragrammata (quæ continentur in tribus dictis (1.) Psal. 97. v. 11. & Psal. 99. v. 1. (2.) Ps. 10. v. 16. & (3.) Ps. 146. 9.) quæ sunt duodecim literæ, nempe יהוה יהוה יהוה : & ipse Senex continet ea, unde tredecim; Metra (scilicet) Miserationum. Et hæc se habent ad instar Maris & fœminæ; ut septem sint masculina; & sex fœminina: ficut dicitur in Libro Bahir: eademque sunt radix Pulchritudinis & Regni. Et huc pertinet dictum illud R. Nechonjah Filii Kanah, quando inquit: & convertuntur in Pulchritudinem & Regnum; ibidem enim radicantur sex partes Masculi, & sex partes Fœminæ.

§. 6. Et hic est sensus verborum illorum supra ex Idra allegatorum: אחקק כולא כעין דכר ונקבא omnia conformabat per modum maris & fœminæ. Ubi intelligitur Benignitas superna, quæ designatur in Fronte, & deorsum extenditur in Barbam; quæ sub se continet Patrem & Matrem. *Non igitur subsistere poterant in alio statu*, cum ab illo exirent & eradiarent, *nisi ut mas & fœmina*; qui sunt, Pater, Sapientia; & Mater, Intellectus largitio; sicut postea subjungit: *Hæc sapientia*, nimirum antequam extenderetur in triginta duas semitas; *cum prodiret & eradiaret à sine Sanctissimo, non effulgebat, nisi ut Maris & fœmina* naturam habens: quia Intelligefactio (sit venia Verbo;) in ipsa latebat. Et cùm *extenderetur, invenire poterant & manifestabantur*, quæ occulta fuerant: & existebant *sub statu Androgynitatis*. Et hæc est litera ד Jod; quæ extensa antrorsum & deorsum fit ד Daleth.

§. 7. *Hæc Sapientia & Mater intelligendi una libra ponderati sunt in marem & fœminam*: quia ambo æqualis sunt quantitatis; nec ita sicut se habet uxor Microprosopi, quæ marito non est sociata, nec tam magna ut ipse; quia à tergo Microprosopi incipit. Et hoc ipsum est, quod paulò infra subjungitur in Idra hac: *Sapientia & Mater intelligendi simul exeunt & simul habitant*. Nam quando Sapientia prodit, Mater intelligendi in ipsa includitur; & hoc est illud; *Simul exeunt*. Et paulò post: *Ambo æquales sunt*; id ipsum est, quod dixerat: *simul commorantur*.

§. 8. *Et in illis omnia subsistunt*: Ubi intelligitur Pulchritudo & Regnum. *Cum mas & fœmina. Quod nisi foret*, ut in supernis esset initio & receptio: *non subsisterent*. Hoc igitur est, quod Textus dicit: סבראה רחקיד בסתקא *Liber qui enarrat constitutionem Bilancis*. Id est: Matrem & fœminam, prout explicuimus: Quod nempe Autorem Emanationis supremum oportuerit introducere statum Maris & fœminæ, ut tota Emanatio hoc modo concatenaretur: & Judicia mitigarentur (& mutarentur) in miserationes: quia Mas denotat miserationes & amores; fœmina autem judicia & rigores; sicut notum est.

§. 9. Hinc omnes Reges, qui regnarunt in Edom; qui est locus in quo omnia judicia consistunt; extirpati sunt: donec veniret Rex ultimus, cum uxore sua; adeoque Mas & fœmina; amor & rigor, & simul mitigarentur, prout in sequentibus Liber occultationis porrò declarabit. Pergit enim:

§. 10. &c. דער לא הוה מתקלא *Antequam enim esset bilanx* &c. Scito, quod in

in Patri summo, id est in Patre & Matre; antequam conformaretur Senex sanctissimus, Pater faciem suam averteret à Matre; sicut aversa est facies Microprosopi ab uxore sua. Et hoc ipsum est illud, quod dicitur sectione Breschith: col. 20. *Respondebat illis & literæ Zade; tu quidem vocaris Zade, vel etiam Zadik, i. e. Justus: sed debebas esse occulta; nec decebat, ut tam manifesta esses: ne occasio calumniandi daretur mundo. Quare hoc? Num erat; & vemebat ו Jod, litera Nominis Sancti, eidemq; insidebat, & cum ipso unitebatur. Et hoc mysticè continetur in eo, quod Deus cùm conderet Adamum Protoplasten, androgynon ipsum creavit. Hinc litera Jod faciem suam retrò convertebat hoc modo נ; nec faciei ergo se invicem convertebant; hoc modo ק &c.* Hinc apparet, quod ץ litera Zade fit נ Nun; cui insidet litera ק Jod: unde exurgit figura ץ: Jod autem faciem suam avertit à Nun.

§. 11. Unde Liber occultationis dicit: לא הוו משגיחין אנפין באנפין *facies ad faciem non convertebatur*. Id est: Per Jod intelligitur Pater; Per Nun autem Mater, cui tribuuntur quinquaginta Portæ Intelligentiæ. Unde textu allegato dicitur: *Debebas esse occulta, non decebat tam manifestam esse*. Mater enim non est de mundo manifesto, sed est de mundo occulto, qui dicitur עלמא דאתכסיא Mundus absconditus.

§. 12. Per Adamum Protoplasten autem intelligitur Adam Kadmon, anterior ille; Sapientia, & quidem prima omnium. Hinc textus inquit: *Antequam esset libra faciei faciem non respiciebat*. Sicut enim Microprosopus & uxor ejus junctis tergis prodierunt, facie ad faciem non conversa; (quamvis enim prodirent; tamen ibidem cohærebant.) Sic etiam in supernis; antequam Adam anterior conformaretur in marem & fœminam, & introduceretur status bilancis, Pater & Mater de facie ad faciem sese non contuebantur. Pater enim denotat Amorem perfectissimum; & Mater rigorem perfectissimum; & hæc faciem aliorsum convertit.

§. 13. Et omnes septem filii superni, qui ab ista prodierant, per quos intelligere מלכין קדמאין *Reges illos priores*, qui regnarunt in Edom; quæ est Binah, Mater filiorum, quæ genuerat septem, Jer. 15. v. 9. qui omnes erant rigores perfectissimi, neque nexum vel radicem habebant in Sene sanctissimo; מתו *i. e. mortui sunt.*

§. 14. Et hæ quoque sunt illæ scintillæ, in quibus nihil inest. Et scintillæ istæ dispersæ sunt per Lunen illud intensissimum, quod erat Radix Judiciorum; quodque reconditum fuerat in visceribus Matris; quæ est Mater intelligendi, à qua Judicia exsuscitantur: sicut dicitur in Idra minore. De his etiam dictum in Sohar sectione Pekude, quod vibrante ברעותא דקדישיתא *i. e. Lumine intensissimo, Idea emiserit scintillas; quarum summa ascenderit ad trecentas & viginti; quæ præsiderint quaquaversum. Et sic scoriæ separatæ fuisse ex Idea, ut purior maneret. Et hæ scoriæ fuisse dicuntur Mundi priores; qui illico mortui sint.* Quorum verborum hic est sensus: Quod Senex Sanctissimus differre coactus fuerit conformationem suam, donec prodissent istæ scintillæ; quippe quæ essent judicia rigorosissima, & quibus immixti essent cortices. Ubi deinde scoriæ ab illis separatæ sunt, & emundatum fuit, quod emundari potuit, cortice infrà subsidente; ut sic distinctio fieret inter sanctum & inter prophanum.

§. 15. Et sic quoque deinceps, cùm senex iste scire vellet, utrum mitigata essent judicia, prodierunt Kain & Hebel: (sicut infrà dicemus:) & sic scoriis ab Idea separatis, hæc purificata est.

§. 16. Ratio autem, quare numerus istarum scintillarum dicatur esse trecentarum & viginti, sic indagari potest: si eas dicamus correspondere cum trecentis & decem mundis prodeuntibus à Sapientia; additis decem, quæ à Matre intelligendi veniunt: sic erunt trecenti & viginti. Ex adverso igitur horum prodierunt judicia. Quia & hoc in casu unum alteri oppositi Deus.

§. 17. Porrò etiam sectione Tasria dicitur: *E lumine intensissimo prodeunt trecenta viginti quinq; scintillæ, quæ simul uniuntur in lectore severitatis, & vocantur Severitates. Has sociat & impregnant spiritum quendam; & cùm eadem in corpus ingrediuntur, vocantur nomine* אִישׁ *viri &c.* Et istæ scintillæ sunt primæ illæ, quæ destructæ sunt, iterumque stabilitæ, cùm conformaretur Senex sanctissimus & Microprosopus: & unitæ sunt in Microprosopo, qui propterea vocatur Vir belli, de quo hic sermo est.

§. 18. Scintillæ autem residuæ sunt quinque Severitates, quæ illarum sunt radix, è quibus illæ prodierunt. Suntque mysterium literarum duplicium כנפגר, quæ cum quinque hisce severitatibus correspondent. Scito autem, quod nomen דִּין i.e. Judicium, cujus numerus est 64, quinquies sumtum, efficit trecenta & viginti. Et nomen אֲדֹנָי, quod denotat judicium remissum, cujus numerus est 65, quinquies sumtum efficit trecenta & viginti quinque. Quod notes.

§. 19. Et isti Reges, quia nondum erat status bilancis; neque Senex Sanctissimus conformatus erat in statum maris & fœminæ; nullum habebant attactum in supernis: unde mortui sunt.

§. 20. Ratio autem mortis ipsorum hæc erat, quia nullam habebant radicem in Sene Sanctissimo; nec etiam Sapientia, quæ ab hoc Sene prodibat, ipsorum erat radix, & hi illam nullatenus contingebant; Omnia enim hæc meræ erant Miserationes, & Amor simplicissimus; illi autem judicia erant rigorosa. Unde facies se invicem non respiciebant: nec enim Pater respiciebat Matrem, quia ab hac prodibant judicia. Nec Macroprosopus respiciebat Microprosopum: Et licet Microprosopus faciem suam converteret ad illos, ut eos illuminaret, & influxu satiaret; quia tamen nullam in eo habebant radicem, hinc patet, quod nulla facies ad ipsos conversa fuerit.

§. 21. Hinc porrò dicitur: &c. וּתְבוּנָתָן לֹא אִשְׁתְּכַח *Et alimentæ eorum non inventa sunt.* Nutrimentum autem & robur illorum consistere debebat in radicibus, & in scintillis ipsorum supernis; quæ nondum inveniebantur in Sene Sanctissimo. Vel etiam dici potest, nomine Regum intelligi septem illos Reges Edomiticos: & per alimenta illorum intelligi scintillas supradictas. Vel etiam intelligi possunt coronæ illorum, & urbes, quæ singulis tribuuntur è septem illis Numerationibus: v. g. cùm Nomen עֹז, seu quod valorem habet 72, tribuitur Benignitati: & nomen לֹט sive quòd valet 42; Severitati: & nomen עֹנִי sive valoris 52, (vel כֹּל sive 22,) pulchritudini: & similia plura: Hæc autem tunc non reperiebantur ob nimiam judiciorum copiam, quæ tunc prævalebat, ut dictum suprà.

§. 22.

§. 22. Porrò sequitur: &c. וְאַרְעָא אִתְבַּטְּלַת *Et terra desolata erat.* Ubi intelligitur Regnum seu numeratio ultima, quæ erat vacua & inanis. Quia nullis existentibus fluminibus nullum datur mare. Illa enim ex seipsa nihil habebat: hinc dicit אִתְבַּטְּלַת *i.e. quasi nihil erat*: quia ab illis nihil penitùs accipiebat: Sed opus illius in hoc saltem consistit, ut à masculo accipiat amores; cùm ipsa merus sit rigor & judicium; quæ invicem sunt temperanda, ad producendam creationem, & catervas ejus superas & inferas. Ad habitandum enim creata est; & cùm in illa prævalent judicia rigorosa, ipsa inanis est, quia non potest exercere actus suos operativos.

§. 23. Sequitur in textu עַד רֵישָׁא דְכֹל כְּסוּפִין *donec caput omnium maximè desideratum*, &c. Hoc est caput, quod non cognoscitur, & non annectitur. Et hoc vocatur אֶחָד סָתוּם ut suprà scripsimus. Et hoc est desiderium, quo omnia abripiuntur, & ad quod omnia appropinquare desiderant; imò ipse quoque Senex, quem tamen omnia contingere nituntur, ipse etiam appetit atque desiderat unionem cum isto capite, quod quasi caput non est.

§. 24. לְבוּשִׁין דִּיקָר אִתְקַן וְאִתְכְּסֵי *Vestimenta honoris paravit & communicavit.* Hæc vestimenta comparata sunt, ut (nimium) illud lumen iisdem indueretur atque absconderetur. Hæc autem occultatio fuit causa manifestationis: quia nemo sustinere potuisset tantam lucis vim, multo minus eâdem frui, nisi mediantibus his vestimentis. Similis locò, consideretur sol, quem homo oculis contueri non potest ob nimiam splendoris ejus vehementiam; nisi hanc cohibeat interpositò velò quòdam vel mediò aliò: tunc enim frui potest luce ejus. Quod si igitur lumen aliquod multò sit intensius, ibi sanè longè pluribus opus est velamentis, ut quis luce illâ frui queat. Et hæc est mens, quare vestimenta hæc honorificentissima præparata sint: prout & in Sohar multis in locis dicitur: *Hoc vestitum sive indutum atque contectum est illo.*

§. 25. Vestimenta autem ista sunt: Cranium; ros crystallinus intrà cranium; membrana aëris purissima & clausa; capilli ad instar lanæ mundæ, æqualiter dependentes; beneplacitum beneplacitorum, quod est frons; visio aperta, id est, oculus; & duo foramina nasi cum ipso naso: quæ sunt partes septem cranii; correspondentes septem vocibus initialibus historiæ Creationis. Quomodo autem paratæ sint, paulò infra declarabitur. Septem autem ista sunt inferiùs, & reperiuntur in septem partibus Macroprosopi. Atque hinc dicit וְאִתְכְּסֵי Et communicavit: quia ab illis dependent septem etiam partes Microprosopi & Uxoris ejus, quibus communicatæ sunt septem istæ conformationes, ut paulò infrà latiùs diducetur.

§. 26. דְּאִי מִתְקְלָא תְלֵי בְּאַתְרָא דְּלָאוֹדֵי *Hoc libra pendet in loco, qui non est.* Ile Sapientiæ occulta, quæ est in Sene Sanctissimo, quæq; constituta est in statum maris & fœminæ, ut scripsimus supra: hæc, inquam, dependet à Sene, qui est אֵין quasi non ens, idemque est, ac si non esset. Senex enim iste comprehendit eos, & ab eo dependent. Sicut dicit R. Schimeon Ben Jochai super quo pax, in Idra minore: quòd in Microprosopo sint; & à Sene dependeant: Ubi sensus est, quod ibi sint modò quòdam valdè occultò.

§. 27.

§. 27. אתקלו בידי איזן דלא אשתכחו i. e. *Eâdem ponderatis sunt illi, qui non repertebantur:* Nimirum Reges primi, de quibus suprà diximus, quod non amplius reperti fuerint, (quia destructi, contracti, & mortui erant;) librati sunt hâc librâ Sapientiæ occultæ, cùm conformaretur in statum maris & fœminæ, rigoris & amoris: iidemque restituti sunt, & ipsis parata est radix in supernis, unde Idra minor de his ita loquitur: *Deinde prodiit, quidam opifex ad opificium suum; & conformatus est in statum maris & fœminæ. Nempe scintillæ illæ statim extinctæ sunt atque mortuæ: jam verò subsistunt Omnes. Provenit è lumine intensissimo radius vibrantissimus; & extinguebantur in aëre subtili: tunc autem inter se temperabantur, cum Pater & Mater copularentur. Et hic Pater est Spiritus, qui occultatur in Sene multorum dierum: & in hoc abscondebatur aër iste, & in se colligebat scintillas Lucis intensissimæ, occultatas in visceribus Matris. Cumque ambo jungerentur, & sibi invicem innecterentur, prodebat cranium aliquod dorum, & extendebatur tàm in hoc latus, quàm in alterum, sicut in Sene Sanctissimo, tria simul inveniuntur capita: Sic omnia conformata sunt in tria capita, sicut diximus.* Hæc ibi.

§. 28. Hæc sic exponi possunt. Postquam mortui & destructi sunt mundi priores, eò quòd parati essent sine conformatione, de qua nunc sermo est; *prodiit opifex quidam*, i. e. Corona, Senex Sanctissimus, Architectus admirandus; *ad opificium suum*, i. e. ad cerebrum occultum, de quo dicitur: quòd fuerit apud ipsum Architectus. *Et conformatus sunt in statum maris & fœminæ.* Et jam restitutæ sunt omnes illæ scintillæ, quæ mortuæ fuerant: quia radicem acceperunt in supernis. Hinc dicit *deinde*, i. e. postquam conformatus esset Senex Sanctissimus in statum maris & fœminæ, prout expositum est: *prodiit Opifex quidam ad opificium suum*, i. e. Lucem intensissimam, ut educeret judicia ejus, sicut dictum est. *Et conformatus est in statum maris & fœminæ*: i. e. in Patrem & Matrem. *Istæ sunt scintillæ, quæ extinctæ fuerant atque mortuæ*, quæ prodierant è Lumine intensissimo ante conformationem. Ecce autem jam restituæ sunt, quia hæc conformatio facta est. Atque sic textus ille congruè instructus est pro explicatione suâ. Nimirum quomodo paratum fuerit cranium alterum Microprosopi. Dicit enim: *Prodiit è Lumine intensissimo*; quod est Radix Vasorum, prout diximus: *Radius vibrantissimus, quasi sub malleo valide percutiente, qui produxit scintillas in mundos priores: & permixti sunt in aëre subtili, & scintilla temperata sunt invicem.* Et hæc temperatura facta est eum *copularentur Pater & Mater* ad producendum Microprosopum. Et *Pater ille est Spiritus, qui abscondatus est in Sene* (multorum) *dierum: Et in eo*, id est in hoc Patre, *abscondatus erat aër subtilis, qui in se recipiebat illum radium, prodeuntem è lumine intensissimo, latente in visceribus matris*; qui includebatur aëri huic puro. *Cumque copularentur* Pater & Mater, *& uniretur* radius ille & aër subtilis; *prodibat cranium dorum* Microprosopi. Quod autem dicit de Spiritu qui fuerat absconditus; & de aëre subtili, & radio; intelligendum est de sapientia quæ in Corona, abscondita ab oculis omnium viventium, nec ullibi revelata, nisi per allegoriam meyngis aëreæ, quæ subtilissima fuit, & cum effulgeret, ut ab illa lux prodiret, ab eâdem emanavit Sapientia hæc.

hæc. Et ibidem inter Cranium & meyngem latet iste spiritus; & in illo spiritu Aër subtilis: quare menynx etiam vocatur קרומא דאוירא Membrana aëris.

§. 29. Sed emanatio Sapientiæ hujus, è radice sua occultata in Sene (multorum) dierum, facta est per influentiam, quæ vocatur Benignitas superna: prout ibidem dicitur: Col. 561. *Cum illuminatur, effulget ab Influentia honoratissima*; atque hinc effulget foràs: quia per meyngem hanc subtilissimam Lux prodit per Influentiam (sive barbam): sicut porrò dicit Idra eadem: Col. 561. *Cum conformatur Radius (sive albedo,) iste, per Lumen illud; illi dit aliquis, quicunque ille fuerit, ad hoc cerebrum, quod illuminatur, & dependet ab Influentia honoratissima cerebri alterius, quod extenditur in triginta duas semitas.* Sensus hic est: *Cum Conformatur Albedo hæc* Senis, *per Lumen illud* Benignitatis supernæ; *illi dit quicunque illidit ad cerebrum*, quod nihil novit; *& illuminatur*, à luce hac. *Et dependet ab influentia sanctâ.* Sed de his latiùs infra.

§. 30. Et ibidem porro dicitur: *Et prodeunt ex illo cerebro occulto*; è lumine scilicet *illius*, Unde patet, quod è Luce ibidem contentâ prodeat Cerebrum hoc secundum, quod vocatur Pater. Et hæc est Membrana superna subtilissima & clausa; de qua Textus Libri De Zeniutha loquitur capite 2. his verbis: *Jod supernum, quod circumdatur fumo* (i. e. fluvio) *sensi, est menynx superna, quæ subtilis est & clausa.* Ubi per Jod supernum intelligitur Pater cum Matre; Jod inferum autem in Microprosopo est; ut in Idra minore dicitur. Dicitur autem Jod supernum, *quod circumdatur*; i. e. influxu donatur: *per aperturam Senis*; id est, per effluxum illum, qui prodit à Sene per membranam hanc subtilissimam, ita ut ob summam ejus subtilitatem fumus sive effluvium ibidem transire queat, ut ambiat Jod supernum: & istud ab inde dependet.

§. 31. Unde & in Idra Minore dicitur: *Quod hæc influentia extendat extensionem aperturæ superæ, illius Capitis omnium Capitum, quod ignoratur, nec cognoscitur; & a quo non dependent cætera.* Et Jod supernum dependet ab Influentia Sanctâ, sicut ibidem dicitur: *Intimum hoc, quod vocatur Pater, continetur in Jod*, quod *dependet ab Influentia Sanctâ.* Hæc ibi.

§. 32. Pater igitur est Amor & misericordia, & fementat Albedinem quam in se habet. Et hæc vocatur *Aer* purus & *subtilis*. Atque sic in Idra majore vocatur Elementum Aëris subtilis: quia gutta Benignitatis supernæ ibidem transit. Benignitas autem superna prodit per semitam, quam non cognovit Avis; & quæ vocatur Aër subtilis. Et forte etiam propterea Menynx illa appellatur Membrana aëris; quia per Benignitatem supernam, quæ vocatur Aër, Membrana ista tam subtilis evadit, & splendens, ut affulgeat illi cerebro alteri, de quo supra dictum est: illidit quicunque illidit ad cerebrum occultum, quod illuminatur ut supra.

§. 33. Mater autem est rigor & severitas judiciorum; hinc in illa latet Lumen illud intensissimum, quod est Radix Judiciorum. Atque tunc ambo simul copulantur, & prodit Cranium Microprosopi.

§. 34. Ratio autem, quare gutta seminis Paterni vocetur אור Aër & non אור Lux, ut notum est: hæc videtur, quia in fundamento Microprosopi Jod jam excessit, ita ut

saltem relinquatur אור Lux: hic verò Jod adhuc remanet; & hinc vocatur אור.

§. 35. Lumen ergò intensissimum produxit radium, & allidendo evibravit scintillas in mundos priores, ut illi mitigarentur, & corroborarentur, ipsisque daretur vita è radice superna: postquam jam conformati essent, Senex Sanctissimus & Pater cum Matre; nam Judicia in his radicanda erant. Conformationes ergò hæ supradictæ causa erant, ut Senex adjudicia applicaretur: Quia Senex ille à Judiciis omnium maximè remotus est. Postquam autem omnes conformationes jam institutæ essent, hinc de facie ejus Lumen de gradu in gradum prodibat, donec appropinquaret ad judicia, adeoque fieri posset, ut mitigarentur.

§. 36. Et propterea necesse erat, ut Bilanx institueretur; quo scilicet radix aliqua in supernis existeret, ut judicia possent restaurari atque temperari: & vestimentis honoratissimis opus erat, ut eadem judicia possent applicari cum illo Sene, & viverent, nec iterum morerentur. Juxta proportionem igitur illorum graduum, conformationes descendebant à facie ejus, qui sunt septem; antehac enim mortui fuerant septem reges, antequam fieret conformatio: unde intelligi poterit, quod supra de his scripsimus.

§. 37. מחקרא קאים בעיידיה לא אתאחד ולא אתחד *Libra consistit in corpore illius, non adhæret & non videtur.* Id est cerebrum occultum, quod libratum est bilance maris & fœminæ, consistit in corpore Senis intra cranium. *Non adhæret*; quia nihil habet, ubi applicetur. Et quamvis in Idra minore huic cerebro tributur adhæsio, & admissio adhærentium: hoc tamen intelligendum est de Sene (multorum) dierum, & conformationibus influentiæ, à qua fit illuminatio, ut dictum est supra. *Et non videtur*: quia menynx dura superintegit cerebrum, quæ nullibi aperta est.

§. 38. ביה סליקו ובוד סליקן דלא חזו וחזו ויתרין *In illa ascenderunt, & in illa ascendunt, quæ non sunt, & sunt & erunt.* Nam omnes res ascenderunt in hanc Bilancem; ipsisque ibidem fit effectus radix. Imò in illa ascendunt omni tempore, ut influxum & vitam accipiant à scaturigine sua: sicut scriptum est: *Et tu vivificas omnia.*

§. 39. *Quæ non sunt*; tamen quasi essentiam habent, (quamvis existentiâ careant,) quia jam ponitur radix eorum, ut tempore aliquo fieri queant. Item illa, *quæ erunt.* Nam quæ erunt, radicem suam ibi habent, tam ratione præteriti, quàm ratione futuri; quia ibidem est radix omnium creatorum.

§. 40. Vel etiam dici potest, verba illa, *quæ non sunt*; sic intelligenda esse, ut nedicamus, illos mundos, qui annihilati sunt, (ut nihil essent,) unquam vel unicâ horâ fuisse, sine ipso, & quasi ab illo nullam habuerint dependentiam: quia ne unicô quidem momento existentiam habent extra ipsum. Et hoc ipsum est, quod dicitur in Sohar sect. Pekude: *Allisit Lumen intensissimum, & ascendit in ideam per modum scintillarum, &c.* Unde patet, quod illæ scintillæ, ne unicâ quidem horâ dici queant prodisse, nisi propterea, quod ascenderint in ideam: quamvis illa dependentia non sufficeret, ut subsistere possent, nisi in horum.

§. 41. *Et*

§. 41. *Et quæ sunt*, sive erant: Per hos intelligenda sunt illa, quæ quoad radicem suam jam erant ante Bilancem: i. e. Pater & Mater; illorum radix tamen in hoc jam constituenda erat: ita ut omnia prodirent in statu Bilancis, ut mas & fœmina.

§. 42. Scito autem, quod radix judiciorum quidem etiam sit in Sene Sanctissimo: sed hæc ibidem tenuissima sunt & vehementer occultata. Hinc dicitur, ipsum sedisse in throno, unde scintillæ ignis prodirent; nimirum ut illas subigeret. Quod infra adhuc latiùs diducitur.

§. 43. Ne existimes autem in corde tuo, quod postquam cerebrum occultum conformatum est ad instar maris & fœminæ, ita res quoque se habeat cum Seue ipso. Nam cerebrum occultum explicatur per tria Tetragrammata, quæ sunt יהוד יהוד יהוד quæ adhibentur in precatione R. Nechonjah Ben Hakana, quæ se habent ad instar maris & fœminæ: & hoc est album illud, quod radiat in tredecim latera: sicut dicitur in Idra majore, quod Senex iste illa contineat: ipse verò aliquid est supra cranium existens, unde vocatur Ensoph; seu infinitus ratione illius capitis, quod ignoratur. Quapropter eidem nullatenus tribui potest conceptus nec maris nec fœminæ, nec ullum nomen, nec litera ulla, nedum cognomen. Et quamvis Senex iste analogiam habeat maris & fœminæ, eique etiam literæ יהך tribuantur: hæ tamen ibidem nonnisi mera Lux sunt, & ad Microprosopum pertinent, sicut dicitur in Idra minore. Et fortè hoc est, quod textus inquit: *Libra consistit in corpore*, quia iste (Microprosopus, qui vocatur corpus) per se subsistit, & non adhæret summitati; quia ibi nulla est libra. Sed de his satis.

§. 44. סתרא גוסתרא אתתקן ואודמן בחד גולגלתא סליק טליא רכוזוהי קרומ דאויראא דאזרקך וסתים אינן עמר נקי תלין בשיקולי רשא דרעי אתגלא בעלותא תתאדי אשגחא פקיחא דלא נאים וכטיר תרויהו אשגחותא דתתא באשגחותא דנהרו דלעילא בידך תרין נקבין דרדשקא ואתער רוחא לכלא: id est *occultum in occulto. Conformatus autem & præparatus est ad instar cujusdam cranii, quod plenum est rore crystallino: ibidem membrana aeris diaphana & clausa. Sunt & (capilli ut) lanæ mundæ, pendentes in æquilibrio: benevolentia benevolentiarum detegitur per preces inferiorum: Visio aperta, quæ non dormit, & continuo observat: aspectus inferior (dependet) ab aspectu Lucis superiorum. In eo (etiam sunt) duo foramina nasi; unde efflatur Spiritus per omnibus.*

§. 45. Per occultum in occulto intelligitur caput, quod non cognoscitur; quod est occultum in Sene Sanctissimo occulto pariter. Vel etiam per occultum intelligi potest cerebrum occultum, quod est in cranio etiam occulto. Vel etiam sic: Occultatio intra occultationem; quod scilicet Senex Sanctissimus pluribus velis & velibus occultatus sit: quia hôc modô conformatus & præparatus est in gratiam Microprosopi, ut ille vitam accipere posset. Non enim fuisset possibile, ut ullâ inter ipsum & inferiora intercederet cognatio, nedum illorum adhæsio, nisi mediante hac occultatione. Nam occultatio hôc locô idem valet, quod manifestatio; ut diximus supra.

§. 46. Additur autem, quod præparatus sit, nimirum pro formando Microprosopo

sopo. Quia ex formationibus Senis fiebat formationes inferiorum. Et de his sic scribitur in Idra magna: *In occultatione libri scripsimus, quod Senex Sanctissimus, occultus occultorum, conformatus & praparatus sit. Quod hic ita exponimus: Illum extitisse quidem, sed quasi non existeret; nullo modo enim reperiri poterat: sed conformatus est; nec tamen adhuc cognosci poterat, quia est Senex senum. Per conformationes ejus cognoscebatur, quod per ipsi non posset ob nimiam obscuritatem suam. Sed per conformationem suam praparatus est, ut influeret in inferiora.*

§. 47. *Cum Cranio quodam pleno rore crystallino.* Hæc est forma prima & forma secunda: cranium nempe & ros crystallinus. De rore crystallino autem sic dicitur in Idra magna: *Aspectus autem roris istius, albus est, ad instar Lapidis crystalli, in quo* (per refractionem radiorum Solarium) *apparent omnes colores.* &c. Ubi sensus est, quod omnes colores radicem suam habeant supra in maxima subtilitate, cum tamen rigorosa, ut non cognoscantur. Unde de Sene hoc dicitur, quod *sedeat super thronos scintillarum ignearum*, Dan. 7, 9. ut illas subigat. Cum autem abhinc (rosiste) descendit in Microprosopum, super hoc apparet rubedo ejus; sicut ibidem dicitur: *Hieros manifestatur duobus coloribus: ex parte Capitis albi, albus est, quasi omnem albedinis speciem in se includens; sed cum residet in Capite Microprosopi, in eo apparet rubedo: Sicut in crystallo Lapide, qui candidus quidem est, ita tamen ut intra albedinem ejus appareat color rubeus: Et omnia continentur in rore isto. Sicut scriptum est: Quoniam Ros luminum est ros tuus: ubi dicitur* יוֹם *plurali numero; ut duo* (ad minimum) *denotentur lumina.* Hæc ibi. Unde apparet, quod elatere Albo, tantus sit Candoris nitor in quo comprehendatur omnis albedinis species: de quo mox iterum dicit eadem Idra: *Et omnia sunt alba.* Sed cum Ros iste à facie Senis descendit in Microprosopum, per viam Patris & Matris, & roris specie residet super istius capite, in eo apparet rubedo. Sicut enim in crystallo in se albedo est, sed tamen cum colore apparente rubeo; ita Ros iste in loco proprio est albus; sed quando pertingit ad locum demonstrationis, qui est Microprosopus, ubi manifestatio est, ibidem in se ostendit colorem rubrum. Omnia autem continentur hoc Rore, nec manifestatur rubedo ejus donec residerat in Microprosopo.

§. 48. *Membrana Aeris* (instar disphanæ,) *quæ* (præ claritate) *nitet, & clausa est,* (sine cavo, vel foramine.) Hæc est forma tertia, quam supra jam declaravimus. De hac autem in Idra magna hæc extant: *In concavo cranii membrana est aeris* (instar pellicidæ) *Sapientiæ* (scilicet) *superna; qua nullibi desinit; Et hæc non patet, nec aperitur. Et hæ membranulæ super incumbunt cerebro; quod est Sapientia occulta, qua propterea continentur. Hæc Sapientia occulta quiescit & tranquilla residet, sicut unum generosum super faecibus suis. Unde dictum illud: Scientia Senis occulta est, & cerebrum ejus inclusum est & quiescit. Istæ membranæ autem deficiunt in Microprosopo; Hinc cerebrum ejus aperitur & prodit in triginta duas semitas. Quæ pertinet illud quod scriptum est: Et fluvius exit ex Eden. Quam ob causam? Quia membrana deficit, ne non contegat cerebrum? Hinc infra aperitur. Et hæc pertinet quod traditur de figuris literarum: ת Tav, denotat signum,* quasi

quasi dicatur: impressit signum in Senem (multorum) *dierum; cui tribuitur quod sit perfectus cognitione, & completus ex omni parte, & reclusus, ita ut tranquillus sit sicut vinum bonum super faecibus suis.* Hæc ibi. Sensus est hic: Quod (Cerebrum) Microprosopi dividatur in tres partes, quæ sunt, Sapientia, Informatio, & Cognitio. Sapientia autem extenditur in triginta duas semitas; Informatio in quinquaginta Portas; & è Cognitione prodeunt millies mille exedræ & conclavia, in quibus habitat atque commoratur Scientia. Hæctria deinde extenduntur in corpus, prout dicitur in Idra magna. De quo hac cognitione adhuc & nobis sermo erit infra. Sed in cerebro Macroprosopi omnia sunt unum. Dicuntur autem cerebra, respectu trium illorum Tetragrammatorum, quæ correspondent tribus istis (Microprosopicis) & in eo continentur omnia. Et tria illa imminent Benignitati Coronæ, quæ vocatur Benignitas suprema; & membrana hæc interposita est inter tria illa & inter Benignitatem Coronæ, quæ vocatur Aër; sicut scriptum est. Quia inferiora nihil possunt accipere à tribus his superioribus. Sed lux emittetur ut splendeat per (Cuticulam) illam in Benignitatem supernam: Et è Benignitate superna in Patrem & Matrem. Et in hoc consistit natura hujus conformationis, qua conformatus est Senex Sanctissimus, ut includerentur tres istæ superna (& secernerentur) per meninges hanc splendidam & clausam; & ut influxus demitteretur per Benignitatem supernam; quæ Benignitas manifestatur in Fronte; & extenditur in Formam (Barbæ) octavam & decimam tertiam; ut infra dicetur; & in Idra minore traditum, quin & à nobis jam supra aliqua parte expositum est.

§. 49. Verba autem Idræ colum. 560. in fin. sunt hæc: *Hujus senis Sanctissimi, occultissimi omnium occultorum non sit mentio, nec invenitur. Et quia ipse est Caput summum inter omnia superna, hinc non describitur, nisi cum unicum saltem & solum Caput sine corpore, ut subsistere omnia. Ipse autem occultatus & reclusus & absconditus est ab omnibus. Conformationes autem quæ in illo conformantur sunt Cerebrum occultissimum omnium, quod extenditur & (sic) formatur. Et prodit Benignitas superna: Hæc, inquam Benignitas suma extenditur & formatur; sed omnia continentur in Cerebro occulto. Nam cum conformatur hoc Album isto Lumine; tunc illudit quisunque illudit ad hoc cerebrum, & hoc illuminatur. Et ab influentia honoratissima dependet Cerebrum aliud, quod extenditur in triginta duas semitas. Quod cum illuminatur fulgorem accipit ab Influentia honoratissima. Tunc Fulgorum accipiunt tria Capita superna; duo nimirum Capita, & unum quod ista continet: & ab Influentia dependent & cum illa nexum habent. Hinc incipit manifestari Honor Barbæ, quæ est Influentia occulta. Et ista (capita inferiora) concipiuntur sicut Senex Sanctissimus tribus Capitibus circumdatur: sic omnia apparent sub formantur sicut Senex Sanctissimus tribus Capitibus circumdatur in modum trium tribus capitibus. Et cum illuminantur, omnia sibi invicem innectuntur per modum trium Capitum, quorum duo sunt ab utroque latere, & unum quod illa in se continet. Et si quaeris, quis sit Senex iste & Sanctissimus Vetus, vide! Summus est, qui non cognoscitur nec percipitur, quis sit Senex iste & Sanctissimus Vetus, vide! Summus est, qui non cognoscitur nec percipitur, nec designatur; & ipse continet omnia: & duo capita in illo continentur. Atque tunc, nec designatur; & ipse continet omnia: & duo capita in illo continentur. Atque tunc & reliqua omnia sic conformantur; ipse autem non est de (horum) numero, vel genere, vel & reliqua omnia sic conformantur; ipse autem non est de (horum) numero, vel genere, vel*

computo; sed in cogitationibus cordis: hinc dicitur Psal. 39. v. 2. Dixi, custodiam vias meas, ne peccem lingua mea. Hæc ibi.

§. 50. Sensus istorum hic est. Per *Senem Sanctissimum occultissimum omnium occultorum*, intelligitur Corona summa, ut antea jam dictum. Hujus *non fit mentio* in Lege ullo loco: sicut dicitur in Idra magna: Iste non describitur in lege, nisi unicò quòdam locò &c. *necinventur*: Quia nec Pater & Mater ab eo illuminantur; nisi per cerebrum & influentiam, ut dictum supra. *Et quia hoc est caput omnibus reliquis capitibus supernis superius*: i. e. Corona summa in supernis: *hinc nulla fit mentio nisi unius tantum capitis, sine corpore ad stabiliendum omnia*: quia impossibile est, ut per illum mundus iste regatur: quoniam ab illo quàm maximè remotus est; ita ut nec emanantia nec creata vllam cum ipso habeant cognationem vel nexum, ut per illum possent produci: quoniam ipse est caput omnibus summis sublimius. Et propter ea solus capitis ejus fit mentio, quibus illa vivificentur: quoniam citra ipsum nullam habent vitam: ipsumque conformatur, ut stabiliantur omnia; non autem ut hæc in illo radicentur. Sed gubernatio mundi ejusdemque creatio fit per Patrem & Matrem atque Microprosopum, quæ summa illa superiaevestiunt. Nam dum gradus hi articulatim concatenantur, iidem magis magisque increscunt, & Lux summa longiùs amovetur; ita ut creari & formari & fabricari potuerit mundus; quod ita fieri non potuisset per Senem hunc.

§. 51. Scito autem, quod corpus Senis hujus fiat anima pro Patre & Matre atque Microprosopo. Hinc saltem dicit, quod non fiat mentio corporis; non vero dicit, quod corpus non habeat.

§. 52. Caput autem hoc summum ab illis investiri non potuit, quia multum sublimius est ipsis. Atque hinc dicitur: *Et iste occultatus est & reclusus & absconditus ab omnibus.*

§. 53. Jam autem observetur quæso, quod in Idra magna dicitur his verbis: *Hæc infusentia* (i. e. barba) *in æquilibrio dependet usque ad foveam pectoris.* Ubi objici posset, quomodo id fieri queat, cùm nullum habeat corpus? Verum enim vero res ita se habet, prout diximus.

§. 54. Et fortè huc pertinet, quod suprà dictum est hôc libró: *Bilanx consistit in corpore*; quoniam bilanx, i. e. mas & fœmina in æquilibrio constituta consistunt in corpore illius Senis: quoniam Pater & Mater, qui sunt mas & fœmina illa, consistunt in corpore Senis, & ipse illorum est anima. *Et non unitur nec videtur*, quoniam hic libra superiùs vestitur.

§. 55. Pergit igitur Idra: *Conformationes* Senis, *quibus conformatur* fiunt *in illo cerebro occultissimo* omnium. *Extenditur* enim per illud cerebrum; nimirum in Sapientiam & Informationem, & Cognitionem, in qua omnia continentur. Adeoque formationes instituit per cerebrum hoc, vel per menyngem aëris instar diaphanam, prout dictum est.

§. 56. *Et prodit Benignitas summa* post illa tria. De illo autem dicit, quod *extenditur*: quamvis alias quiescat & reclusum sit, quia nimirum exponitur per tria Tetragrammata, ut suprà dictum est. Vel etiam, quod *extendatur* per barbam; quoniam in Idra dicitur, per illam barbam tria capita suprà dicta extendi; quodq; additur, *& formationes instituit*, etiam intelligi potest, quod fiat per formationes barbæ.

§. 57. Et prodit Benignitas summa: i. e. influentia, in qua omnia capita uniuntur: & hæc influentia initium est radicum. *Et Benignitas summa extenditur* in frontem, & in influentiam, & in Patrem & Matrem. *Et formatur: & continentur omnia in cerebro occulto.* Nam etiam Pater & Mater continentur in fronte, ita ut hæc videantur esse unum: quia cerebrum occultum tranquillum est desuper & clausum.

§. 58. Jam verò rationem dat his verbis: *Nam cum conformatur album hoc*, cerebri scilicet, *in Lumine hoc*, nempe benignitatis supernæ: *irradiat, quicunque irradiat in hoc cerebrum: & illuminatur* cerebrum aliud: & hoc solum *dependet ab influentia honorata*; dicitur autem honorata, quia ab hac illuminatur cerebrum alterum. Nam cerebrum alterum extenditur in triginta duas semitas, cùm illuminatur ab influentia. Atque hinc patet, quomodo cerebra connectantur.

§. 59. Nam dum conformatur cerebrum (summum) in cranio & menynge pellucida, prodit Benignitas superna, sicut diximus: Et cùm prodit Benignitas superna, irradiat quicunque irradiat in cerebrum; & illuminatur cerebrum aliud per Benignitatem supernam, i. e. per influentiam: unde omnia sunt unum. Conformatur enim cerebrum, ut prodeat Benignitas superna: & è benignitate superna effulget cerebrum alterum, cùm irradiat, quicunque irradiat cerebrum. Adeoque videtur, sensum hîc produci, ad imum usque: ut nempe ostendatur, quomodo omnia comprehendantur in cerebro isto. Nam cum conformátur albedo hæc Senis Lumine hôc Benignitatis supernæ, irradiatio quædam fit in illud cerebrum: & illuminatur ista Benignitas superna, quæ in cerebro est. & lumen hoc dependens ab influentia honorata, procedit ab illo lumine, unde ipsa oritur, quodque in ipsam descendit è cerebro occulto per Benignitatem supernam. Unde patet, quod omnia sita sint in cerebro occulto, quatenus ab illo prodit lumen: modò quod hoc derivetur in Benignitatem supernam: & è Benignitate superna in influentiam: & ex influentia in cerebrum alterum: ubi origo tamen est cerebrum occultum. Sed priora melius quadrant.

§. 60. *Illuminantur tria capita sublimia, duo capita, scilicet, quæ sunt Pater & Mater: & unum, quod illa continet*: hoc est cognitio, vel melius, influentia, quod innuere videntur & sequentia, cùm dicit: *Et ab influentia dependent*, quoniam ab illa illuminantur: *& in illa continentur.*

§. 61. Atque hinc procedit initium manifestationis barbæ honoratissimæ: quæ est influentia occulta, procedens à Sene mediantibus pilis ejus, qui dependent usque ad foveam pectoris. Et manifestatur in Patre & Matre. *Et isti*, Pater nempe & Mater; *conformantur* eôdem modò, quò Senex Sanctissimus; qui constitit in tribus capitibus. Ita omnia evadunt tria capita. Et cùm illuminantur, omnia sibi inneduntur. Pater nempe Coronæ summæ; Mater cerebro; influentia capiti, quod ignoratur. Et hoc ipsum est, quod dicitur *in tribus capitibus, quorum duo sunt ab utroque latere*, i. e. duo, quæ denotant

notant Patrem & Matrem, *& unum, quod illa comprehendit*, quò denotatur influentia. Quia illud, quodambo continet omni locò, etiam infra illa est: & constat exambobus, ita ut accipiat ab iis, & illa influant in hoc. Unde porrò dicit: Quis est Senex ille Sanctus? quia potuissent intelligere, quod influentia vocetur Senex: quodque illa tria capita essent Corona summa; & Cerebrum; & influentia; quæ ab illis accepit, & illa in se recipit, prout apparet in reliquis melioribus. Jam verò influentiam quidem numerat inter tria illa capita: sed quis & Senex ille Sanctissimus? de quo dictum est, quod in se habeat tria capita. Hinc inter duo superna est illud, quod ignoratur: *& hoc continet omnia; & duo capita in ipso comprehenduntur, & tunc omnia reliqua ita conformantur*, ut nempe, quod duo altera continet, iis dem sit sublimitas, & illa ab ipso accipiant influxum; & non ipsum à duobus illis, sicut mediana cætera.

§. 62. *Et illud* i.e. caput quod ignoratur; non est in numero: ut scilicet numeretur tanquam numeratio per se: nec de generalitate, i.e. quamvis fortè non numeretur singulariter, ut fortè tamen numerari queat intra complexum cujusdam, & ingeneraliter in generalitatem Coronæ summæ, adeoque recensetur sub genere emanationum. Hinc dicit: Et non in generalitate. *Nec in computo sive æstimatione* i.e. בחשבונות in cogitatione vel Idea. *Sed in beneplacito cordis*: ubi intelligitur רצון sive arbitrium quod adhuc subtilius est cogitatione.

§. 63. Et scito, quod in ista Corona nullæ sint conformationes; quia hæ omnes sunt in cerebro occulto: & hoc est fundamentum explicationis hujus: sicut & suprà dictum est: Ipse occultatus & inclusus & absconditus est ab omnibus; quia in illo nulla conformatio, sed omnes conformationes, quibus ipse conformatur, sunt in illo cerebro occulto; quod est extensio illius Coronæ summæ. Et cerebrum illud occultum cùm formatur, prodit Benignitas superna, quæ est extensio illius capitis; ut suprà scripsimus: & Benignitas superna extenditur in frontem & in barbam, & conformat Patrem & Matrem. Et omnia continentur in cerebro hoc occulto. Quomodo autem omnia comprehenduntur in cerebro hoc? quia scilicet cùm formatur, albedo hæc in lumine hoc &c. Nimirum scito, quòd cerebrum istud consistat è judicio & misericordia amorosa: unde nulla ipsi tribui deberet albedo, nisi per Benignitatem superiorem. Et hoc ipsum est quod dicitur: Cùm conformatur albedo hæc per lumen illud. Et paulò superius dictum est, quod extensum sit & conformatum & prodierit benignitas superna. Hæc enim benignitas foràs prodit è cerebro per viam effluvii menyngis pelluciditæ tenuissimæ & clausæ: & abhinc accedit ad frontem & in barbam, sicut scripsimus suprà.

§. 64. Cùm ergò conformatum est cerebrum, & albedinem sulcepit per Benignitatem superiorem, illidit sive irradiat, quicunque alli dit in illud cerebrum. Quid autem allisio hæc sit, intelligi poterit è textu quodam suprà adducto ex Idra magna: ubi dicitur: Et hoc cerebrum, quod est hæc Sapientia occulta, quiescit, & residet in loco suo, sicut vinum generosum super fæcibus suis. Ubi sensus est: in Sapientia quidem fæces esse & judicia: sed illa esse tranquilla, & suppressa lacò debitò. Si autem moveatur vinum, tunc fæces ascendunt supra vinum, ut judicia appareant. Si autem dolium requiescat

quiescat super fæcibus; tunc vinò ex orificio educò, fæces omnes manent infrà. Ex adverso autem si dolium aperiatur circa fundum, fæces tantùm effluunt. Unde movendum est dolium hoc, ut ambo simul prodeant, vinumque & fæces permisceantur: & ambo in Lucem veniant, judicium nempe & misericordia. Et hic est sensus allisionis hujus, ut nimirum producantur judicia & misericordiæ simul. Et sicut se habet simile hoc de vino, sic etiam aliud simile datur de Sene, qui non facile irascitur, nisi ad iram commoveatur: unde irà quidem non caret, sed tamen ut ipsi non prævaleat eadem. Porrò & aliud hîc datur simile de vino: sicut enim vinum aliquam utilitatem habet à fæcibus, quippe quæ sunt causa durationis ejus; cùm sine illis statim dispereat. Sic etiam emolumentum habet Sapientia à stultitia, sicut dicitur in Sohar sectione Tasria.

§. 65. Ratio autem, quare hæc menynx undiquaque sit clausa, est duplex. Non enim in hunc finem solum, ut cerebrum occultetur; quia jam occultatum est ab oculis omnis viventis. Neque tantum propter fæces; quia sufficeret, si infra clauderetur: jam verò & suprà contectum est circa calvariam. Hinc incipit exponere indeficientiam ejus, ex parte inferiore; dicitque; *& non deficit*. Deinde etiam ostendere vult; quod etiam circa latera non dehiscat; dicitque: *& non patet, nec aperitur*. Porrò autem rationem quasi subjungit, ut credatur illam ad latus non dehiscere; nimirum quod & desuper ipsa superinducta sit Cerebro, ut denotetur quanta cura hoc sit occultatum. Deinde etiam rationem subjungere vult, quare non aperta sit infra; cùm tamen ab ipsa emanarint Pater & Mater: nimirum quod hoc factum sit propter fæces; prout verba sonant.

§. 66. Propter duas has causas adducit dictum illud de Sene: dicitque *quod scientia ejus occulta sit*; ut denotet naturam cerebri hujus abstrusissimam: & quod *cerebrum ejus reclusum sit*; ad subindicandum fæces.

§. 67. *Et hæc membrana deficit in Microprosopo*, & planè abest: & hinc cerebrum ejus extenditur in triginta duas semitas, quæ deorsum protenduntur: unde scriptum est: *Et fluvius egrediturex Eden*; ubi intelligitur Binah, seu Informatio: *Ad irrigandum hortum*. Unde patet, quod etiam versus inferiora descendat, ut riget, Quam ob causam? Quia menynx deest parti supernæ, ut non integatur Cerebro. Et quia non contegitur; hinc extenditur, & Sapientia prorogatur in Informationem: quod denotant verba: *exit ex Eden*, nempe ex Eden inferiore. Et ab hinc; *ad irrigandum hortum*; Infra. Et quamvis fortè quis non concedat, menyngem deficere desuper, nec contegere cerebrum; ita ut verba illa, *ex Eden*; idem sonent, ac diceretur: è lumine illius: Nihilominus ex parte inferiore deest membrana hæc: quia dicitur: *ad irrigandum hortum*; quibus ostenditur cerebrum, descendere ad irrigandum.

§. 68. Vel etiam dici potest, quod tacitæ objectioni occurratur; quæ talis esset: Quare in verbis illis: *Et fluvius egreditur ex Eden* &c. dicitur *egreditur*; & non; *egressus est*? Et responsio est: quia semper exit; nec unquam cessat. Quare autem semper exit? quia plane nulla membrana eundem impedit, ita ut semper egredi possit. Et quamvis negare quis velit, quod exeat; non quidem asserendo quod nullatenus exeat,

sed tantùm quod semper egrediatur, è lumine ejus: nihilominus negari non potest, quod ab inferna parte menynx desit; quia scriptum est, ad rigandum hortum.

§. 69. Quod autem porrò addit: *Hæc pertinet quod dictum est de signaturis literarum: Tav* &c. Quasi inter figuras literarum prima esset Tav: sic intelligendum; quod Tav quidem sit literarum ultima, quia tempore futuro literæ erunt in suo ordine. Cùm autem inciperent descendere, primo loco prodibat Tav, ordine retrogrado; & faciebat transitus notam in membrana; quæ ibi dehiscebat. Et hinc litera hæc vocatur Tav, à signando, quia fecit notam in membrana transitu suo.

§. 70. Unde porrò dicit: *Literam hanc fecisse signaturam in Sene dierum.* Ubi quidem objici posset, quod de Sene dierum jam non sit sermo; sed de Microprosopo. Idem tamen videtur dicere velle: Signum quod fecit Tav in fine Macroprosopi non est sicut illud, quod est in fine Microprosopi: Non enim patet membrana, sed clausa est: quod ita non est, in Tav, quod in fine Microprosopi extat; ubi membrana deest.

§. 71. Hunc autem vocat; *perfectum Cognitione*: quia à Cerebro Patris prodit Cerebrum Microprosopi; Microprosopus autem vocatur אל רעות Deus cognitionum; sicut dicitur in Idra minore; Hoc cerebrum autem est perfectum cognitione; quia nulla cognitio ab ipso extenditur; sed ipsum occlusum est, & cognitio intra ipsum est integra ex omni parte: ita ut nullibi dehiscat Membrana illa, nec supra nec infra, sicut dictum est.

§. 72. Postquam hæc jam scripseram, Deus oculos meos clarius illuminavit, super textu illo, quem supra adduxi ex Idra minore §. 49. Ubi verba sunt: *Conformationes autem, quarum illo conformantur sunt Cerebrum occultissimum omnium.* Ubi vidi, quod primò nominet *Cerebrum occultissimum.* Deinde autem dicit: *Album hoc.* Iterum nominat *Cerebrum* absolutè; & tandem loquitur de *Cerebro alio, quod extenditur* &c. Verus ergo sensus verborum istorum de tribus Cerebris est hic. Pater Cerebrum Senis, verè vocatur Cerebrum occultum. Cerebrum Secundum est cerebrum Patris & Matris, & hoc vocatur Cerebrum absolutè; & manifestatur; & continetur in Influentia, & ab illa dependet; & non extenditur in triginta duas semitas. Et hinc, in Idra magna triginta duarum semitarum non fit mentio nisi in descriptione Microprosopi; nullatenus autem in descriptione Patris & Matris: quia sub generalitate Senis consistunt, & comprehenduntur in Influentia, ubi nulla omninò extensio est.

§. 73. Jam igitur hæc est verborum illorum explicatio: *Conformationes quibus conformatur* Corona illa summa, non factæ sunt nisi *in cerebro occulto*; sicut supra scripsimus: *quod extenditur* in Cerebrum (absolutè dictum) & in Barbam. *Et prodit Benignitas summa. Et Benignitas summa extenditur* in Cerebrum Patris & Matris: & *continentur omnia*, id est; Pater & Mater: *in cerebro occulto. Nam cùm conformatur hoc Album* Patris & Matris: *isto Lumine*, Benignitatis supernæ, quæ manifestatur in Influentia, *aliquis allidit & concutit cerebrum illud* Patris & Matris. Postquam enim conformatum est Album hoc per lumen istud, factum est cerebrum, quod appellat Cerebrum (simpliciter ita dictum.) Et cum in isto fuerit allisio, *illuminatur.* Et ab Influentia honorata dependet allidens non allidens; hoc est cerebrum alterum Microprosopi, quod extenditur in triginta duas semitas, cùm illuminatur. Illuminatur autem ab influentia honorata, sed in illud non allidit allidens ad cerebrum Patris & Matris, verum effulget tantùm ab influentia sola. Sed Cerebrum Patris & Matris non effulget nisi per illum allidentem occultatum ab omnibus. Et nihilominus dependet ab eo, qui radicaliter allidit, qui etiam vocari potest allidens non allidens, donec conformaretur per lumen istud Benignitatis supernæ; postea autem allidebat. Unde patet, quod dependeat ab influentia. Nisi enim conformatum esset per lumen istius, non allisisset in ipso non allidens. Jam igitur in Cerebro Patris & Matris duo sunt Lumina influentiæ: inque ipso allisit non allidens. Hoc autem cerebrum alterum, quod extensum est in triginta duas semitas, tantùm accepit illuminationem ab influentia. In cerebris enim Microprosopi res ita se habet. Cùm conformaretur per influentiam, descendebat ipsa Entitas, quæ vitam dat Numerationibus, in Cerebrum hoc sine veste: & hoc est allidens non allidens. Sed in cerebrum Patris & Matris descendebat Entitas summa vestita per influentiam, & lucebat ab influentia tantùm. Et quia per influentiam in cerebrum Patris & Matris descendebat Entitas sumina, ibique fortiter allidebat; hinc omnia continentur in cerebro occulto per Entitatem supernam, quæ eadem unit. Et hoc jam clarum est.

§. 74. Porrò scias quod Benignitas summa, i. e. influentia sit corpus capitis illius, quod ignoratur. Quia quod Benignitas in corpore, est Corona in capite: & illa sit caput Patris & Matris. Et hoc est illud, quod dicitur: *Cùm conformatur hoc album lumine istè:* Et evadit in animam Microprosopi. Hinc dicitur: Quod cum illuminatur, fulgorem accipit ab influentia honoratissima. Sed de his satis.

§. 75. *Sunt &* (capilli ut) *lanamunda, pendentes in æquilibrio*: Sic pergit liber Occultationis. Et hæc est forma quarta: nimirum pili capitis, qui sunt ceu lana munda; ita ut sibi invicem non implicentur, sed dependeant æqualiter, ut ne unicus quidem pilus emineat præ pilo, vel crinis præ crine. Et coma hæc defluit ad cerebrum Microprosopi, cùm ipsa originem suam habeat è cerebro occulto. Nam quilibet crinis proprium habet scaturiginem, prodeuntem è cerebro per cranium. Et ex eo quod crines isti defluant in Microprosopum, istius cerebrum extenditur in triginta duas semitas. Et propterea pilli isti longi sunt & molles, ut defluere possint in cerebrum Microprosopi: ita ut de cerebro illo in cerebrum hujus defluant. Quia cerebrum inferius nullam habet permanentiam, nisi per perennitatem cerebri summi.

§. 76. De his docemur in Idra magna his verbis col. 244: *Cincinni capillorum dependent ordinatissimè albidi ad instar lanæ puræ: usque ad humeros. Vsque ad humeros? Nimirum usque ad humerorum initia; ne videatur cervix. Unde scriptum est* (Jer. 2. v. 27): *Quia denudârunt mihi cervicem, & non faciem. Et capillus elevatur post aures, ne ista contegantur. Unde scriptum est:* (Psalm. 130. v. 2.) *Sint aures tuæ apertæ.* Ut scilicet capilli post aures reclinentur. *Omnes sunt æquales, nec ullus præeminet alteri formâ perfectâ; formâ elegante, formâ pulcherrimâ. Justi qui in Microprosopo*

magna cum voluptate & gaudio videre desiderant & accedere ad formas istas Senis occultissimi. Tredecim digestiones pilorum capillitii consistunt ex utraque parte cranii è regione faciei ejus: & penes illos incipit capillorum divisio. Non est finis istrum in hoc Sene occultissimo; sed omnia dextra. Videtur & non videtur; Oculus est & non occultus; & id in conformatione ejus; & multò magis in ipso. Et propterea Israelita voluerunt in corde suo argutè distinguere, sicut scriptum est: (Ex. 17. v. 7.) *Est ne Dominus in medio nostri; annon?* (Distinguentes) *inter Microprosopum, qui vocatur Tetragrammaton: & inter Macroprosopum, qui vocatur* אהיה. *Quare autem puniti sunt? quia hoc non fecerunt ex amore; sed tentando: sicut scriptum est; quia tentarunt Dominum.* Hæc ibi.

§. 77. Sensus verborum istorum hic est, *quòd in capillitio crines dependeant à conformatione ejus*; i. e. è cranio & cerebro. Et dependeant usque ad humeros. Ubi quæritur, quomodo hoc intelligendum, an scilicet per totam crassitiem humerorum? vel an per totam longitudinem humerorum à collo per totam longitudinem brachii? sicut alibi scribitur: *Capilli à cervice elevantur & foràs prodeunt, ad tegendam totam longitudinem humerorum.* Ubi locus cervicis esset detectus. Hoc autem fieri nequit; sed descendunt usque ad initia humerorum; id est usque ad summitates humerales ex utroque latere colli, collo proximas: ita ut non appareat cervix: quia capilli cervici impendent, & pertingunt usque ad summos humeros utrinque lateris tàm dextri quàm sinistri; ita ut nullatenus videatur cervix. Hoc enim istò locò fieri nequit, quia aliàs auris superna esset contecta, quod hic locum non habet, ut antea dictum est. Quare tantùm dependent usque ad summitates humerorum, ut cervix occultetur. Quia non est intentio obvelare humeros, sed obvelare cervicem: quoniam scriptum est: Jerem. 2. 27. *Quia denudant* (communiter obvertunt) *mihi cervicem, & non faciem.* Cervix enim scaturigo est judiciorum rigorosorum & corticum: Israelitæ autem peccatis suis detorquentur post cervicem. Locus autem cervicis in supernis contectus est capillitio, ut judicia subigantur & mitigentur per derivatas hinc scaturigines è cerebro prodeuntes. Et crines elevantur post aures, ut aures sint apertæ; sicut scriptum est: *ut aures tuæ patulæ sint.*

§. 78. Scito autem, quod crines capitis scaturigines sint judiciorum inferiorum, quæ ab istis dependent. Et quamvis locus illorum nonnisi meri sint amores; nihilominus infra ab illis dependent judicia & rigores. Quod & nomen illorum arguit. Nam שיער pilus, capillus derivatur à radice שער, quæ sensum habet horrescendi. In loco illorum autem summe subigunturjudicia & cortices, qui infra ab ipsis prodeunt. Hinc reperies, quod eò dem locò, ubi in Macroprosopo judicia supprimuntur, in Microprosopo eadem magnâ vehementiâ dominentur: ut in fronte & in naso. Sic etiam se habent pili barbæ, quibus etiam dependent judicia inferiora; cùm illi in loco proprio meri sint amores, & misserationes, quibus subigunturjudicia, quemadmodum cùm vinum requiescit super fæcibus suis, fæces ibidem non exsuscitantur, quamvis ibidem sit ipsarum locus & radix. Et quia judicia magis in hunc pilis barbæ, quàm pilis capitis: hinc illi sunt duri, & non molles ad supprimenda judicia, quæ suata ibi habent scaturiginem: quod ita se non habet in pilis capitis, qui sunt mollitores & lenes. Et nihilominus etiam in his locus

locus est, unde dependent judicia: præsertim, quia influentiam suam sibi attrahunt è cerebro, quod est è loco inferiore in supernum: quæ est nota judicii sub mysterio lucis reflexæ graduum victoriæ, gloriæ & fundamenti, quæ est nota judici rigorosi. Et hôc respectu pili barbæ prærogativam habent præ pilis capitis, quia illi influentiam suam ordine debito sibi attrahunt, nimirum è supernis deorsum. Et propterea isti pili capitis elevantur post aures, qui est locus, è quo judicia dependent; quia non convenit, ut superintegantur auribus, & impediant preces illuc usque ascendentes.

§. 79. Scito autem, quod de aure Microprosopi nulla omninò fiat mentio, nec in Idra magna nec in parva; nec declaretur modus, quomodo formetur: quia enim visum est autori, quod auris superna admodum sit occulta, manum ad illam applicare noluit. Et hæc est ratio, quare pili capitis non describantur auribus superimpendentes. In Idra minore autem hæc invenimus col. 570. *Ab isto foramine aurium alia dependent foramina: foramen oculorum; foramen oris; foramen nasi &c. Item multa dependent ab hac aure. Beatus ille, qui observat verba sua. Hinc scriptum est: Custodi linguam tuam à malo. De hac aure dicitur, quod audiat: auditus autem dependet ab illo cerebro, Sapientia scilicet &c. Et hinc dependet omnis cognitio. Sicut dicitur: Audi fili mi, & percipe disciplinam. Ergo omnia ab auribus dependent. Ab hac aure etiam dependent preces & supplicationes, & apertio oculorum. Sicut dictum est: Inclina aures tuas & audi; aperi oculos tuos, & vide. Ecce omnia abhinc dependent. &c.*

§. 80. Ex istis satis apparet, quàm magna & excelsa, quamque occulta sit auris inferior; quodque omnia ab illa dependeant. Ubi sensus est, quòd omnia dependeant ab exsuscitatione inferiorum, & quomodo vox ascendat ab inferioribus in angustia constituis, cùm ipsis imminent cortices & judicia: quodque à voce ipsorum, cùm ex toto corde suo clamant ad Dominum, clamor illeveniat ad aures ejus, & vox eorum ascendat, si bona sit, ad foramen oculorum: unde descendant duæ lachrymæ è duobus oculi coloribus, rubeo scilicet & nigro, unde derivantur judicia, & cortices: quæ submerguntur in mari Sapientiæ supernæ, quæ miserea tur Israelitarum. Si autem opus sit, vindictam sumere ab hostibus, quod tunc descendat fumus & ignis per foramina nasi. Et sic etiam casu contrario.

§. 81. De duabus autem lachrymis illis res ita se habet: quòd judicia dividantur in duas species: si enim ex parte sanctitatis veniunt, colore rubro designantur: si verò de parte corticum veniant, nigra dicuntur. Unde etiam dicitur: Nigrum est rubrum, modò quòd obscurius sit. Sectione Trumah autem de coloribus his reperimus sequentia: *Hyacinthinum ortum habuit die secunda; & coloratur duobus coloribus aliis, rubeo & nigro. Hyacinthinum ergo rubrum suum colorem revera habet à die secunda, colorem scilicet ignis, qui est* אדום: *& accipit colorem aureum, & omnia sunt color unus. Hyacinthinum ergo oritur ab illa colore rubro. Et cum descendit deorsum, color ille ruber amovetur in locum quendam, qui vocatur mare, & tingitur color hyacinthinus: nam illud rubrum ingreditur in mare, & color ejus debilitatur, redeuntque colori hyacinthino: & hoc est nomen* תכלת: *sed iste prior valde durus est, nempe niger. Color hic provenit*

è diminutione rubedinis, cùm ista diminuitur & debilitatur infrà diminutione inquinamenti: & descendit deorsum, proditque ex immunditie illa color ruber ex inquinamento valido. Et ex illo inquinamento valido iterum fit rubicum ex illa rubedine prima. Et hæc omnia creata sunt die secundò: dicunturque Dii aheni. Istud nigrum est caligo perfecta, cujus color non videtur præ tenebris. Lumen sanctum sic inquit: quod color niger caligo fiat, quando tingitur: sed quando ruber est, convertatur in hyacinthinum, &c. (Quorum explicatio cùm prolixior sit, hôc locô à nobis omittitur.) Hinc autem discimus, quod rubrum & nigrum denotent rigores, illud nempe judiciorum, & hoc corticum: quodque hæc etiam sint duæ illæ lachrymæ è duobus oculorum coloribus descendentes: item fumus & ignis, qui è duabus naribus erumpunt; ubi fumus ad cortices, ignis ad judicia pertinet. Et hinc etiam duæ species pilorum, capitis scilicet & barbæ ad comegendæ duo ista genera: quare quilibet pilus per se extat, ita ut non intricentur invicem. Capilli autem capitis inserviunt ad contegendos cortices; veniuntque è cerebro, quod fixum est & retidet, sicut vinum generosum super fæcibus suis: & derivant spientiam in Microprosopum ad disperdendos cortices. Pili autem barbæ inserviunt ad subigendū judicia: hinc duriores sunt & non molles, sicut dicitur in Idra magna. Hinc in capite Microprosopi datur mundum & immundum, Lumen & tenebræ: quia ibidem est titorum dependentia. In Macroprosopo autem res aliter se habet, ut suprà scripsimus. Et propterea pili barbæ continentur in influentia, quæ est Benignitas superna ad subigendum judicia.

§. 82. Jamque apparet, quare in Microprosopo duæ sint pilorum species, capitis nempe & barbæ: in fœmina autem tantùm capilli capitis: quia scilicet Microprosopus utraque specie opus habet; pilis nempe capitis, ut locum præbeat adhæsioni corticum in inferioribus: & pilis barbæ, ut locum præbeat adhæsioni judiciorum in inferioribus; quia ipse consistit ex amoribus & miserationibus. Sed gradus fœminini tantùm opus habent pilis capitis, ut locum præbeant applicationi corticum in inferioribus consistentium: judiciis autem hic nihil tribuitur, unde nec fœminæ barba est; quia ipsa est judicium, & corpus ejus est radix eorum, nec non eorundem adhæsio; non verò pili ejus.

§. 83. Atque hinc optimè elucescit, quare crines capitis impendeant cervici, & parti posteriori ad contegendos & subigendos cortices, qui in cervice, adeoque in posterioribus Macroprosopi: cujus contrarium est in Microprosopo.

§. 84. Ratio autem, quare nullæ voces & preces ad aurem supernam pertingant, & ibi aliquid operentur; hæc est: quia illa denotat meras miserationes, & amores, & non mutatur. Sed per aurem Microprosopi aperiuntur oculi ejus; cum Macroprosopus oculum habeat semper apertum. Per aurem Microprosopi etiam moventur oculi, ut emittant illas lachrymas; in Macroprosopo autem nullæ sunt lachrymæ. Porrò per aurem Microprosopi è naribus ejus prodeunt fumus & ignis; in Macroprosopo autem nec fumus nec ignis locum habent, sed unicus spiritus vivificans Microprosopum; & unus pro Rege Messia. Tandem etiam per aurem Microprosopi os ejus quædam decernit

cernit, & eloquitur; sed os supernum nihil eloquitur, nec locum ibi habent verba; nec ullus Prophetarum dignus est, ex hinc aliquid percipere; & nemo scire potest spiritum ejus, quando est; sicut in Idra magna dicitur. Unde patet, quod auris suprema nullam habeat operationum istarum.

§. 85. Res autem ita se habet; quod in Microprosopo sit judicium & misericordia. Et quando homines in mundo inferiore peccant, vox illorum ascendit ad aurem ejus; & tunc repletur judiciis, & avertit faciem suam à Sene Sanctissimo. Cùm autem ad ipsum aurem que ejus pertingit vox pœnitentium; Microprosopus seipsum rursus præparat ad accipiendum influxum à Macroprosopo, & misericordiâ prævalet. Unde patet, quod immutatio & restitutio dependeant à Microprosopo, quem Macroprosopus conversionis tempore oculô benignô aspicit, ut declinentur judicia; cùm peccatorum tempore contrarium accidat. Macroprosopus autem nec mutat, nec mutatur unquam. Unde patet, quod auris Macroprosopi tantùm inserviat Microprosopo, ut nempe audiat vocem hujus, eumque illuminet. Et hue pertinet illud, quod dicitur; Deum Sanctissimumatque benedictum preces fundere: quod magnum est mysterium, & profundum admodum. Et hæc ratio est, quare in Idra de aure hac nulla planè fiat mentio.

§. 86. Pergit autem Idra magna in suprà allegato textu de capillis: *Et capilli reclinantur post aures, omnes, sunt in æquilibrio, ut nullus præmineat alteri.* In Microprosopo enim tria sunt Cerebra, è quibus unumquodque suos producit crines juxta naturam suam: ita ut ab uno proveniant longi; ab altero breves; à tertio medii: qui sese invicem superintegunt, prout tria illa cerebra variè extenduntur: unum in triginta duas semitas, alterum in quinquaginta portas informationis, & tertium in millies mille conclavia. In Sene Sanctissimo autem nonnisi unum est Cerebrum, quod nullatenus extenditur: unde capilli ejus sicut lana pura, ut sibi invicem non implicentur, sed dependeant æqualiter nullâ præeminente.

§. 87. *Forma illorum perfecta est atque pulchra, ut justi etiam, qui in Microprosopo eum gaudio eandem videre, eidemque applicari desiderent.* Sensus horum hic est: quòd justi non pertingant nisi usque ad Microprosopum, nec sursum ulterius venire queant; quoniam eousque pertingit fructus operum eorum. Nam in discriminatione capillorum ejus duæ separantur semitæ respectu sexcentorum & tredecim præceptorum. Et quia capilli isti derivant influentiam à cerebro occulto in Cerebrum Microprosopi: hinc justi videre desiderant radicem & fundamentum naturæ istius, à qua influentia ad ipsos descendit: ita ut radici suæ adhærere desiderent. Atque hoc est quod dicitur: illos desiderare, ut videant & adhæreant formæ ejus. Jam enim suprà declaravi, quod preces inferiorum tantùm pertingant usque ad Microprosopum.

§. 88. Cùm autem porro dicit, formam capillorum esse perfectam, elegantem atque pulchram, hoc ipso respicit ad conformationem barbæ, quæ non tam perfecta est. Quia in illa dantur pili breviores & longiores: sed capilli isti omnes æquales sunt, ut nullus præmineat alteri. Deinde pili quoque barbæ duri sunt & non leves: quo respicit epitheton elegantium. Deinde capilli etiam sunt longi, unde dicuntur pulchri

quod

quod ita non est in pilis barbæ. Et hæc est ratio, quare numerò plurali loquatur de conformationibus.

§. 89. *Tredecim digestiones pilorum capillitii dependent ab hoc & ab illo latere cranii &c.* Supra jam scripsimus, quòd cerebrum occultum dividatur in tria Tetragrammata, quibus si addatur Senex ipse eadem comprehendens, hinc exurgunt tredecim. Sic etiam cranium ipsius album radiare dicitur in tredecim latera, prout habetur in Idra majore & minore. Ubi dicitur, quòd in cranio resideant tredecim mille myriades mundorum &c. à quibus derivantur tredecim istæ digestiones capillorum. Et abhinc protenduntur in tredecim conformationes barbæ. Fortè autem à tredecim illis, quæ in fine cranii, protenduntur tredecim istæ digestiones pilorum, & à tredecim, quæ in cerebro, protenduntur formationes barbæ. Et in his crines incipiunt dividi: Quia in capillitio crines omnes vadunt ad locum unum: hic autem pars quædam in latus unum, & pars altera in latus alterum dispescitur.

§. 90. Fortè etiam, quia sunt tredecim attributa summa, quæ describit Micha; & tredecim attributa alia, quæ eloquitur Moscheh, quæ quæ infra sunt, illò locò ubi judicium est, sicut in Idra magna dicitur. Hinc respectu binorum istorum attributorū tredenariorū, describuntur tredecim digestiones pilorum capitis, & tredecim conformationes barbæ: ut illis tribuatur radix in supernis: hinc ibi pili incipiunt dividi in barba, ut locū dent tredecim attributis inferioribus inferioribus: in quibus est dextrum & sinistrum.

§. 91. Scito autem, quod præter tredecim istas pilorum digestiones in Idra magna in his capillis numeri adhuc alii inveniantur: ubi dicitur, *quod cerebrum capitis dependeant millena millia myriadum, & septem millia & quingenti cincinni: ubi in quolibet cincinno sint quadringentæ & decem digestiones pilorum, juxta numerum vocis* קדוש: *quodque omnes & singulæ digestiones pilorum radient in quadringentos & decem mundos; quilibet autem mundus radiet in quadringenta & viginti latera.* Explicatio autem horum numerorum, quamvis profundissima sit, tamen hæc esse potest. Cerebrum hoc occultum, quamvis in se sit unum, potentiâ tamen in se habet tria cerebra inferiora, ut suprà diximus: quippe quæ etiam ab hoc extenduntur. Respectu igitur Sapientiæ, quam in se habet, prodire dicuntur *millena millia myriadum*: qui est numerus generalissimus & perfectus. Respectu Informationis autem, exeunt septem millia: quia ipsa est Mater Liberorum, septem annorum, (seu Numerationum inferiorum.) Respectu Cognitionis a prodeunt quingenti Cincinni: qui est numerus Arboris Vitæ itineris nempe quingentorum annorum. Et respectu trium istorum Conceptuum, videtur etiam supra descripsisse tres formas crinium; perfectam respectu Sapientiæ; elegantem respectu Informationis, quia mulieris est elegantiæ studere: & ornatam sive gloriosam respectu Cognitionis; quo pertinet locus ille: *Isa. 3. in quo gloriosus & ornatus ero.*

§. 92. Tres autem isti Numeri, cum descendunt in Microprosopum, diminuuntur; ut alibi dicitur: *& mille & septingenta, & septuaginta quinq.* Ubi mille dicuntur respectu sapientiæ Microprosopi: Et septingenta, respectu Informationis, quo referuntur septem anni: & quinque respectu Cognitionis, quæ est anima quinque Numerationum Pul-

Pulchritudinis; quæ sunt Benignitas, Severitas, Pulchritudo, Victoria & Gloria: fœdus enim & corpus habentur pro uno. Septuaginta autem numerantur respectu septem Numerationum structuræ reliquarum, quarum in Macroprosopo non fit mentio, quia ibidem non nisi Caput manifestum est; ut jam expositum est supra. Ex Numeris istis inferioribus (Microprosopicis) facta sunt יריעין uncini columnarum; qui pertinent ad mundum Masculinum: unde de his dicitur in Sohar Sectione Pekude: Et hoc est mysterium Masculi, qui constitutus est, ut alimenta præbeat uxori. Atque hinc omnes illi uncini: quos faciebat Bezaleel erant mille & septingenti & septuaginta quinque Exod. 38. v. 28. idem nempe numerus, & mysterium idem.

§. 93. Quod autem porrò dicit Idra, *in singulis cincinnis esse quadringentos & decem pilos: & singulos pilos radiare in quadringentos & decem mundos; singulos autem mundos radios emittere in quadringenta & viginti latera.* Hos numeros meritò dividimus in duas species; quarum una continet quadringenta & viginti; & altera quadringenta & decem. Et quia numerus Cincinnorum æqualis est numero vocis קדוש Sanctus: de Nasiræo verò etiam dicitur; Num. 6. v. 8. *Sanctus erit*: hinc satis clarum est, quod Nasiræus ad locum sanè sublimem admodum ascendat, & similis sit altissimo. Et de Nasiræo bis reperimus, quòd sanctus dicatur, (eodem capite:) respectu quoque ad mundos illos habito, qui prodire dicuntur è cincinnis. Ratio autem numeri hujus hæc est. Sicut tria cerebra inferiora contenta sunt in cerebro isto: ita etiam triginta duæ semitæ, quæ in cerebro inferiore, in eodem continentur (potentialiter:) & abhinc derivantur per cincinnos illos. Ergò singuli isti cincinni constabunt è triginta duabus semitis; quælibet autem semita constat è decem Numerationibus; quæ sunt trecenta & viginti. Et istæ sunt trecentæ illæ & viginti scintillæ, quas evibravit Lumen intensissimum; prout suprà declaravimus. Et hi quoque sunt trecenti illi & decem mundi, quos Deus sanctissimus atque benedictus in hæreditatem concedet singulis Justis, quarum semitarum ne unam quidem novit Avis. (Jam numera 310. & unam; & עיט, i. e. 89: unde prodeunt 400.) Hinc etiam dicitur in Idra magna & parva; *De albedine Crani Justi hæreditabunt in mundo venturo quadringentos mundos desiderabilissimos: quia scriptum est: quadringentos siclos argenti* (desiderati) &c. ubi intelligitur mundus resurrectionis. Et paulò post additur: *quodè rore qui ex hinc destillat, mortui resurrecturi sint in mundum venturum.* Adde quod & textus allegatus Scripturæ huc alludat; cùm dicit: & Abraham ponderabat לעפרון Ephroni; ubi intelliguntur illi, שוכני עפר *qui dormiunt in pulvere*, prout exponitur in Midrasch hanneelam. De his mundis ducenti tribuuntur illis, qui præmium studii Legis accipiunt: & ducenti illis, qui se ipsos quotidie tradunt propter sanctificationem nominis. Quod autem ob Legem tribuantur ducenti; nota quod hîc intelligantur Sapientia & Informatio, duæ Numerationes, quæ singulæ constant è decade, & decem istæ iterum suam habent decadem, unde ducentæ. Et hæ sunt duæ literæ Tetragrammati Jod & He: quoniam tales exercuerunt studium Arboris Vitæ, quæ est Sapientia; & Binah, seu Informatio est בן יוד, intelligens Sapientiam. Cùm autem se ipsos tradunt propter sanctificationem per Lectionem Audi Israel; ibi

copulant sponsum cum sponsa. Quoniam per קדוש sanctificationem Nominis sponsus sibi desponsat sponsam. Et cùm quis ita seipsum tradit, jam reputatur pro mortuo: & cum anima ejus procurat copulam per aquas fœmininas, debilitatur latus adversum, nec intercedere potest ut sponsum in sponsa separet. Et huc pertinet unio duarum literarum posteriorum Tetragrammati; & talis etiam meretur accipere ducentos mundos. Et ducenti pro Lege; sunt quadringenti. Quibus addantur decem literæ Tetragrammati plenè scripti per Jodin, hoc modo: יוד הא ויו הא. Hinc exurgunt quadringenti & decem; & hinc digestiones hæ pilorum minores dicuntur esse quadringentæ & decem. Et hinc nos ter dicimus Sanctus, Sanctus, Sanctus, Tetragrammatos: quia in Sene Sanctissimo Tetragrammaton ter continetur; ubi si singula computentur per decadem; orietur numerus dicti illius: & erunt dies ejus centum & viginti anni. Et si numeres literas trium horum Tetragrammatorum in plenitudine supradictâ: exurgent triginta: sic etiam dies Nasiræatus simplicissimè sumti, sunt triginta: quem numerum etiam refert Tetragrammaton, continens viginti sex & cum quatuor literis suis triginta: Unde de Nasiræo dicitur: Omnibus diebus voti sui Sanctus est Domino; לה׳ קדוש. Porrò scias, quod triginta duæ semitæ illæ singulæ quoque continent duodecim literas; id est, tria illa Tetragrammata: unde numerus trecentorum & octoginta quatuor: quibus si addas viginti sex, numerum scilicet Tetragrammati; exurgent quadraginta & decem. Et si triginta duas semitas illas singulas comprehendere dicas tredecim illas formationes; exorientur quadringenta & sedecim, & cum quatuor literis Tetragrammati, habebis quadringenta & viginti.

Porro etiam Nomen שדי אלהים habet numerum quadringentorum.

Et Nomen אל שדי אדני efficit quadringenta & decem.

Et Nomen שדי אלהים אדוני; efficit quadringenta & viginti.

Item Jod supernum dependet ab isto Sene Sanctissimo, sicut dicitur in Idra minore: Jod autem plenè scriptum hoc modo יוד, efficit viginti; & vicies viginti (si nempe singulæ hæ partes iterum habeant viginti:) sunt quadringenta. Si autem ipsum Jod addas, quod est radix horum & efficit decem, habebis quadringenta & decem. Si verò numeres plenitudinem ejus, habebis quadringenta & viginti.

Porro scias, quod in Jod contineantur tria Jodin; apex scilicet summus; apex imus, & Vav in medio: ubi apice summo denotatur Corona summa; per Vav medianum, Sapientia, & per apicem imum Informatio: sicut dicitur in Sohar sectione Vajkra.

Iterum notes, quod totum Tetragrammaton septuagintabinarium dependeat à Sene sanctissimo, sicut dicitur in Tikkurim. Et ita eo sunt in literis יוד הא ויו הא tria Jodin, quæ efficiunt triginta: unde nasiræatus absolutè pronunciatus est triginta dierum. Si igitur Jod primum computes ut supra, ut efficiat quadringenta & decem; habebis quadringentos & decem cincinnos. Et Jod secundum eôdem modò supputatum tibi præbebit quadringentos & decem mundos: quoniam Jod secundum refertur ad Binah, quæ vocatur mundus; & propterea sunt quadringenti & decem mundi. Jod tertium autem sibi præbebit numerum quadringentorum & viginti: quoniam Jod hoc refertur ad cognitionem, quæ influxum accipit à literis יוד הא: illa verò efficit quadringenta, & cum duobus Jodin influxum præbentibus, quadringenta & viginti. Sed litera quarta istius nominis septuaginta binarii, quæ est fœmina, nondum hîc manifestatur, quamvis abinde etiam dependeat.

§. 94. Porrò mihi etiam videtur, quod inter quatuor Jodin istius nominis Jod primum modò supradictò supputatum, ut quadringenta referat, repræsentet quatuor mille mundos occultos cranii, è cujus albedine & lumine justi in mundo venturo hæreditabunt quadringentos mundos: ut dictum suprà. Quodque Jod secundum in יוד הא istius nominis referat quadringentos cincinnos & decem cum radice, i. e. numero proprio, unde quadringenti & decem mundi; nam à Binah & porrò deorsum incipit structura mundi. Sic etiam trecenti & decem mundi sunt sub mundo venturo, & non in mundo venturo, sicut dicitur in Sohar sectione Trumah. Et Jod quartum istius nominis etiam efficit quadringenta, quibus si addas ipsum Jod, quod est in ד ultimo; unà cum illo quod est in ו, quia hic est sponsus eidem influxum præbens, cum ipsa per se nihil habeat: Ecce hinc exurgunt quadringenta & viginti.

Sic etiam, si Jod numeres ter decies, tibi exurgent trecenta; & cum ipso Jod efficient trecenta & decem. Et hi sunt illi trecenti & decem mundi, qui sunt sub mundo venturo.

Si autem computes additamentum hoc literæ Jod per plenitudinem suam, tibi exurgent trecenta & viginti: quæ sunt trecentæ & viginti scintillæ, quas evibravit lumen intensissimum. Et si ד per se sumtum addideris, exorientur trecenta viginti quinque. Et hæ sunt trecentæ viginti quinque illæ scintillæ, quæ substiterunt, ut dictum supra. Et si multiplices Jod primum per Jod secundum, quod est in He (in plenitudine sua, id est vicies viginti;) evenient quadringenta: & cum ipso Jod quadringenta & decem. Et si multiplices Jod primũ cum Jod He ultimi, superadditô Jod in plenitudine sua, habebis quadringenta & viginti. Et si viginti multiplices per viginti & unum, habebis quadringenta & viginti.

Item si Tetragrammaton in plenitudine multiplices per quatuor ejus literas, habebis quadraginta; & additis duobus nominibus, erunt quadraginta duo. Jam si quadraginta duo multiplices per decem, tibi orientur quadringenta & viginti. Sed de his satis.

§. 95. Porrò etiam dicitur in Idra magna hôc loco de capillis, quod in discriminatione capillorum procedat semita quædam, quæ luceat in ducentos septuaginta mundos: quodque ex illa eradietur semita alia, in qua illuminentur justi mundi venturi. Quia scriptum est Prov. 4. v. 18. *Et semita justorum sicut lux fulget.* Idem quod exhine fiat divisio in sexcentas & tredecim semitas alias, quæ dividantur in Microprosopum, de quibus scriptum est: Psal. 25. v. 6. *Omnes semitæ Domini misericordia & veritas* &c. Et in Idra minore scribitur, quod de hac semita intelligendum sit dictum illud: Jes. 58. v. 14. *Tunc oblectaberis super Domino:* quodque ab hac semita multi calles alii distribuantur in Microprosopum. Hæc ibi. Et quamvis suprà dixerimus, quod tredecim saltem sint pilorum digestiones, ubi crines incipiant dividi: dicendum tamen est, quod reliqui crines non habeant locum singularem, ut partim huc partim illuc propendeant; quia omnes

sunt æquales. Istæ digestiones autem habent locum peculiarem, ubi nulli sunt crines alii, nempe in discriminatione capillorum. Unde dicitur: hanc esse semitam, in qua fulgent justi pro mundo venturo.

§. 96. Nervus autem horum omnium est, quod capilli inserviant ad occultandam lucem supernam, ut illa vestiatur & superintegatur capillis, atque sic deorsum radiet. Quia non esset possibile, ut acciperetur lux tanta, nisi mediantibus capillis istis. Justi autem sunt in Microprosopo, & digni evadunt, hanc assequi semitam immediatè. Unde patet, quod gradu quodam superemineant Microprosopo: qui influxum suum non accipit, nisi per capillos istos: cùm illi immediatè fruantur luce hâc supremâ. Et hoc ipsum est, quod dicitur in Idra minore: Huc pertinere dictum illud Jes. 58. v. 14. *Tunc oblectabis te super Domino*: quasi diceretur in loco, qui superior est & altior ipsô. Ratio autem, quare hæc semita sit in discriminatione capillorum media, hæc est; quod justi huc accedere mereantur mediante Lege scriptâ, quæ est columna media & Cognitio. Supra enim jam scripsimus, quod in capillis illis tria cerebra contineantur nempe Sapientia, Informatio, & Cognitio: ubi Cognitio est in capillorum medio, & in illa lucet semita justorum.

§. 97. Et per hanc præfationem, quod capilli sint pro occultanda Luce, melius etiam intelligi potest, quod supra diximus: Capillos istos superintegere cervicem, ut hæc non videatur. In inferioribus enim circa posticа è regione cervicis supernæ, locum habent cortices & judicia: Unde non convenit, ut cortices contineantur locum hunc sanctum, & ad illum sese applicent: quem in sinum etiam contectus est capillis. Quod ita non est è regione faciei, ubi nulli sunt cortices. Adde quod facies conformetur ore, naso, &c. imo ipsa facies sit vestis quædam cervice multo extantior: cùm è contrario in cervice nulla sit conformatio nisi per capillos istos, qui eandem contegunt. Et hanc ob causam aures supernæ non conteguntur crine ullô.

§. 98. De fronte hæc extant in Idra magna: *Cum ascendunt preces Israelitarum ante Senem dierum, eidemque misericordiam implorant &c. frons detegit beneplacitum beneplacitorum* &c. Ubi sensus est, quod per Microprosopum preces illuc eleventur. Unde non dicitur: quòd Senex dierum audiat preces Israelitarum, vel quod eas accipiat. Et ab hac semita porrigitur semita alia, quæ extenditur in sexcentos & tredecim tramites, qui distribuuntur in Microprosopum: sensus est, in ista semita hæc quàm obscurissimè contineri. Quoniam è cognitione hæc, quæ est discriminatio capillorum, descensus est in Microprosopum, ubi locum habet cognitio ordinaria, Lex nimirum scripta; constans è ducentis & quadraginta octo præceptis affirmativis, & trecentis sexaginta quinque præceptis negativis; quæ sunt sexcentæ & tredecim istæ semitæ: quia cognitio inferior è potentia cognitionis superioris contentæ in cerebro occulto prodit. Et sexcentæ tredecim istæ semitæ sunt bona illa reservata iis, qui custodiunt fœdus & testimonia ejus, & ipsis detur merces omni præcepto superior, immediatè ex hac semita: & sunt benignitas & veritas, quæ in trutinando inclinant ad clementiam, ut merces illa optima fiat integra; sicut dicitur in Idra parva.

§. 99. Numerus autem ducentorum & septuaginta mundorum descendere potest

est è viginti septem literis, assumtis finalibus; si singulis integra decas tribuatur. Et propterea exhinc illustratur semita pro justis in mundo venturo. Quicunque enim studium Divinæ Legis exercet, ille à Lumine Legis vivificatur. Et fortè digitum hic intendit, in quadringentos illos mundos, quos justi hæreditabunt in mundo venturo, de lumine albedinis cranii: ita ut dici queat, ducentos & septuaginta lucere in semitam hanc; & centum & triginta lucere versus albedinem capitis, quæ inter singulos pilos interjacet. Dici enim potest, quòd quadringenta illa dividantur in tres portiones, respectu trium cerebrorum, Sapientiæ, Informationis & Cognitionis; quarum singulæ continent centum & triginta tria cum una tertia: cumque eum Sapientia unitur Cognitio, tunc prævalere facit latus Sapientiæ versus Benignitatem, & in se suscipit tria residua, quæ in Binah sunt respectu trium radicalium: Unde oriuntur ducenti & septuaginta. Eodemque sensu dicitur in Sohar sectione Trumah de trecentis & decem mundis, quod Tipheret accipiat ducentos & septem, juxta numerum vocis אור versus latus benignitatis: ita ut se veritati tantum remanęant centum & tres. Sed hic cognitio, quæ est discriminatio capillorum, accipit ducentos & septuaginta; ita ut Informationi remaneant centum & triginta. Et isti non usque adeò lucent, sicuti benignitates, quæ plus continent miserationis quàm illæ: & lucent per semitam istam. Sed centum illi & triginta lucent per album inter capillos emicans. Ne mireris autem, quòd hîc dicantur esse miserationes & judicia: cùm dictum sit: In hoc Senæ occultissimo omnium nihil dari sinistri. Quamvis enim dicatur, capillos hîc incipere dilingui: hoc tamen intelligendum saltem est, quatenus deorsum descendunt in Microprosopum; in supernis autem nihil tale cognoscitur: & quamvis in potentia ibidem sit; id tamen quàm occultissimè concipiendum est. Et propterea dicitur: in Sene hoc occultissimo omnium, nil dari sinistri: & dextrum tamen ita saltem videri, ut quasi non videatur. Quamvis enim miserationes hîc sint; nullatenus tamen cognoscuntur. Quoniam Lux non cognoscitur, nisi ex opposito tenebrarum: hîc autem nulla est caligo, & nullum judicium.

§. 100. Quod autem dicit *Videtur*; intelligendum est, quòd per Microprosopum cognoscatur, in quo dextrum est; quando scilicet hunc intuetur oculô aperto, benevolentiâ benevolentiarum. Extra hunc casum enim nihil dextri ibidem ullatenus deprehenditur: adeoque nihil tale videtur in ipso. Sed sinistrum in ipso nullô modô est, quia malum non descendit è supernis.

§. 101. Israëlitæ igitur scire desiderabant, quænam esset differentia inter Microprosopum; cùm ille dominatur per meram misericordiam; & inter Macroprosopum: idque volebant explorare corde & intellectu suô, quænam esset differentia inter Microprosopum & Macroprosopum. Hinc textus dicit: Quod exploraverint corde suô. Simile quid etiam dicitur in Sohar sectione Schelach lecha: Quod nimirum scire voluerint illud, quod scriptum est: *Estne Tetragrammaton inter nos? Nota bene, an verò Non?* &c.

§. 102. Porrò scito, quod cranium hoc superintegat cerebrum illud, quod dicitur Informatio; hæc autem est palatium Sapientiæ, in quo hæc reconditur. Unde patet, quod omne præmium justorum derivetur à cranio hoc. Quia quadringenti mundi effulgent

fulgent ab albedine cranii: sicut scriptum est: De quadringentis Siclis argenti transeuntis per circumeuntem: i. e. per calvariam, quæ circumdat & ambit cerebrum.

§. 103. Justi autem ista hæreditabunt in mundo venturo pro vivificatione mortuorum. Et sic etiam dicitur, quod semita quædam sit in discriminatione capillorum, in quo luceant justi mundi venturi. Item quod exhinc fulgeat semita extensa in sexcentas & tredecim semitas Microprosopi ad distribuendum præmium præceptorum. Unde patet, quod omnia requisita mundi venturi abhinc deriventur. Quoniam mundus venturus, qui est in Microprosopo influxum accipit à mundo venturo superno, ut detur præmium justis inibi existentibus. Atque hinc cincinnorum numerus dicitur millena millia myriadum, septem millia & quingenta. Nam Millenarius pertinet ad Informationem; sicut dicitur in Sohar, sectione Balak. Et septenarius, denotat septem annos, qui in illâ: & quingenta sunt sub mysterio quinquaginta portarum Matris intelligendi.

§. 104. Porrò etiam dicitur in Idra magna: *De hoc cranio albo radii effulgent in tredecim latera effingenta; in quatuor latera ex parte unâ; & in quatuor, ex parte altera; & in quatuor, ex parte faciei; & unum in parte suprema cranii. Id est, ex parte suprema: & ibi incipit longitudo faciei ejus extensa in trecentas & septuaginta myriades mundorum: unde etiam vocatur Macroprosopus, i. e. longâ facie præditus. Et hic Senex omnium senum vocatur longanimis: habens: alter autem vocatur Microprosopus, i. e. brevem faciem habens in oppositione Senis decrepiti Sanctis sanctorum sanctissimi. Et cum Microprosopus istum contuetur, omnia probè ordinantur; & facies ejus pariter extenditur, & longa fit pro isto tempore: non verò pro omni, prout Senex semper talis manet. Et ex hoc cranio prodit tractus quidam albus in cranium Microprosopi ad conformandum caput ejus: & ex hoc capite in crania inferiora, quorum non est numerus, &c.* Sensus est hic, quod hoc album, quod eradiat in tredecim tractus, veniat à cerebro occulto, quod dividitur in tria Tetragrammata. Unde in Idra parva de his ita traditur: *Et propterea Senex Sanctissimus vocatur* יהיה *Non existens; quia ab illo dependet, qui Non dicitur. Quia omnes isti capilli & omnes isti cincinni provenunt à cerebro occulto: omnesque residentes aqualiter: & non apparet cervix, ac si non esset, quoniam Senex hic Sanctissimus quasi uniformis est. Omnia hic in gaudio, & non mutatur è statu amoris in æternum. In tredecim attributis misserationum reperitur, quia in cerebro occulto dispositum tria Tetragrammata: & iste Senex eadem continet, & iisdem dominium exercet super omnia.* Ubi sensus est, quod supra Senem hunc sanctissimum, qui in hoc capite superno, nullum caput ulteriùs aliquid sciat vel cognoscatur, quid in illo capite sit: eò quod Senex iste Sanctissimus sit corona summa, & caput supremum: prout ibidem paulo infra dicitur: *Senex hic Sanctissimus decrepitus & annosissimus est. Corona summa, quâ coronantur omnes corone & diademata, & ab eo effulgent & eradiant, & effluunt lumina, &c. Ipse autem est Lux summa & occulta, quæ non cognoscitur; & omnia reliqua lumina ab ipso effulgent & eradiantur.* Hæc ibi.

§. 105. Hic per Senes intelliguntur Sapientia & Informatio: Senex autem senum est Corona summa in supernis. Per Coronas autem & diademata & lumina intelliguntur

tur septem conformationes capitis, & tredecim conformationes barbæ, quæ influentiam demittunt in inferiora emanata. In specie autem per Coronas intelliguntur Pater & Mater; & Sapientia, Informatio & Cognitio; & per lumina septem lucernæ subsequentes. Diademata autem dicuntur, quod ambiant eum; quia ipsi propinqua sunt, & exipso fiunt. Coronæ autem dicuntur, quod eradient; quoniam lux, quæ ab illis prodit, ab eo derivatur per conformationes ejus. De luminibus autem dicit, quòd flammas emittant & luceant: quia in illis est judicium & miseratio; quorum illud exprimitur flammarum emissione; hæc verò lucis emissione. Et quia hoc mirum videri posset: quomodo enim judicia ab eo flammas emittunt, qui merus amor est? Hinc pergendo dicit, quod ipse sit Lux summa, occulta, quæ non cognoscitur. Ubi innuit, quod in ipsa quoq; lucerna hac sancta in potentia quidem sint judicia, sed non cognoscantur; unde eandem dicit occultam, quæ non cognoscatur. Cùm autem Lux hæc ad inferiora pertingit in lucernas; eædem manifestantur. Hinc dicit: & omnes lucernæ reliquæ ab hac flammas emittunt & lucent. Et quia omnes conformationes sunt in capite tertio, quod est cerebrum occultum: & derivantur à capite secundo, quod est senex annosissimus inter senes: hinc innuit, quod illum cingant omnia diademata.

§. 106. De his capitibus autem dicitur in Idra minore: col. 558. *Senex Sanctissimus occultus est & abscrusus; & Sapientia superna occultata est intra hoc cranium; invenitur, & revera non invenitur: in hoc Sene non manifestatur nisi caput solum; quia ipse est caput omnium capitum. Extensio illius Sapientiæ occultæ supernæ in ipso occultatur: & vocatur cerebrum supremum occultatum; cerebrum, quod tranquillum est; & quiescit, ita ut nemo cognoscat, quomodo se habeat. Tria capita effingantur, unum intra alterum; & unum supra alterum. Caput unum est Sapientia occulta, quæ occultatur, & non aperitur, & supra Sapientiam hanc occultam est caput omnium capitum, caput quod non est caput; quod nihil novit, nec etiam cognoscitur ab aliis, quid in illo capite sit: quia non adhæret, nec sapientiæ, nec intelligentiæ: & propterea dicitur: Fuge in locum tuum. Item: Animalia currebant & redibant.* Hæc ibi. Ubi sciendum, quod Senex Sanctissimus in se contineat omnia tria Capita: sicut dicitur in Idra parva, & supra jam expositum est. Et verba Idræ sunt: *Hic Senex Sanctissimus invenitur cum tribus capitibus, quæ continentur capite uno, quod est summo omnium loco. Et quia Senex Sanctissimus designatur per tria, hinc & reliqua Lumina lucentia ab eo, sriadem continent. Item Senex Sanctissimus designatur per duo; quæ sunt Corona summa inter omnia superna: quæ est caput omnium; & deinde quod supra istud est, nempe quod non cognoscitur: sic omnia quoque cætera Lumina occulta Dyades continere dicuntur. Tandem etiam Senex Sanctissimus designatur & occultatur per Monadem; ut omnia sint una; & ipse tantum sit unus, & omnia Lumina religua sanctificantur, & uniuntur & applicantur in uno, & sunt unum, & omnia Ipse.* Hæc ibi. Hinc patet, quod Senex sanctissimus, sit nomen generale, omnium trium Capitum supernorum. Et deinde in specie Sapientia summa vocatur Senex occultus, secundum nomen suum alterum, quo dicitur Cerebrum occultum. Corona summa autem vocatur Occultissimus omnium occultorum; vel etiam; Senex Sanctissimus, Senex senum. Et

Caput

Caput summum dicitur Caput quod non cognoscitur. Deinde sequitur Corona summa, & cerebrum occultum. Sic omnia quoque lumina dispescuntur in Triades, חֶבֶר Sapientia, Intellectus informans, & cognitio; יְנֻחֶת, Benignitas, Severitas & Pulchritudo: נְהִי Victoria, Gloria & fundamentum. Et quatenus Cognitio continetur in Sapientia & Intellectu informante; & Pulchritudo continetur in Benignitate & Severitate. & Fundamentum in omnibus; hinc Dyades saltem reperiuntur. Hinc dicit, quod & Senex interdum designetur per Dyades. Quamvis enim repræsentetur per Triadem, aliquando tamen duo tantum in ipso designantur; nempe Caput quod ignoratur, & Corona, quæ in se includit cerebrum occultum; quia caput tertium, i. e. cerebrum hoc occultum tantum est conformatio Senis: ita ut ipse Senex in Dyade tantum appareat. Atque sic in Idra minore traditur. col. 559. *Conformatio Senis Sanctissimi sit forma unica, quæ est forma generalis omnium reliquarum formarum, & hæc est Sapientia summa occulta: Generalitas caterarum omnium. Et hæc vocatur Eden sive Paradisus superius occultissimus omnium occultorum; istque cerebrum Senis Sanctissimi. Et hoc cerebrum extenditur quaquaversum: & ab eo extensio quoque fit in Eden sive Paradisum alterum; qui ab hoc Paradiso effiguratur. Et hoc caput occultum, quod in capite Senis omnium est, quando extendit frontale quoddam ad illuminandum; illudit ad hoc cerebrum, & hoc effiguratur & illuminatur multis luminibus: & producit & designat (* sic habet Manuscriptum:) in thronо quodam, numirum in frontella jam producta, Lumen aliquod, quod vocatur רָצוֹן Benevolentia: & hæc Benevolentia demum extenditur in Barbam, usque ad locum illum, ubi residet in Barba, qui vocatur Benignitas summa: & hanc benevolentiam, cum manifestatur, intuentur Domini judiciarii, & supprimuntur.* Hæcibi.

§. 107. Sensus horum est: quod in duobus Capitibus supernis nulla planè sit conformatio: Sed in capite tertio sint Conformationes: quodque hoc sit forma generalis omnium formarum, tam Barbæ, quàm Cranii. Et hoc est exemplar generalissimum omnium quæ Emanant tam ab ipso, quàm ab Ipsum. Et hoc vocatur Eden supernus occultissimus omnium occultorum, quia adhuc duo alii Paradisi sunt, Paterse. & Mater, quibus etiam tribuitur nomen Eden, ut infra apparebit: qui Eden derivatus ab Eden superno demittitur in Eden Microprosopi, nempe Sapientiam & Intelligentiam ejus informantem. Ille verò est occultissimus præ duobus cæteris: Hinc vocatur occultissimus omnium occultorum. Et hoc est cerebrum occultum Senis Sanctissimi, & ejus conformatio per hoc Cerebrum instituitur; & in hoc initium est conformationis; quia in illo non locum habet Nomen Cerebri, nec cranii. Et cerebrum hoc extenditur quaquaversum per capillos suos: quia Capilli Capitis ab eo proveniunt, per quos Sapientia immittitur Cerebris Microprosopi: Pili autem Barbæ in Patrem & Matrem derivantur per Influentiam. Unde patet quod ab omni latere extensionem habeat, antrorsum, & retrorsum; Et ab eo fit extensio per Influentiam in Eden sive Paradisum alterum, i. e. in Patrem & Matrem ut supra dictum est. Et ab hoc Paradiso effiguratur ille Paradisus alter, id est Sapientia, quæ vocatur Principium, unde producuntur lumina in Caput

put Microprosopi. De hoc ita dicitur in Idra Minore: *Locus principium reperitur in Sene, quod effulget ab Influentia. Hoc est lumen Sapientiæ, quæ extenditur in triginta duas semitas; & prodit a cerebro occulto, nempe è lumine quod in illo est: Et per quod Senex Sanctissimus in principio effulget; hoc ipsum est hæc: principium scilicet unde fit manifestatio. Et conformatur in tria Capita: & caput unum eadem comprehendit. Et ista tria extenduntur in Microprosopum, & abillis fulgent lumina omnia. Hæc Sapientia sculpturam instituit & producit fluvium quendam, qui fluit & prodit ad rigandum hortum; intratq; in Caput Microprosopi, & efficit Cerebrum aliud. Et abhinc porro defluit & derivatur per totum corpus, potaque omnes illas plantas. Hinc scriptum est: & fluvius egrediturex Eden, &c. Hæc sapientia effiguratur, & promanat, & ingreditur in Caput Microprosopi, & ibi constituitur Cerebrum aliud. Hoc alterum est istud flumen, à quo emanant illi duo rivi: qui etiam conformantur & uniuntur in profundum aliquem puteum. Sicut scriptum est: Proverb. 3. v. 20: In cognitione abyssi rupta sunt. Et ingreditur in Caput Microprosopi & conficit cerebrum aliud: & abhinc pergit, & intrat in corpus, & adimplet omnes ejus exedras & concavitates: sicut scriptum est: Prov. 24. v. 4. In Cognitione penetralia replebuntur. Et lumina hæc omnia descendunt è lumine illius Cerebri summi occulti, quod lucet ab Influentia Senis Sanctissimi, Omnia sibi invicem connectuntur & à se invicem dependent; donec cognoscatur, quod omnia sint Unum; & omnia hæc est Senex ille; & ab eo nihil separatur. Illa tria Lumina, radiant in tria alia, quæ vocantur Patres: & isti Patres lucent in Liberos: & omnia effulgent è loco uno.* Hæcibi.

§. 108. Sensus hic est: quod Cerebrum occultum vocetur Principium in Sene, unde est initium manifestationis & conformationis ejus; sicut dictum est. Sed non vocatur Finis, quia hic ibidem non invenitur: nec dici potest, quod ibi sit principium & finis; quia hoc loco non simul incipiunt manifestari Emanantia, & simul etiam finiunt manifestationem suam; quod aliàs dicitur in Sapientia fieri & in regno. Quoniam hæc sapientia occultata est ab oculis omnium viventium. Imò ne mater quidem, quæ est intelligentiæ largitio, hoc loco adhuc ullatenus manifestatur; nedum Regnum, Mater secunda. Hinc locus iste nondum vocatur Eden, quia adhuc occultus est, nec manifestatur: Membrana enim diaphana eundem claudit, & vocatur רָזִיא Ille. Sed in Eden hoc secundo aliqua est manifestatio, & hic incipit manifestari Emanantibus; vocaturque Tu: & hic est Pater; sicut dicitur: *quia Tu es Pater noster* &c. Principium & finis, quod denotatur per mysterium literæ Jod יוֹד plenius scriptæ hoc modo: יוֹד הֵי דָלֶת Nam Daleth est Regnum, sicut notum est. Hinc ibidem dicitur: *Eden vocatur Principium Senis; & non vocatur, & non est principium. Et quia in eo non est principium & finis; etiam non vocatur* אַתָּה: *Tu: quia occultus est, & non manifestus; & vocatur* הוּא *Ille. Illo loco autem ubi principium exeat, locum habet nomen* אַתָּה, *Tu: & vocatur Pater; juxta illud.* : *Quia Tu Pater noster*, &c. Hæc ibi. Hoc ipsum etiam jam supra expressum est his verbis: *In Cranio, albo scilicet capitis non est principium & finis.* Quin imò in Cranio albo, quod est Mater intelligendi quæ in Corona; quæque ambit Sapientiam cerebrum illud occultum, nondum manifestantur princi-

pium & finis: donec venit Benignitas superna in Barba, & abinde manifestantur Pater & Mater per Influentiam; ut notum est.

§. 109. Pergit autem Idra: *In Commentario R. Jesa Senis, hæc regula generalis traditur: Microprosopus vocatur* אַתְּ *Tu: Senex Sanctissimus, qui occultatur, vocatur,* הוּא *Ille. Et velli. Jam verò illo loco ubi principium invenitur, quamvis occultetur quia tamen ab eo principium sit, tribuimus nomen* אַתְּ *Tu: & hic est Pater Patrum. Et hic Pater prodit à Sene Sanctissimo: sicut dicitur Job. 28. vers. 11. Et Sapientia* מֵאַיִן *ex Non ente invenitur. Et propterea non cognoscitur. Veni vide! Scriptum est:* אֱלֹהִים *Deus novit viam ejus. Id est viam ejus saltem. Iste verò novit locum ejus ipsum; & multo magis viam ejus. Et multò magis Sapientiam illam occultatam in Sene Sanctissimo. Hæc Sapientia est principium omnium; & ab ea extenso sit in triginta duas semitas. Semitas, inquam, non verò tramites. Et Lex in illis comprehensa est in viginti duabus litteris & decem dictis. Hæc Sapientia est Pater Patrum; & in ista Sapientia principium & finis invenitur. Hinc est Sapientia superior, & inferior. Cum extenditur Sapientia, vocatur Pater Patrum. Omnia nullibi comprehenduntur nisi in illa: sicut scriptum est Psalm. 104. v. 25. Omnia in Sapientia fecisti.* Hæc ibi.

§. 110. His verbis explicatur R. Jesa Senex; qui dixerat: Nomen Tu non tribui nisi Microprosopo, quia hic sit manifestus; Senem autem Sanctissimum, qui occultetur, non vocari nisi nomine הוּא, id est Ille. Quæ rectè se habere dicuntur; ita tamen ut non præcisè intelligatur Microprosopus, qui manifestus plane est; sed etiam Pater; quamvis occultus sit: quia nimirum in eo invenitur principium, vocetur nomine Tuto scilicet respectu, quod non tam occultatus sit, quam Senex, & è generali conceptu Senis jam exiverit. Et hic dicitur Pater Patrum, quia ab illo prodeunt tria Lumina, Sapientia, Intelligentia & Cognitio, & radiant in tres Patres, licut explicuimus. Et Pater hic prodit è Sene Sanctissimo per Influentiam; & propterea non cognoscitur: quoniam continetur in Influentia, & reputatur ad Senem pertinere: sicut supra dictum est; & omnia sunt Senex. Patet igitur, quod vocetur Principium; quatenus egreditur à generali conceptu Cerebri occulti, & in ipso aliqualis manifestatio est. Sed quatenus in influentia ista continetur Senex dierum, ipsa nempe Essentia superna, quæ descendit eamque pervadit; & ipse est spiritus qui occultatur in Sene dierum, ut supra scriptum est: hinc dicitur ignorari, & esse Senex. Scito autem, quamvis nomen Senis Sanctissimi comprehendat tria Capita; id tamen sic intelligendum; ut quod ipsam Essentiam etiam sit in tribus illis. Unde supra dictum fuit: Iste Senex reperitur in tribus; item; designatur in tribus. Quoad existentiam illorum autem Caput primum vocatur, Caput circa quod ignoratur quid sit in illo Capite; quare etiam sic in textu dicitur: *quid sit in isto Capite.* Suo nomine autem hoc vocatur Senex Sanctissimus occultissimus inter omnes occultos, &c. Essentia superna ergò pervadit & descendit usque ad Patrem, qui prodit è Sene Sanctissimo; quæ est illa potentia quæ occultatur in Sene dierum. Et hoc est illud, quod dicitur Job. 28, 12. *Et Sapientia è Non ente invenitur.* Quia per Non existentem intelligitur Senex. Et quamvis אַיִן Non existens sit Corona summa in superis

pernis: nihilominus tamen & Senex Sanctissimus vocatur אַיִן Non existens, quia ab illo dependet ille Non existens. Et hoc ipsum est quod traditur in Idra minore, in textu illo supra à nobis jam adducto: Et propterea Senex Sanctissimus vocatur אַיִן non existens; quia ab eo dependet hic non existens. Supra autem dicitur: *Tria capita excavantur; unum intra alterum; & unum supra alterum.* Caput autem secundum, quod vocatur אַיִן *Non existens*, non dependet à capite tertio, quod supra ipsum est: quia ibidem sunt adyta ipsius Essentiæ. Hinc ille vocatur Non existens; quia ab eo dependet hic, Non existens. Sensus autem istius excavationis est hic; quod ita præparata sint, ut inferius sit receptaculum superioris; ad instar maris & fœminæ; ut unum influentiam accipere possit ab altero. Adeoque illud quod est intra alterum eodem est supertius. Quasi nimirum unum esset Palatium alterius, ut hoc in illo occultari queat; sicut exempli gratia, Sapientia occultatur intra Intelligentiam; & hæc sese invicem cognoscunt: & unum est sublimius altero. Unum, inquam, est intra alterum, id est multò intimius proximo suo: Nam primò planè non cognoscitur: & alterum long excelsius est tertio, quod dicitur Cerebrum occultum; & nihil aliud est, quam conformatio Senis; illo sensu, quo in Sene tantum statuitur Dyas; ut dictum supra. Sed redeamus ad textum nostrum. Ibi rationem adducit, quod Sapientia hæc egrediatur è Sene Sanctissimo, è scriptura, quæ inquit: *Deus novit viam ejus.* id est viam ejus propriè loquendo. Ubi sensus est, quod Microprosopus intelligat viam Sapientiæ istius; id est, extensionem ejusdem, quà in ipsum extenditur in triginta duas semitas tantùm. *Sed Ille*, id est, Senex; novit verum ipsius locum, id est Ipsum Patrem & Matrem; quia ibi est locus ejus & initium manifestationis ejus. Et multò magis viam ejus. Id est, influentiam, quæ descendit hâc viâ. Et multò magis illam Sapientiam occultatam in Sene: id est: Cerebrum illud occultum, quod ipsi proximum est. Forte autem & sic exponi posset: ut via ejus sit extensio illa, qua ingreditur in Caput Microprosopi; Locus ejus, Pater & Mater, &c. adeoque & sic viam ejus novit Microprosopus. Vel etiam Locus ejus dici potest Cerebrum occultissimum: & via ejus, Caput illud, unde hæc omnia prodeunt in Locum sive Cerebrum occultissimum: & multò magis illam Sapientiam occultam in sene sanctissimo, id est, in Capite primo: quoniam potentia ejus ibidem reperitur in subtilitate & mysterio maximo. Et fortè huc pertinet, quod supra dictum est: quod principium hujus Sapientiæ sumnæ in illo occultatum sit: id est, quod fundamentum & radix ejus occultissimè lateat, in illo capite, ubi locum habet ipsa Essentia summa. Illa igitur ibidem existit, modo quodam valdè abstruso. Et huc etiam pertinet, quod jamab initio dictum fuit: Senex iste occultus est & absconditus. Id est: Caput illud quod ignoratur; & sapientia summa occultata in illo cranio; id est, in capite primo, reperitur, & non reperitur; quia sapientia ibidem reperitur modo quodam subtilissimo reperitur; quasi plane non reperiretur. Porrò dicit, quod in Sene isto nullum sit Nomen, sed solum caput; sine capillis & barba: quia hoc est caput omnium capitum: & ab illo pervenitur ad caput secundum, quod est Corona summa, etiam capillis carens. Et hoc est, quod supra dictum fuit: quod ab hoc dependeat vis Nihil. Nam omnes isti capilli, & omnes isti cincinni à cerebro occulto dependent: id est, ab hoc dependet aliquid.

quid, & ab illo dependet nihil; ne pilus quidem; quin omnes pili & cincinni non prodeunt nisi à cerebro occulto tantùm; non verò è loco quodam superiore.

§. 111. Et omnes isti pili & crines æqualiter dependent; ut unus non sit longior altero; nec etiam cervix superna appareat nuda; ne locus sit corticibus ubi applicentur: quia ibi merus amor, & unitas perfecta; nec ulla ibidem existit alteritas, quod abfit! quoniam omnes alteritates in Microprosopo sunt, sicut diximus, Senex autem benevolo suo Amore non mutatur in æternum. Ex his patet, quod principium Cerebri occulti, delitescat in Sene, quia radix ejus ibidem est. Et hoc est, quod dicitur: Et vocatur Cerebrum supernum, &c. quia radix ejus in loco summo est. Et hæc quoque ratio est, quare vocetur Sapientia summa occulta; & non Sapientia occulta simpliciter, ut aliàs dici hic solet.

§. 112. Et scito, quod hoc caput, quod quasi caput non est, ubi sunt adyta intensissimæ Essentiæ, ipsummet non comprehendat quid inibi in ipso sit: & hinc dicitur, *quod nescit; & nescitur, quid in hoc capite sit*: ut sensus sit, ipsummet se se ignorare, sicut homo non comprehendit essentiam Animæ suæ. Si autem dicas; quare ergò additur; & nascitur; cùm per se clarum sit, quod si ipsum se se non novit, multò minus ab aliis cognoscatur? Sensus autem hic est, quod etiam infra, ubi diminuitur Lumen, & descendit quasi per foramen acus & in tenuitate pilorum, non comprehendatur: & hoc est, quod dicitur: quod non applicetur sive sapientiæ, sive intelligentiæ; id est, gradibus istis ad quos Lux illa accidit per pilos capitis & barbæ ut supra dictum est: multo minus in supernis, ubi Lux tam copiosa est. Fundamentum autem istius explicationis, quod non adhæreat, sive applicetur, hoc est: quod Lux illa & Essentia descendens à tribus capitibus istis gradibus applicari nequeat citra vestimentum; sed primò vestiatur Capitibus istis & illis affulgeat per capillos; quod ita non fit in ipsis tribus Capitibus in quibus invenitur Senex. Et hæc est mens verborum istorum, quod senex inveniatur in tribus Capitibus. Quam ob causam autem hoc ita fit? Quia scilicet nihilominus non omnia hæc capita æqualia sunt. Nam in Capite primo est locus ipsius Essentiæ, & radix ejus. Et caput secundum descendit à facie illius, & non directè consistit ante Lucem ipsam: hic enim res se habet sicut in luce Solis, quæ, si quis directò eam contuetur, ob nimium fulgorem suum non potest tolerari; si autem quis longius ab ea abscedat, ut lumen ejus diminuatur, tunc eâdem frui potest. Ita & hic: quia distantia diminuit Lucem, quamvis nullum intercedat velum: Caput autem tertium est conformatio Senis, & quasi velum interpositum: & hinc vocatur Sapientia occultata, quæ non apertè prodit: & in illa est Membrana pellucida, quæ fulgorem emittit & eam claudit: & lux per istam ulterius diminuitur, præter illam distantiam & amotionem quæ in capite secundo contigerat. Et hoc vocatur Velum & Aulæum. Et quia Lux superna sic cohibetur, hinc isto loco allidit, & dissipatur in duodecim radios. Sicut enim Sol cùm splendet in speculum politum, quia transire non potest, de isto radios emittit in omnem partem, quamvis lux sit unica. Duodecim ergo radii illi & lux unica, quæ illos continet, efficiunt tredecim. Et hoc ipsum est, quod Idra dicit: quod hæc Sapientia occultata in eo dividatur in ter quaterna; quibus annumeratur ipse Senex, qui illa continet. Et ab his derivantur tre-

decim

decim conformationes barbæ, & deorsum extenduntur in Patrem & Matrem. Ipse autem est Essentia ipsa, quæ descendit per influentiam, à capillis ejus. Et hoc est, quod dicitur: Et dominatur iis, super omnibus. Et quia radii isti inferunt conceptum Lucis reflexæ, quæ est judicium: Lux autem ipsa est Amor merus; hinc se se habent ad instar maris & fœminæ; ad instar justitiæ & misericordiæ; ut supra scripsimus.

§. 113. Quod autem dicitur dispesci in ter quaterna, id sic intelligendum; quia sunt tres species Lucis. Primò enim extenditur Lux in caput primum, quæ intensissima est & clarissima. Deinde extenditur in Caput secundum, ubi non ita vibrans est sicut prima. Et postmodum extenditur in caput tertium; ubi lux adhuc fit diminutior, nec ita fulget ut secunda. Et tres istæ luminis species continentur in eo, una cum radice, quæ illas continet. Quod autem in qualibet specie contineantur quatuor, respectu quatuor literarum Tetragrammati, id ita se habet. Lux prima est radix Essentiæ; & Lux secunda est radix Vasorum: Nam in omni emanatione datur Essentia & Vasa; sive corpus & anima. In tertia autem tam Essentia quam vasa continentur; atque hinc conformatio senis in Capite hoc tertio locum habet. Et hanc ob causam etiam tribus extensionibus opus fuit. (hinc igitur exurgunt quatuor: respectus Lucis essentialis nudæ; respectus vasorum solorum; respectus Lucis in vasis; & respectus vasorum circa Lucem.) Istæ quatuor autem conformationes non inveniuntur in Microprosopo; quia superna illa, quæ respectum habent ad caput primum ab ipso occultantur; hinc etiam non nisi novem conformationes Barbæ habet. Inter duo autem capita summa primum est Causa omnibus causis superior; & alterum dicitur Causa causarum, sicut dicitur in Sohar, sectione Breschith. Et tria illa habeat analogiam psyches, spiritus & mentis; respectu Numerationum. Mens enim involvitur spiritui; & spiritus Psychæ; & per vestes istas affulget lux illa Numerationibus. Porro notes, quod & in primo capite jam sit radix Vasorum: Nam id quod in hoc capite est, est Essentia & Divinitas, extensa ad vivificanda inferiora: ipsum autem Caput est ad instar corporis, quo vestitur Divinitas illa: & hæc est radix Vasorum; quamvis ibi Autori Emanationis quam perfectissimè adhæret. In capite secundo autem mysterium radicis vasorum magis manifestatur, cum ibi non tantum radix occurrat, sed & radicis radix. Et hinc etiam Capiti secundo competit Nomen Causæ Causarum: & primo, nomen Causæ omnibus Causis superioris. Si igitur accuratè rem examines, in quolibet Capite inveniuntur quaterna: Ipsa scilicet Essentia, deinde Vasa; tertiò Essentia vasis comprehensa; & quartò Vasa cum Essentia conjuncta: quæ sunt duo, unde sunt quatuor, quia unum est in altero. Atque hæc est causa, quare Senex iste dividatur in ter quaterna. Cui simile quid occurrit in Sohar sectione Trumah, ubi agitur de Osculis Amoris. Et hoc est Nomen Tetragrammaton יהוה. Item si accuratè res inspiciatur, alia quoque datur ratio istorum quaternionum; quia scilicet necessariò in quolibet capite sunt quatuor Elementa superna, quippe quæ necessariò radicari oportet in supernis, quamvis conceptu omnium quantum fieri potest subtilissimo: Ignis nempe, Aër, Aqua & Terra: quoniam & in gubernatione quatuor hæc occurrant, sive ex benignitate agat, sive è judicio; sive è mixtura quadam ex his factis; quæ etiam sunt quatuor illa Elementa, & quatuor literæ Tetragrammati יהוה

quarum radix necessariò in supernis esse debet. Atque hinc dicitur, quod dividatur in ter quaterna.

§. 114. Postmodum autem Caput tertium naturam suam supernam occultat per Mebranam pellucidam, & lux descendit per capillos: sicut lux solaris, cum per foramina minuta transitin domum quandam. Et hæc domus est Pater. Quia in Patrem solum extenditur Essentia superna sine vestimento; quia continetur in Influentia & habetur pro ipso Sene: ut dictum supra. Sed Microprosopus per Patrem sit; quia in hanc ipsa essentia extenditur, atque involvitur: & per hunc fiunt tria illius cerebra, sicut dicemus. Hinc dicit textus Idræ: Hæc sapientia est principium omnium, quia per illam constituitur & emanat, quicquid infra ipsam est; quatenus nimirum ipsa Essentia in eam involvitur. Et hinc intelligitur, quid sit Principium hoc. *Et ab illa extenditur Cerebrum Microprosopi in triginta duas semitas.* Quia in ipsa per se nulla est extensio, donec descendat in Microprosopum, ut supra dictum est. Deinde etiam Microprosopo competunt semitæ angustæ, & non viæ latæ; quippe quæ adhuc obscuræ sunt, eò quod vicinæ sint Patri, qui prodit è Sene Sanctissimo. Et Lex in Sapientis hac comprehenditur sub conceptu viginti duarum literarum & decem dictorum: quæ deinde inferiùs in Microprosopo magis manifestantur: hîc autem continentur modo quodam magis occulto. Res a ita se habet; quod in generali conceptu istius Sapientiæ cõtinentur & Binah seu informatio, & mater intelligendi: Literæ autem ab Informatione ortum habent. Sunt igitur viginti duæ literæ in Informatione, quæ in Sapientia ista latet. Et decem dicta sive etiata, quibus eadem prægnans est seu Mater; & quæ deinde generat, per mysticum illud; & dixit Deus, ubi per אמרות intelligitur Informatio hæc. Et hæc sunt decem; novem Microprosopi & Regnum, quæ efficiunt decem: quoniam & Regnum, quod finis est, comprehenditur in hac Sapientia. Et hoc est, quod dicitur: In hac Sapientia Principium & finis reperiuntur: unde etiam dicitur, Sapientia superior; sapientia inferior; id est, Sapientia integra & perfecta. Cum Sapientia ista extenditur, manifestatur Informatio; quæ est Mater illa intelligendi, quæ in illâ fuerat comprehensa. Et ista tunc generat Sapientiam, Informationem & Cognitionem; qui sunt Patres in Microprosopo. Tunc Sapientia dicitur Pater Patrum. Scito enim, quamvis hi gradus sint cerebrum Microprosopi, & dicantur Sapientia, Informatio, & Cognitio istius; quod tamen respectu Patris & Matris sint חסד Benignitas, Severitas & Pulchritudo; (qui dicuntur Patres) ita ut illa revera sit Pater Patrum: ut pluribus infra dicemus. Et hoc ipsum est quod in Sohar alibi dicitur, sectione Mischpatim: Caput Regis conformatur per Benignitatem & Severitatem. Sed de his satis.

§. 115. *Hæc sapientia omnia comprehenduntur.* Sic sequitur in textu Idræ propositio. Jam etenim dictum est, quod Essentia summa in illa amiciatur, descendatque usque ad finem graduum. Hinc etiam dicitur: *Omnia in sapientia fecisti.* Patet igitur, quod sicut Sapientia superna, cerebrum nimirum occultatum, Lucem & Essentiam divinam includit, ne descendat, nisi per capillos; quod est initium conformandi senem, ut nempe occultetur, quo manifestari queat, quoniam occultatio ejus est ipsius manifestatio: ita & hæc Sapientia includat Lucem ne manifestetur nisi per ipsam vestita; atque ita ipsa est

est Causa manifestationis ejusque principium: & hanc ob causam etiam nomen Principii ipsi tribuitur. Unde quoque dicitur: Locus principii, qui reperitur à Sene; i. e. Locus ubi manifestatio incipit; qui invenitur & descendit à Sene, in quem ipsa Essentia extenditur. Et hoc fit per pilos Barbæ, quæ vocatur Influentia: nam per Influentiam descendit Essentia superna & istum irradiat: & hoc est, quod dicitur: illum illuminari ab Influentia; hoc est lumen Sapientiæ quod deinde extenditur in Microprosopo in triginta duos tractus. Vel etiam dici potest, hoc in ipso corpore Patris extendi in triginta duos tractus; nam & Albedo cranii extenditur in tredecim tractus, ut supra dictum est. Ex hinc autem in Microprosopo fiunt semitæ; & egrediuntur è cerebro occulto *è lumine, quod in ipso est*, i. e. è Luce & Essentia ipsa inibi existente. Et hæc est Benignitas superna: nam hæc Lux & Essentia quæ in Sapientia & Informatione est, extenditur (è summitate) in tria capita summa; & in fronte & barba prodit lux hæc & Essentia, ceu Benignitas: & hæc est Benignitas superna. Et hæc dum abinde prodit vocatur Aër tenuis, & absconditur in spiritum qui occultatur in Sene dierum; quippe qui veluti corpus & vasculum est illius Aëris tenuis. Et hoc est illud, quod dicitur in Idra minore: *Et ille Pater est spiritus, qui occultatur in Sene dierum, & in illo absconditur hic aër tenuis.* Hæc ibi. Quod autem dicitur: Senem hac Luce primum lucere; id ita se habet: quod eadem in tribus capitibus reperiatur; eo quod in istis ipsa divina Essentia appareat sine ullo medio interposito. Sed in hoc tantummodò lucet per viam capillorum: illud autem ante lucem istam fit.

Et est principium unde fit manifestatio. Quamvis enim ipsa sit occulta; attamen, quia ipsa est initium illorum quæ infra manifestantur; quoniam in Microprosopo manifestatur sapientia, & ipsa extenditur in triginta duas semitas; hinc eidem tribuitur Nomen Principii, quia est Initium Sapientiæ, quæ in Microprosopo manifestatur. Hinc dicitur: est principium istius quod manifestatur vel tunc quando manifestatur: & non dicitur: principium quod manifestatur. Quod ita se non habet in Sapientia occultata; quæ nullo modo manifestatur, ut supra diximus: *Et conformatur in tria capita; & caput unum eadem comprehendit.* Illa capita sunt Sapientia, Informatio, Cognitio: & Influentia illa sub se comprehendit. Scito enim, quod ex hac Influentia fiat Caput quoddam, quod sub se continet Sapientiam & Informationem. Et hoc est illud, quod alibi dicitur: *Veni vide! Principium, quod vocatur Pater, comprehenditur in* יוד *Jod, quod pendet in influentia sancta.* Hæc ibi. Ergò Jod pendet in Influentia, & in illa comprehenditur Pater, & hoc Jod, quod est Caput, illa comprehendit. Hinc patet, quod hoc caput fiat è Luce illa, quæ prodit è Membrana diaphana, quæ clara sit, & clausa est. Ex hoc est, quod dicitur Capite secundo Libri occultationis; *Jod supernum, quod circundatur effluvio Senis, & Membrana pellucida, quæ inclaresci & clausa est.* Hæc ibi. Fortè autem dici potest, quod Membrana hæc aërea seu pellucida tantummodo sit ad circũdandum Jod, ut isti communicet magnam copiam influxus, postquam illa jam emanarunt, ut augeatur influxus pro arbitrio Influentis. Alias autem certum est, quod fundamentum emanationis istius Capitis sit è pilis Influentiæ, quâ descendit ipsa Essentia. Et hæc fit in tria Capita, eodem modo ut Senex.

Et illa tria extenduntur in Microprosopum, prout supra jam exposuimus.

§. 116. Pergit autem. *Hæc Sapientia exsculpitur*, vel effiguratur; *& producit* &c. Supra autem jam diximus, quod phrasis גלוף sculpendi, denotet, quod ipsi paretur receptaculum, per modum maris & fœminæ; *& producit* Informationem, quæ est Mater. Hæc enim est fluvius, qui egreditur ex Eden ad irrigandum hortum. Scito enim, quod Microprosopus qui est Pulchritudo Jisraelis sit בן יה Filius Jah; emanetque è copula Sapientiæ & Informationis. Et post emanationem ejus faciunt ipsi cerebra illa, de quibus postea. Informatio autem duos habet conceptus; unum rotundum ad instar ם quadrati, quem habet, dum adhuc supra occultatur cum Sapientia: & alterum sub forma quadratæ ם Mem clausi, cùm infra relidet super liberis, ut illos lactet; sicut dicitur Sectione Trumah. Sic igitur exsculpitur Sapientia hæc, id est, Pater, producitque foras Matrem intelligendi, ut non sit ך ut Samech, sed ut ם finale, & liberos lactet. Et hanc vim hoc loco habet vocula producendi: & juxta hanc notionem de Informatione dicitur; quod egrediatur ex Eden. Et propterea hoc cerebrum prius est reliquis; quia impossibile est, ut ullum Cerebrum fieri queat, antequam Informatio foras egressa sit sub mystico sensu ם Mem finalis, ad lactandum filium; ut crescat cerebrum ejusdem. Cùm igitur hoc modo prodiit, ipsa *intrat in caput Microprosopi*: hic enim est filius ille, qui pulcher sit per suctionem lactis materni. Et sic sit cerebrum ejus. Et sicut à lacte quod sugit infans, totum istius corpus crescit: ita & hoc *dimanat per totum corpus ejus, potatque* omnes sex partes corporis. Scito enim cum Microprosopus hic adhuc est in utero Matris supernæ, quod tunc non nisi sex dies ipsi tribuantur, quæ sunt Benignitas, Severitas, Pulchritudo, Victoria, Gloria & Fundamentum: quæ denotantur per illud minutum quod latet in litera ה. Cùm autem foras prodit; eumque lactat mater ista, major fit. Et hoc ipsum est, quod alibi dicitur: Plantæ, quæ tenues fuerant ut cornua locustarum, & evulsæ & transplantatæ, deinde creverunt; ut habetur in sectione Breschith. חנוך igitur; id est, Benignitas, Severitas & Pulchritudo, factæ sunt ipsi in חבר i.e. in Sapientiam, Informationem & Cognitionem; quæ sunt tria ipsius cerebra. Et נצח ipsius, i.e. victoria ejus, Gloriique & Fundamentum factæ sunt חנוך Benignitas, Severitas & Pulchritudo. Atque sic fœmina prodibat à tergo ejus è regione Pulchritudinis, quia ibi est domus ejus. Ipse autem ulterius extendebatur in Victoriam, Gloriam, & Fundamentum, ex his gradibus ipsis: quia membra ejus cum ex solo constarent corpore nullum habebant fulcrum, in quo insistere possent: hinc illo loco ipsum attigit Samaël Princeps Esavi, cùm luctaretur cum Jacobo. Hinc igitur patet, quod Sapientia, Informatio & Cognitio, quæ in Microprosopo, respectu Patris & Matris sint Benignitas, Severitas & Pulchritudo, duo nempe brachia & corpus. Et Benignitas, Severitas & Pulchritudo Microprosopi sint Victoria, Gloria & Fundamentum in Patre & Matre; duo nempe crura & fœdus: & hæc sunt Sapientia, Informatio & Cognitio Fœminæ; quia isto loco hæc accepit Caput suum, sicut dicitur in Idra. Et Victoria, Gloria & Fundamentum Microprosopi sunt Benignitas, Severitas & Pulchritudo Fœminæ; sunt que mysterium Prophetarum & Hagiographorum: quia ex parte Microprosopi sunt Prophetæ, qui

sunt victoria & gloria: & ex parte Fœminæ sunt Hagiographa, Benignitas & Severitas: & ex utraque parte nullum habent nexum cum Lege superna (i.e. Pulchritudine Patris & Matris) & nihil habent cui innitantur.

Extensio ergò Victoriæ & Gloriæ Microprosopi facta est per Informationem, quæ extendebatur usque ad Gloriam, sicut dicitur in Tikkunim seu supplementis Soharisticis: Ab Informatione Prophetæ, Victoria & Gloria provenerunt, & à Regno Benignitas & Severitas, nempe Hagiographa. Nam ab Informatione crura facta sunt Microprosopo; & hinc è literis initialibus horum graduum נְצַח הוֹד יְסוֹד, constituitur nomen בְּלִילָה. Et è regno à parte postica Microprosopi provenerunt Hagiographa; ut Benignitas & Severitas. Quod autem Informatio extensa sit usque ad Gloriam sic intelligi potest: quoniam cum illa descendit à facie Sapientiæ & residet incubando super liberis sub mysterio ם quadrati, clausi, crura ejus pertingunt usque ad crura Microprosopi, & hæc influxum ab illis assugunt: atque tunc dicitur תבונה, quasi בן ובת, filius & filia: יה Tetragrammati; prout id traditur in Idra minore.

Quare autem his dat plantarum nomen, dicitque, quod potet omnes has plantas, cùm tamen nullum ipse det influxum, quia ab ipsa matre totum cerebrum primum formatur. Nam cerebrum secundum derivatur à Sapientia in Informationem, & ab hinc in Microprosopum? Nimirum propterea dicit illum porrò defluere. Quod etiam factum est per exsculpturam, ut sapientia exsculptionem institueret ad instar Maris & fœminæ; ubi Informatio hoc cerebrum alterum accipiebat, & transferebat in Microprosopum. Hinc iterum incipit & dicit: *quod Cerebrum alterum sit illud lumen à quo demanant* &c. Quamvis enim duo illa cerebra in ipsum veniant ab Informatione; tamen inter se non sunt æqualia: nam primum est ab Informatione ipsa, sub mysterio lactis ejus enatum: alterum autem ab ipsa Sapientia venit, à qua emanarat in Informationem, & ab hac in Ipsum. Et cùm duo illa Cerebra derivarentur ut intrarent in caput Microprosopi, illa etiam exsculpturam instituebant ad instar Maris & fœminæ, & copulabantur per Cognitionem supernam; quæ erat loco membri sancti inferioris, quod est fundamentum; & intrabat in profundum putei; quod infra dicitur Punctum Zijon in matrice fœminæ; cujus respectu in supernis hoc dicitur Caput Profunditatis putei; quia hic ingressus est in profunda putei superni. Et hæc est apertio omnis matricis; sicut dicitur in Sectione Breschith. Et hic est sensus, phraseos sindendi; quod Cognitio perfiderit, ut findaret matricem: sicut scriptura dicit: per Cognitionem ejus abyssi perfissæ sunt. Cùm igitur copularentur & jungerentur invicè, fiebat cerebrum tertium, quod ambo priora includit; quod est Cognitio. Et hoc cerebrum tertium factum est per mysterium copulæ, ut produceretur Anima pro sex partibus corporis, ad modum copulæ supernæ, quæ instituitur ad producendum animas. Et hinc dicit: *Intro abit intra corpus & implet concavia & exedras*; sicut anima adimplet totum corpus, & inest in conclavibus concavium.

§. 117. Et si accuratè perpendantur ista, reperimus, quod Cognitio, sit Pulchritudo; & Pulchritudo sit fundamentum. Item quod Sapientia sit Benignitas; & Benignitas sit victoria. Item quod Informatio sit Severitas, & Severitas sit Gloria. Imò si

adhuc altius ascendatur, deprehenditur: quod tria capita sint Corona, Sapientia & Informatio; & Pater, Mater & Influentia, sint Benignitas, Severitas & Pulchritudo: & tria Cerebra quæ in Microprosopo sint Victoria, Gloria & Fundamentum; ubi porro sequitur Regnum; sub mysterio nodi phylacteriorum sub forma ד Daleth. Quin imò si adhuc altius emergat intellectus noster, inveniemus, quod in Capite primo occultò deliteſcant Corona, Sapientia & Informatio: & in capite secundo; Benignitas, Severitas & Pulchritudo; & in capite tertio, Victoria, Gloria & Fundamentum: item Regnum. Et ulteriùs assurgendo inveniemus, quod in capite primo deliteſcat tota Emanatio, utque ad Fundamentum. Et in capite secundo, Regnum sub mysterio Coronæ regni: & in capite tertio, ejus conformationes ad manifestationem per occultationem emanationis. Alius etiam modus superest per figuram Circumdantium. Ut caput summum circumdetur per Coronam; & Corona per Sapientiam; & Sapientia per Informationem: eodemque modo Pater & mater circumdabuntur à Microprosopo & Microprosopus à uxore sua; quæ est theca ejus. Quamvis alii adhuc modi sint quam plurimi, quos omnes enarrare supersedebimus.

§. 118. Summa horum omnium huc redit: Quod sub initium emanationis Microprosopus à Patre prodierit, & immixtus fuerit Matri sub mysterio literæ ה, resolutæ in ד, id est, Daleth & Vav; per quod Vav denotatur Microprosopus; quia tantum valet sex partes, quæ sequuntur Sapientiam & Informationem in ordine Numerationum. Et juxta hunc conceptum Pater vocatur Pater, Patrum; quia ab illo prodeunt Patres; id est, Benignitas, Severitas & Pulchritudo. Atque tunc similis erat Microprosopus literæ Vav, quæ inest literæ He; quia illa nullum habet caput. Cùm autem natus esset filius iste pulcher, constituta ipsi sunt tria Cerebra per fluvium supernum; sicut scriptum est Psal. 110. v. 7. *De flumine in via bibet, propterea exaltabit caput.* Hinc eidem tribuitur litera Vav è Nomine Tetragrammato, quæ habet Caput. Fœmina autem superna accepit filium hunc eumque lactavit, juxta illud: מבין שמיכ מתבוננ Parat cœlum per intelligentiam. Quoniam Ipsa eidem format omnia tria cerebra, & per eam hæc in ipsum veniunt. Sed Cerebrum illud, quo extenditur in quinquaginta portas, per illam, & ab illa ipsa intrat in Caput Microprosopi, sub mysterio lactis materni; & hoc quidem per Patrem; qui Informationem foràs producit sub mysterium ם clausi, ut lactare queat filium suum; ubi plantæ, quæ tenues erant ut cornua locustarum incrementum accipiunt. Atque hinc dicitur; quod Ipsa egrediatur ex Eden: quia illa adhæret sapientiæ, & egredietur ad lactandum filium. Quoniam primitus usque ad tempus partus hujus, sibi invicem adhærebant de facie ad faciem: sicut dicitur 1. Reg. 7. v. 36. *secundum nuditatem vir & junctura ejus non separabitur.* Eodem nempe modo ut prodibat Adam protoplastes; modo quod hi ut gemelli faciem faciei jungant. Postquam autem conformatus esset Senex, ut illa lactare posset filium suum, necesse erat, ut conformarentur in figuram maris & fœminæ, ita ut in uno esset extantia, & in altero profunditas: tunc ipsa exibat propter filium suum. Atque hinc intelligi poterunt, verba illa; *Sapientia hæc excæsulpsuit.* Scito autem, quod Conformationes Informationis, Matris nempe supernæ omnes

omnes ingressæ sint in corpus Microprosopi, ut essent loco Animæ ejus. Et hic est sensus verborum illorum: *Et hinc pergit & promanat per totum corpus.* Atque hæc est ratio, quare illæ tam occultæ sint: & huc pertinet dictum illud, *Parat cœlum per intelligentiam.* Et hinc מבינה Informatio etiam vocatur per metathesin מן יה filius Jah; ut nomen ipsius sit sicut nomen filii ejus; quia sex partes corporis illius, sunt anima sex partium corporis filii. Unde Jacob thronus & vehiculum est sex partium externarum; Moses autem internarum; ita ut hic ab intra, & ille ab extra consistant: sicut dicitur in Sohar sectione Balak; & in Tikkunim. Atque hinc intelligi potest, quare dicatur, quod Moses dignus fuerit accipere Informationem: sicut dicitur in Raia mehimna; quia applicitus fuit ad sex partes internas, quæ ab Informatione sunt; ut modò diximus. Extensa autem est usque ad Gloriam, quod denotatur per mysterium de quinquaginta Portis Informationis. Atque hinc etiam dictum est, Arborem vitæ requirere iter quinquaginta annorum. Fundamentum enim pars masculina est, quale in Informatione non datur, quippe quæ est fœmina; quapropter etiam illuc usque non est extensa; sed tantum usque ad Gloriam. Gloria autem tribuitur Mosi sicut traditur in Tikkunim, & in Raia mehimna. Nihilominus tamen punctum Zijon supernum, quod in Informatione est, in ipso quoque existit; quamvis non cognoscatur. Unde patet quod in Ipso sit potentia Fœmininitatis occulta, & potentia masculinitatis manifesta. Et ob hunc concipiendi modum Fundamentum multis in locis vocatur Zijon. Et duo concepti isti sunt Joseph & Benjamin: hic tanquam Aquæ fœmininæ; & ipse est scaturigo putei perennis; & ille tanquam Aquæ masculinæ, sub mystico sensu Josephi justi. Hic Josephus est supra; & ille infra: intrat; & exit: intrat ad inferendum aquas masculinas; & exit ad educendas aquas fœmininas erga masculinas: & hoc semper fit, quandocunque est copula. Et hoc ipsum est, quod dicitur sectione Vajcze: Omnì tempore Justus mundi inferioris exit & intrat, &c. Scito enim, quod impossibile sit aquas fœmininas educi nisi per Animas Justorum; istæ autem veniunt ab Illa, ab Informatione. Et hæc omnia probè notanda sunt.

§. 119. Patet igitur, quod exitus Informationis, dum foràs prodit, fiat per conformationes ejus; de quib. dicitur in Cantico canticorum. Et illæ intrant in Microprosopi, & faciunt in eo Cerebrum: & exinde extenduntur per totum corpus ejus. Sapientia autem ipsa per se conformatur & producit pro eo cerebrum secundum; per Informationem. Et cerebrum hoc non extenditur per totum Corpus ob nimiam suam apocrypsim: & propterea vocatur filius Ribkæ, & non filius Jizchæ; sicut dicitur in Idra minore: quia fundamentum ejus est ab Informatione; & hæc est Vita Regis. Hinc Cerebrum ejus antecedebat cerebrum alterum, à Sapientia suppeditatum.

§. 120. Et scito: quoniam Microprosopus jam habebat Benignitatem, Severitatem & Pulchritudinem, è quibus fiebant Sapientia, Informatio & Cognitio: Hinc etiam in Cerebro primo sicut Idra tradit; fiebat cerebrum aliud; nimirum hoc erat Severitas, & inde fiebat Informatio; hinc cerebrum fiebat aliter, quam erat.

§. 121. Et cerebrum secundum à Sapientia proveniens, non amicitur in Informatione

matione; sed derivatur è Sapientia, & per Informationem saltem transit & intrat in caput Microprosopi. Et hoc est, quod dicit: *Illud alterum est lumen illud, quod ab ipso tantum derivatur:* sicut diximus. Et à cerebro hoc derivantur triginta duæ semitæ, per lumen quod accedit per viam pilorum Capitis superni in hoc cerebrum, ut supra dictum est.

§. 122. Patet ergò quòd extensio Cerebri Informationis sit ab Ipsâ: Cerebrum autem quod à Sapientia est, non extenditur in triginta duas semitas, nisi per capillos supernos.

§. 123. Et hæc duo Cerebra dum prodeunt ut intrent in Microprosopum, antequam illuc ingrediantur, uniuntur per mysterium copulæ. Quoniam productio duorum istorum cerebrorum est conformatio secunda: quæ in eo consistit, quod habeant formam hominis, & consistent capite & corpore, brachiis, cruribus, & fœdere sancto. Et hoc intelligitur per vocem, exsculpendi: qua denotatur fabricatio receptaculi; ut subinnuatur corpus & anima, ubi corpus: est receptaculum animæ. Et unumquodque effomabatur secundum naturam suam. Et Informatio quidem totam conformationem suam introducebat in Microprosopum; sed non pariter etiam sapientia; quippe cujus lumen tantùm veniebat usque ad cerebrum, quia occultius est, quàm comprehendi queat.

§. 124. Et scito, quod cerebrum in Microprosopum proveniens ab Informatione, etiam distribuebatur in fœmininitatem; & hinc vocatur תבונה Intelligentia, juxta illud, quod sit בן ובת filius & filia, יה, Vav & He Tetragrammati; sicut dicitur in Idra minore. Atq; hinc textus Idræ dicit, lumen aliquod promanasse ad triganduna נתאה hortum, id est, fœminina Microprosopi: & hic est hortus ille, de quo supra dictum est; quod è parte Matris prodeat filia. Et quia genere fœminino dicitur נתאה, hinc non videtur subintelligi posse Vav: Unde & in Idra dicitur ad irrigandum ה hortum, & hoc est Vav.

§. 125. Cerebrum autem, quod à Sapientia prodit non aliam habet extensionem, quam usque ad Cerebrum; & extensio ejus sit per crines capitis superni, quia per istos extenditur in triginta duas semitas. Et hoc est quod dicitur: lumen transire à capillis supernis per capillos inferiores in Cerebrum Microprosopi; velut verba Idræ magnæ sonant: *& lucet & manat in illo crine in crines Microprosopi & exhibet conformatur Cerebrum; & deinde cerebrum hoc promanat in triginta duas semitas.* Hæc ibi. Et hæc indicant magnam luminis diminutionem ob nimiam occultationem.

§. 126. Et duæ promanationes istæ sunt conformatio Sapientiæ & Informationi, ut quælibet acciperet formam hominis sicut dictum est. Atque tunc copulabantur per mysterium Cognitionis supernæ, quæ vocatur Caput profunditatis putei. Quia profunditas putei est Informatio.

§. 126. De his ita legimus in Sohar, Sectione Vajechi: *Hinc homo tenetur instruere laudem Domini hoc modo ab imo ascendendo sursum: ut elevetur honor Domini sursum in locum aquationis profunditatis putei, quæ emanando prodit. Deinde manat ut derivetur deorsum*

sum ab illa aquatione vivi per omnes gradus, usque ad infimum. &c. Hæc ibi. Ubi sensus est: Quod nec cæsarium sit ut homo in precibus suis elevet laudem Domini usque ad locum ubi effluit profundus puteus, qui emanat & prodit in Microprosopum: & hoc per intellectum supernum, qui intrat in profundum Informationis; & hoc est punctum Zijon supernum, quod in Informatione est: & hæc semita est apex infimus literæ Jod. Jod enim habet tres apices: primus vocatur Caput; alter vocatur Corpus; & tertius tenuissimus & infimus vocatur semita; de qua dicitur in Sohar Sectione Balak: & semita hæc intelligitur in dicto illo mystico *& semita tua in aquis multis.* Hæc est copula Sapientiæ & Informationis, de qua dicitur in Sectione Breschith. Estque cognitio superna, quæ intrat in punctum Zijon. Et punctum Zijon quod in ipsa, vocatur semita, quam non novit Avis. Et hæc semita vel callis, qui illuc ingreditur, vocatur Cognitio: & hæc est apertio omnis matricis. Et hoc est quod dicitur in Sectione Breschith in Præfatione; *Apertio omnis matricis est in illa semita tenui, quæ descendit è littera י Jod: quæ aperit matricem ut fiat fructificatio debita: & est* קודש *Sanctitas superna.* &c. Hæc ibi. Vocatur autem Sanctitas superna, quia infra eidem opponitur Fundamentum quod vocatur קדש, Sanctitas; cum dicitur Sabbathum Sanctitatis: modò quod hæc est Sanctitas superna.

§. 127. Porrò scias, quod sicut in fœdere Sanctitatis inferioris sunt duo conceptus, masculinus & fœmininus, sub mysterio Josephi & Benjamin: sic etiam in semita superna est conceptus superus, & vocatur callis vel semita aquarum masculinarum: & conceptus inferus: sub mysterio aquarum fœmininarum: & vocatur Semita, quam non vidit Avis; & vocatur profunditas putei; & hæc non separatur à puteo in æternum; sicut scaturigo fontis ab eo non separatur in æternum: Sicut dicitur in Sectione Toledoth Jizchak. Et de hac etiam sermo est in Sectione Achare moth, & in Sectione Breschith: Semita illa nec cognoscitur Supra, nec infra: sicut dicitur: Semitam non cognovit Avis. Id est non cognoscitur supra, sub notione Aquarum masculinarum; nec infra sub notione secunda, quam habet ab Informatione sub mysterio Aquarum fœmininarum: quia occulta est & profunda, ut inveniri nequeat. Et hinc vocatur profunditas putei; de qua scriptum est: *& semitatua Aqua multæ; & vestigia tua non cognoscebantur.* Quorum ambo conceptus nec supra cognoscuntur nec infra.

§. 128. Porro etiam Aquæ fœmininæ, notionis hujus inferioris, ubi hæc semita est, quæ in Informatione extat, veniunt per scaturiginem fontis: Et sicut Regno tributur nomen Benedicti, sub mysterio fluentorum fontis; ita Informationi sub mysterio semitæ hujus in ipsa existentis: & hæc est differentia, inter ברוך seu benedictus precum; & exterarum benedictionum: quia hoc pertinet ad Informationem & conceptum Semitæ istius: illud autem ad Regnum & mysterium fundamenti ejus: Sicut dicitur in Raia mehimna. Sed ratione ipsius mundi venturi tantum non dicitur ברוך benedictus; sed ברכתה benedictio. Sicut dicitur in Sectione Trumah; & in Sectione Vœthchanan: & scito quoque, quod Informatio vocetur *Profunditas fluvii* in fine Sectionis Vajikra: & *Profunditat superna:* Sectione Vajechi, & Sectione Beschallach.

Item *Profunditas omnium.* Sectione Vajechi, & Sectione Æmor; & Sectione Vezthchannan, & *Profunditissimus omnium* Sectione Vajechi; & Sectione Beschallach; & Sectione Zav; & Sectione Æmor: & Sectione Behaalothecha: & Sectione Chukkoth: & Sectione Vezthchannan. Et hæc omnia sub mysterio semitæ quam in se habet, cum potentia masculinitatis & cum potentia fœminimitatis. Nam potentia Masculinitatis quam in se habet vocatur *Profundus supernus:* Sicut dicitur Sectione Beschallach. R. Chiskijahu inquit: *Cum Senex occultissimus omnium occultorum benedictiones supernas præparat, omnia effundit & omnia comprehendit in hoc Profundo superno; & abhæc haurit & in se easdem trahit Fons ille, è quo rivi & fluenta effluunt, & rigationes fiunt.* Hæc ibi. Ecce Fons ille unde rivi & fluenta effluunt, est Informatio, quæ hauritur & attrahit è *profundo superne*, i. e. ab illa semita tenui, quæ in eam descendit. Et in Sectione Vajechi: *In precatione sua homo attentionem suam applicare debet in supernis ad profundum supernum è quo emanant omnes benedictiones & omnis vita abunde provenit, ut sustententur omnia*, &c. Ubi sensus est; meditationem debitè sub precibus instituendam super profundo hoc superno, quod est punctum Zijon; ubi occultatur fœdus Sanctum rupernum. Et ab hinc derivari duas influentiæ species, per copulam supernam; nimirum influxum benedictionum & influxum sustentationis. De illo dicitur, quod hinc descendant omnes benedictiones & influxus & vita; unde subsistant omnia entia; juxta illud: *& Tu vivificas omnia:* quoniam & Angeli si ab illis cessaret influxus supernus, nec unico quidem momento subsistere possent: sicut dicitur Sectione Vajikra. Et de altera influxus specie dicitur: quod hinc prodeat vis unde sustententur omnia. Et ambo hi influxus fiunt per copulam supernam; ita ut si unus ex ipsis deficiat, veluti Influxus benedictionum, copula non vocetur perfecta. Atque hinc dicitur Sectione Achare moth: *Hoc lumen eradiat de latere suo, illa hora cum sese copulat cum ipsa Copula perfecta. Hoc tempus copula sit in illa semita quæ non cognoscitur nec supra nec infra.* &c. (Prolixam digressionem ulteriorem hic omitto.)

§. 129. Summa omnium huc redit: quod homo in precibus suis mentem suam applicare debeat, ad Radicem radicum, ut in sese derivet influxum & Benedictionem è profundo fontis. Et hæc est semita illa, quæ in puncto Informationis invenitur: Ut hac ratione derivet benedictiones è scaturigine omnium, quæ est Cognitio superna, semita masculina. Quoniam dum excitatur semita, quæ in Informetione, per precationem Justi, sub mysterio aquarum fœmininarum, etiam exsuscitatur semita superna, quæ est scaturigo omnium, ad profundendas aquas masculinas, & emittendas benedictiones ergà aquas fœmininas, quæ elevatæ sunt è semita inferiore, quæ in Binah seu Matre Intelligendi. Et hoc fit per viam fundamenti cum regno, ut notum est. Et hic locus est Sapientia, quæ vocatur Eden; interdum autem vocatur, Profunditas puteï: interdum etiam scaturigo omnium. Est que locus è quo exit ille fluvius, qui est Binah seu mater. Ipse autem locus, nempe Sapientia, vocatur Eden. Et hic Eden duos habet concipiendi modos; unum masculinum; quatenus ab ipso egreditur ille fluvius; quia Eden est masculini generis: & Binah seu intelligentiæ largitio est, Aqua ab ipso emanans,

nans, quæ sese habent ut causa & causatum, ut influens & influxum accipiens. Et deinde quoque fœmininum, qui in Informatione hac invenitur, ab ipso descendens, & semper penes ipsum existit, nec ullibi extra eam existere potest: & est Anima Matris, adeoque unum sunt. Sic autem ab illo advenit; sicut fundamentum est in fundamento Regni; cum diciter quod Justus sit Psyche Regni. Et respectu duorum istorum conceptuum, tria allegantur in Idra, loca scripturæ: Nam intuitu conceptus masculini dictum est: *Et fluvius egreditur ex Eden.* Intuitu conceptus fœminini autem scriptum est: Is. 46. v. 5. *Fluminis rivi ejus lætificabunt civitatem Dei:* quæ sunt aquæ fœmininæ, quas appellat rivos, quia dividuntur ab aquis supernis; sicut scriptum est: *& sit dispungens inter aquas & aquas.* Ab his autem Aquis fœmininis derivantur Aquæ fœmininæ in Regnum, quæ est *urbs Dei.* Et hinc etiam vocatur profunditas putei, quia ab illa Aquæ fœmininæ promanant in fontem inferiorem. Et locus hic vocatur *Profunda*; Psal. 130. v. 1. Id est, duo profunda; profunditas fontis, & profunditas omnium: ita ut profunditas fontis sit conceptus fœmininus; & profunditas omnium, masculinus.

Et scito quod Cognitio superna, quæ correspondet fundamento inferiori sit finis extremus in supernis, sive terminus corporis superni, & ab ea emanat Binah s. informatio.

FINIS

Commentarii Lorjensis in Librum Occultationis.

Commentarius generalis methodicus in tres istos Libros:

Librum Occultationis; & Synodos tam majorem, quam minorem,

è Libro Emek Hammelech.

§. 130.

MUndus prior dici potest Mundus Psyches; qui destructus fuit cum animabus quæ in eo fuerant, quia in illis prævaluerat malum. Mundus alter dici potest mundus spiritus in quo dimidia pars boni & dimidia mali est: qui tunc restituitur, cum è malo fit bonum, donec omnia sint bona. Atque tunc sequetur mundus novus, Mundus mentis, in quo bona omnia, & Sabbathum atque quies.

§. 131. Idem hic mundus alter dicitur mundus Bilancis; est que mundus restitutionis &

nis & conformationis. Quia sicut in Bilance duæ sunt Lances ex utraque parte, & in medio lingula examinis; sic etiam Numerationes in hoc mundo restitutionis in singulis Personis conformantur: Nam Sapientia est à dextris, in latere Benignitatis: Informatio est à sinistris in latere Severitatis; & Corona est Lingula in medio supra illas consistens. Sic etiam Benignitas est ex una & Severitas ex altera parte, & Pulchritudo sub istis. Porrò quoque victoria ab una, & Gloria ab altera parte, & fundamentum sub ipsis. Et ista bilanx invenitur in omnibus Personis.

§. 132. Et sicut mundus iste restitutionis institutus est per modum bilancis; ita etiam conformatus est per modum formæ humanæ, integræ. Nam Corona est Caput: Sapientia & Mater intelligendi sunt duo humeri: Benignitas & Severitas sunt duo brachia. Pulchritudo est corpus una cum corde & intestinis usque ad locum femorum. Victoria & Gloria sunt crura, extra corpus protensa; & Fundamentum est membrum fœderis Sancti. Basilia autem & ipsa est persona integra, sed à tergo constituta, cum qua deinde instituitur copula: modò quod membra ejus sint minora, quam masculi, & ambo simul vocantur Homo: Gen. 5. v. 2. Et hoc est mysterium Bilancis, de quo in Libro occultationis.

§. 133. Et hoc est mysterium illud, de quo dicitur in Idra magna Col. 256. כין ודסליק לארת שבא בדת: *Cum ascendit* (in animum Emanatoris) *ordinatè dispons* (& repræsentari) *in eo*, id est, in Mundo Inanitatis: לא קאים ולא הוה יכיל למיקם מאי טעמא משום דאדם לא אתתקן: *Non subsistit; & non potuit consistere; quam ob causam? quia Homo non conformatus erat*; unde omnia in vacuum & inane reducere necesse erat מאי טעמא דתקינת דאדם בריקניתא כליל כלא ויכיל כלא לאתשבא בידה: *Qua ratio? Quia conformatio Hominis omnia in se continet: & in ea omnia dispons possunt.* וכין דתקנא דא דאדם לא אשת כח לא יכלו למיקם: *Et quia forma hæc Hominis non inveniebatur; non poterant* (repræsentationes illæ) *subsistere, nec compons, sed abolita sunt.* Bilanx igitur est forma maris & fœminæ. Id autem non erat in mundo priore: sed Numerationes infra se invicem consistebant, & fœmina sub illis ad instar puncti, sua sorte contenti; & cum socio non uniti: quod propterea etiam dividi nequit in partes vel lineas: sicut Mathematici dicunt: quamvis omnia puncta, quæ in mundo sunt, simul congregentur, hinc tamen nullam constitutum iri lineam. Fundamentum autem in hoc consistit, quod in mundo priore omnes Numerationes ad instar punctorum essent rotundæ & Sphæricæ & licet earum consisterent in circulo, & non secundùm longitudinem, ad instar formæ & staturæ humanæ: unde nullus inter ipsas erat amor & fraternitas, unde oriri potuisset desiderium subsistendi. Sed in mundo Restitutionis literæ è forma rotunda reductæ sunt in formam personæ: & hæc est bilanx, i. e. mas & fœmina.

§. 134. Sic-

§. 134. Sicut triticum seminatur nudum & resurgit multis cum vestibus & involucris: ita & Numerationes mundi prioris moriebantur & sepeliebantur nudæ, i. e. removebantur ab oculis: sed deinde redibant multis cum vestimentis sibi invicem subordinatis: ut Lux transgrederetur per varias cutes personarum & indumenta, & mitigatior esset, ut mundus eandem sufferre posset. Atque sic Deus ipse Infinitus quasi post parietem adstat: quæ sunt vestimenta ista, tanquam parietes, vela & aulæa, ne influxus nimio impetu allabatur.

§. 135. Sapientes nostri dixerunt: Deus sanctissimus, & benedictus construxit mundos, eosque iterum destruxit. Hæ sunt sex illæ Numerationes, sex mundi: & Regnum seu numeratio ista, quæ annihilata est. Unde etiam dixerunt Sapientes nostri: Sex mille annis est mundus. Quasi cuilibet ex illis sex Numerationibus partium corporis ad restitutionem suam necessariis essent mille anni: qui alias saltem dicuntur esse dies; quia Dies Dei sanctissimi & benedicti sunt mille anni. Uno millennio autem erit devastatus; quo innuitur Basilia (sive regnum,) quæ est mundus septimus, qui devastatus & annihilatus, ut nihil penitus regnaret. Et hinc millennio septimo mundus erit devastatus; nec ullatenus habitatus. Sed millennio octavo Deus renovabit mundum.

§. 136. Quia summus ille Emanationis autor videbat Vasa illa propterea confracta esse, quod Lucem illam nimiam sufferre non potuerint, ob nimiam illius propinquitatem: adorsus est intensam illam lucem mitigare, mundosque modo quodam alio instituere, ut facultas ipsis esset magnam illam Lucem supportandi, eâque fruendi: adeoque lucem istam ulteriùs extendere, eademque magis à sese amovere incepit, mediantibus velis & vestibus quàm plurimis personarum, ita ut Lux Infiniti tantùm adinstar fili influeret & personas illas vivificaret, & porrò descenderet per cranium & menyngem & cerebrum & oculos atque ex Capitis Senis dierum: ubi subtilia ubique tantùm essent foramina, & lumen non tanto cum robore eradiaret, ut damnum exinde mundis emergeret. Jam igitur eandem distribuit per quinque Personas: ratione quarum Moses Legem distribuit in quinque libros; & R. Schimeon Jochaides Librum Occultationis in quinque capitula. Et illæ sunt Macroprosopus; Pater; Mater; Microprosopus & Uxor ejus.

§. 137. Lux interna septem vasorum confractorum sursum ascendebat intra Matrem: hæc autem eandem remittebat ad sapientiam: atque hinc ipsa ulteriùs annitebatur ad Coronam. Hæc autem occultabatur & eam non suscipiebat. Hinc retrogressa in sapientiam redibat, quæ cùm eandem sustinere nequiret, aliquantulum diffindebatur & ex hac fissura non tantum egrediebantur omnia illa Lumina supradicta, sed & aliquid à Luce ipsius interna, quæ dicuntur נעבדות חכמה Decidua Sapientiæ, è quibus deinde siebat Persona Microprosopi. Deinde septem illa Lumina vasorum fractorum intrabant in Matrem intelligendi; & cùm nec ipsa eadem sustinere posset, hinc & ipsa findebatur, & quidem fissura aliquantum longiore: atque hoc modo præter lumina illa septem & exipsa aliquid Lucis suæ internæ prodibat, quod dicitur: נעבדות בינה Decidua Informationis; è quibus formabatur uxor Microprosopica. E luminibus autem

supradictis septem vasorum Deus Infinitus septem Coronas tollebat easque immittebat Coronæ, quæ est in Corona, ut exinde fieret persona integra Coronæ: & persona hæc dicitur: רישא דלא אתידע caput, quod non cognoscitur.

§. 138. Eôdemque modô septem Sapientias illorum immittebat in Sapientiam fissam, & inde fiebat persona integra, quæ vocatur: רישא דאין Caput nonentis.

§. 139. Septem autem Informationes ipsa retinebat Informatio: & inde fiebat persona integra decem Numerationum, quæ vocatur רישא דאריך אנפין Caput Macroprosopi.

§. 140. Quamvis Corona Sapientia, & Intellectus informans Coronæ vocarentur Corona una, quia Macroprosopus illas continebat: de quo dicitur: Ante unum i.e. ante Macroprosopum, quid numerabis: quia supra illum mundi vocantur עולמות מוך אין mundi infiniti; quia literæ illorum replentur & augentur in infinitum, ob magnam vicinitatem suam, quam cum autore emanationis habent: unde etiam Deus infinitus aulæum atque velum expandebat inter Adamum primum occultum, & inter Adamum primum simpliciter ita dictum. Attamen Lux adhuc erat nimia; hinc Coronam, Sapientiam & Informationem, quæ in Corona; è potentia educebat in actum, id est, è forma puncti in decadem Numerationum sub figura Personæ: ut inde fierent tria illa capita, quæ vocantur עתיקא קדישא Senex Sanctus.

§. 141. Et quia septem illæ Coronæ singulæ constabant è decade; hinc septem illi gradus in Capite, quod ignoratur in Libro Sohar vocantur שבעין רזוהי מוחא septuaginta canales cerebri. Septem autem ista Lumina interna Vasorum confractorum propterea sursum ascendebant, ut omnia in supernis suam haberent radicem. Et hinc est quod dicitur: Cerebra quotidie descendere per meditationem in precibus fictam, & reliqua opera bona; & hinc existere radicem omnium animarum. Quoniam nihil posset moveri, nisi haberet radicem & nexum in supernis.

§. 142. E septenario illo Luminum ortum habent omnes Heptades cæteræ; ut sunt: Septem Palatia Mundi Creativi, Formativi, & Factivi; item in Microprosopo. & porrò infrà, septem Numerationes inferiores, quæ in his Personis semper manent: quia tres superiores ipsis non semper manent. Sic etiam in mundo Factivo septem firmamenta; septem Planetæ; septem dies septimanæ; septem anni heptaëteridis; septem heptaëteredes Jubilæi; septem terræ; septem climata. Et septem illæ Coronæ in septuagenarium ascendentes in Coronam veniebant virtute Tetragrammati, septuaginta binarii.

Et sic septem Sapientiæ in Sapientiam veniebant, virtute Tetragrammati quadraginta quinarii.

Et septem Intelligentiæ in Matrem intelligendi virtute Tetragrammati quinquaginta binarii.

§. 143. In Personam igitur Coronæ ita distribuebatur Tetragrammaton septuagista binarium, ut ipsi daret formam Personæ & Bilancis;

Corona summa
primum Nominis עב
Intelligentia informans. plenitudinis יוד
Sapientia plenitudinis יוד
Severitas plenitudinis הי
Benignitas primum, plenitudinis הי
Pulchritudo primum plenitudinis ויו
Gloria, ultimum plenitudinis הי
Victoria plenitudinis ויו
Fundamentum primum plenitudinis הי
Basilia sive Regnum. ultimum plenitudinis הי

§. 144. Lux autem interna hæc omnium septem Numerationum supradictarum, quæ confractæ fuerant, constabat è septuaginta myriadibus literarum. Cumque alterâ vice factâ scilicet fissurâ è Matre descenderent, quadraginta novem myriades literarum exilla exibant: & una & viginti myriades Divinô nutu in Coronam ascendebant, ut inde fierent tres Personæ trium Capitum, id est, Corona Coronæ, Sapientia Coronæ, & Intelligentia informans Coronæ. Et illæ literæ in Coronam ascendebant per Sapientiam. Unde patet, quod tres Personæ, quæ in Corona, factæ sint ex illis una & viginti myriadibus supradictis. In Corona autem jam antea ratione Lucis ejus internæ erant octodecim millia myriadum. Et cùm tria illa capita fierent, una & viginti myriades illæ uniebantur cum octodecim mille myriadibus, ut corona è figura sua sphærica in figuram Personæ & Bilancis, id est, maris & fœminæ converti posset.

Cùm ergo una & viginti myriades unirentur cum octodecim mille myriadibus, exinde fiebant triginta novem juxta nomen מלרוס. In Corona 2. continentur Alephin seu millia, quia & in Microprosopo est Trigrammaton Alephatum יוד ואו אלף quod elicit triginta novem. Ista Corona autem conceptum habet Microprosopi, itaer primus vocetur Corona; Adam primus, Sapientia; & Splendor supernus, Informatio: tunc enim sequitur Corona ceu Microprosopus. Hinc & in Corona Microprosopi exsculptum est nomen כוזא cujus numerus 39. Item mundus iste restitutus formatus quidem est in tria

sapita; Fundamentum tamen ejus consistit in Pulchritudine Capitis, quod non cognoscitur. Et de rore illo infra dicenda sunt plura. Duo autem sunt Rores; ros Macroprosopi, & ros Microprosopi. Et exhinc fiunt tres guttæ, quæ sunt mysterium trium Tetragrammatorum, quæ in illis verbis continentur: Tetragrammatos regnavit; Tetragrammatos regnat; & Tetragrammatos regnabit. Per quæ nomina Deus aliquando resuscitabit mortuos. Et numerus trium horum Tetragrammatorum exurgit in bis triginta novem.

§. 145. Septem autem illæ Coronæ sunt septem nomina, nimirum duo Tetragrammata; & אלהים; & אל; & duo מצפץ, & nomen יהאהי; quæ una cum generalitate assurgunt ad numerum הכתרה i. e. 850.

§. 146. Deinde notandum, quòd septem illæ coronæ in Coronam translatæ alter etiam dividantur in septuaginta myriades literarum: literæ autem, quas ipsa Corona jam ante habebat, sunt duodecim millia myriadum locò lucis internæ, juxta duodecim metatheses Tetragrammati: & ex illis duodecim mille myriadibus quælibet Numeratio Coronæ accipiebat duodecim centurias myriadum. Nempe mille myriadum habebant singulæ pro Luce sua interna, & ad sustentandum vas suum: duas centurias autem, ut illarum beneficio lucerent per vas Basiliæ Coronæ, quarum beneficiò illa radiare posset in mundum Emanativum. Et hoc refertur dictum Cant. 8. v. 12. Hinc patet, quòd singulæ Numerationes Coronæ in se habeant numerum vocis שנה, id est, cedrus, si nempe Ncomputetur pro millenario, ut sint mille ducenta & septem. Et isti sunt Cedri Libani, qui transplantati dicuntur à Deo; in Sohar sectione Breschith: ubi dicitur: Istæ sunt plantæ, quas evulsas transplantavit Deus Sanctissimus & Benedictus, in locum alium, in terram sanctam, id est, in Regnum.

§. 147. Eòdem modò Sapientia è septem Sapientiis facta locò vasorum habebat septuaginta myriades, ita ut quælibet Numeratio contineret septem myriades. Ipsa autem jam habebat quater mille myriades locò Lucis internæ, ita ut cuilibet Sephiræ essent quadringentæ myriades: quæ quadringentæ myriades lucerent per vas Macroprosopi, ubi potissimum lucent in capite ejus. Et istæ quadringentæ myriades literarum sunt quadringenti illi mundi desiderabiles, de quibus dicit R. Schimeon Jochaides, quòd luceant in discriminatione capillorum Microprosopi.

§. 148. Quia autem Lux illa unius & viginti mille myriadum literarum, unde fiebant tria Capita, nimia adhuc erat; præsertim Capitis, quod non cognoscitur: hinc Lux illa sursum extollebatur versus Adamum primum occultum: & filum infiniti descendens à fine vestimenti, quod est fundamentum vestimenti; faciebat velum & expansum inter hæc, ita ut ibidem fieret Adam primus, non quidem occultus, sed qui simpliciter ita dicitur. Et istius Adami primi Regnum demittebat septem suas inferiores, unde fiebant septem Conformationes Sensis.

§. 149. Ratio autem, quare Caput hoc vocetur Caput, quod non cognoscitur: & in Sohar Caput, quod non cognoscit, & non cognoscitur; hæc est, quòd ipsum hoc caput non comprehendat essentiam & naturam Infiniti, quam in se recipit. Quod autem non cognosci dicatur, ratio hæc est, quia ob nimiam subtilitatem suam ne quidem à capite Non-entis cognoscitur, nec ab aliis inferioribus.

§. 150. Infinitus nondum est ipse autor Emanationis: quia huic nec litera ulla, nec similitudo illa tribui potest. Infinito autem adhuc tribuuntur mundi: ut sunt vestimentum; aër primus; Adam primus occultus; Adam primus simpliciter dictus; & expansum quod inter illos: quæ sunt literæ sub forma Personarum modò quod literas radicis tot plenitudinibus impleant, ut nullis terminis restringantur: cùm è contrario in mundo Emanationis Lux interna certis terminis includatur, ne nimium exerescere queat. Et inter hos mundos Infiniti etiam extollebatur caput, quod ignoratur ob nimiam Lucem suam. Dicitur enim caput, quia nullum habet tegumentum: sicut caput hominis veste non induitur.

§. 151. Hinc etiam extollebatur Adam primus simpliciter ita dictus inter pedes Adami primi occulti, ita ut una tertia Corona Coronæ ejus intraret intra Regnum Adami primi occulti. Hic Adam primus autem illud fuit initium, in quo decem Numerationes è potentia exirent in actum: ita ut filum infiniti, quod prolibat è fundamento dimidiæ vestis, in ipso formaret figuram Bilancis sive Personæ humanæ, caput habentis & humeros. Quamvis hæc omnia adhuc essent tenuissima.

§. 152. Elevatâ autem sic Coronâ, in ejus locum succedebant Sapientia & Intelligentia, ita tamen, ut pedes Coronæ, i. e. victoria, gloria, & fundamentum ejus ibidem adhuc remanerent, una cum Regno ejus, quod decem Numerationibus suis extenditur usq; ad finem omnium mundorum. Sapientia igitur & Intelligentia occupabant duas tertias loci illius, ubi fuerat Corona; Et duo hæc Capita Sapientiæ & Intelligentiæ pertingebant usque ad finem Sphæræ Coronæ.

§. 153. Quia autem ut omnia lumina, ita & Corona in loco illo, ubi fuerat, reliquit vestigium, intra quod Sapientia & Intelligentia intraverant, hinc duo illa capita dicuntur Sapientia & Intelligentia Coronæ.

§. 154. Filum ergò Infiniti, egredi ns è fundamendo dimidiæ vestis summæ Adamo primo dabat formam, & faciebat expansum inter duos istos Adamos, ut lumen inferiori debilius affulgeret: de quo in Idra dicitur: שיורתא וסיומא לית ליה *Initium & finis non erat*: &c. ולבתר ומנא ואיא אסתל בהאוא פרסא ואתתקן postmodum autem ipse elevabatur supra illud expansum, & conformabatur, &c. i. e. filum hoc deinde faciebat velum & aulæum, quò distinguerentur mundi infiniti, & mundus Emanationis. Antequam enim fieret hoc medium distinguens, mundus Emanativus nullum habebat initium, & mundi infiniti nullum habebant finem.

§. 155. Hoc velum autem vocatur פרסא, cujus numerus est 345. juxta numerum מצפץ אורי, quæ sunt judicia. Eòdem enim modò & Judicia distinctionem faciunt, & lucem influentem impediunt. Eidem quoque æquipollet vox משרי, qui & ipse utebatur tegumento.

§. 156. Filum autem hoc Infiniti dicitur רישיא דסיומא וכלל כסופין Ca-

put omnibus desideriis desiderabile, quoniam est initium influendi, quod omnia appetunt ceu suam originem.

§. 157. Deinde & Sapientia Coronæ extendebatur in decadem sub mysterio Bilancis, & fiebat velamentum, i. e. vestis septem inferiorum Basiliæ Adami primi. Unde patet, quod summitas Emanativa initium habeat à septem Conformationibus Basiliæ Adami primi: Et abhinc, & porrò deorsum mundus dicatur Infiniti. Illud ergò Caput, quod dicitur אין sive Non-entis, est velum & aulæum septem conformationum, quæ penetrant per cranium ejus, & ibidem formant caput Macroprosopi, quod est initium mundi Emanativi.

§. 158. Quamdiu igitur caput, quod ignoratur, esset in mundo Emanativo, mundus tantò lumine frui non poterat: hinc illud in superna elevandum erat. Hôc autem nomine vocantur Corona, Sapientia, & Intelligentia Basiliæ Adami primi. Et quia sunt tres gradus, hinc Caput istud in Solaz tribus vocatur nominibus: רישא דלא ירשא Caput non Caput: רישא דלא ירע: Caput, quod non cognoscit: & דלא אתידע Caput quod non cognoscitur.

§. 159. Cùm Infinitus restituere vellet Mundos per statum Bilancis, singulæ de facultatibus supernis de Luce sua aliquid contribuebant, in adjutorium istius Bilancis. Adam primus occultus Adamo primo simpliciter ita dicto, qui est Corona Coronæ, dabat formam Personæ suæ, quæ sunt quatuor Plenitudines Tetragrammati יהוה, ita ut septuaginta binarium inesset cranio Adami primi: sexaginta ternarium, auribus; quadraginta quinarium, naso: & quinquaginta binarium, ori ejusdem. Aura tenuis, quæ exiliit intra Adamum primum descendens in nasum ejus contribuebat septem halitus, de quibus loquitur Ecclesiastes. Et iste est halitus egrediens è Capite, sub forma capillorum, de quibus infra. Et halitus iste egrediens per capillos tribuitur nomini septuaginta binario. Halitus autem ex auribus prodiens continet mysterium nominis sexaginta ternarii, sicut & aures ipsæ fiunt ex hoc nomine. Halitus porrò progrediens è Luce oculorum & naso Adami primi, est mysterium nominis quadraginta quinarii. Et halitus, qui prodit ex ore ejus, est nomen quinquaginta binarium: qui sunt septem halitus Capitis, duarum aurium, duorum oculorum, nasi & oris. Uterus de Adamo primo dicere non licet, sed tantum de Sene sancto, qui est Regnum Adami primi, cujus tres superiores dicuntur Caput, quod ignoratur.

§. 160. Ex illis auribus Adami primi prodeunt decem formationes barbæ in potentia, donec figantur inferiùs in Capite Senis; quæ sunt septem formationes Basiliæ ejus. De istis autem Conformationibus regni Adami primi nulla fit mentio, sive in Lege sive in Prophetis, ob nimiam illorum subtilitatem. Tantum Salomo statuæ istius meminit, barbâ tamen exceptâ, quia tantum de genis loquitur, quæ barbam continent. Hinc in libro Occultationis dicitur, cap. 2. : דיקנא דלא אתידע אתיד Barbæ veritatis nulla fit mentio: quasi dicat: Nec in Lege nec in Prophetis, nec in Hagiographiis illius fieri commemorationem, nisi sub ænigmate genarum.

§. 161. Su-

§. 161. Supra autem diximus, quod aliquid de aëre tenui isto, qui in aëre primo est, descendat in mundum Emanativum. Hoc autem fit per Adamum primum, qui aëreum hunc suum tenuem è foraminibus suis prodeuntem immittit pulchritudini suæ: undedeinde porrò per fundamentum prodit in Regnum ejus, quod est Caput quod ignoratur: intratque in menyngem aëris, quæ est forma tertia, è septem formis. Atque hinc prodit Spiritus sanctus per nasum in eum, qui ipsum meretur accipere. Et hoc ipsum est, quod in libro Zeniutha dicitur: דביוה תרין נוקבין דפרדשקא ואתער רוחא לרביע In illo sunt duo foràmina nasi, unde exsuscitatur spiritus pro omnibus. Et hoc est mysterium Spiritus sancti pro hoc, qui cò dignus est. Et duæ nares sunt, humilitas & timor; Leah & Rachel, quæ latent in Capite Senis.

§. 162. Adam primus est Corona Coronæ post restitutionem factam cum Macroprosopus formâtus est tribus capitibus, & Regnum ejus extensum est per decem Numerationes suas usque ad finem omnium mundorum. Nam Macroprosopus à principio suo usque ad finem constat è Regno Adami primi. Et tres primæ illius Regni sunt mysterium Capitis, quod ignoratur. Mundi enim ipsa Luce hujus frui non poterant, hinc sursum attollebatur in mysterium Adami primi: & lux ejus diminuebatur, & ipsi dabatur Nomen Adami primi, & Regnum ejus vocabatur Caput quod ignoratur. Nam septem inferiores ejus deorsum extensæ conteguntur ab אין seu Non ente, & אדרי seu Macroprosopo, usque ad mundorum finem. Tres autem primæ, istius regni, quia non conteguntur sed nudæ extant, vocantur Caput. Idem quoque notandum de Non ente & Macroprosopo; & de omnibus Capitibus quarumcunque personarum in omnibus mundis.

§. 163. Superiores autem novem Numerationes Adami primi omnes sunt sphæricæ, modo quod filum Infiniti per illas transeat, ceu anima ipsius. Victoria igitur, Gloria & fundamentum Adami primi, initiò erant rotundæ. Deinde autem cum Regnum Adami primi formaretur in Caput quod ignoratur, in cujus summitate apparebant tres numerationes; etiam Victoria, Gloria & Fundamentum ejus fiebant primò linea una: deinde mediante filo Infiniti diffindebantur in tria Vavim; quæ subinnuuntur in tribus illis versiculis ויסע והבא ויט Exod. 14. v. 19. 20. 21. Et cum Sanctuarium adhuc staret, per tria hæc Vavin Microprosopus cum uxore sua copulatus erat de facie ad faciem. Destructo autem templo, duo Vavin tollebantur in sublimia, luce eorum retracta: & nihil remanebat nisi aliquid de Vav Tetragrammati, quod lucem præbebat Vav tertio. Et quia illa tria Vavin prius fuerant tres sphæræ, quæ subinnuuntur per tria Jodin supra dictarum vocum; quæque intra Vavin remanebant ad instar animæ: hinc ista Jodin destructo sanctuario etiam secedebant in Gloriam fundamenti; non autem planè elevabantur, quia alias mundus devastatus fuisset. Unde post destructum templum nulla planè copula amplius est anterior; sed ex parte tergorum tantum, imò ne sic quidem plenè nisi ex parte Gloriæ tantùm fundamenti: fundamentum enim vocatur fœdus stabilitatis. Hinc usque ad illud tempus, quo R. Schimeon manifestabat Arcana Synodi suæ; mundi superni nullam habebat subsistentiam nisi per Fundamentum & unam ejus columnam,

quæ

quæ est in Gloria (ceu crure sinistro:) Et fundamentum quidem alibi vocatur clavus; sed in Adamo primo dicitur Columna. Et quia R. Schimeon Ben Jochai videbat, quod mundus nutaret; quia ne à parte postica quidem habebat firmitatem, nisi per sustentationem unius columnæ, cujus mentionem facit R. Schimeon Ben Jochai in Synodo magna: hinc restitutionem Regni tentabat, ut copula fieri posset ab omnibus tribus partibus; sub mysterio Vavin. Et quia nomen septuaginta binarium jam totum est sub notione circulorum, hinc & Synodus illa habebatur in אידרא seu Area trituratoria, quæ rotunda est: sicut dicitur: Locum ubi considebant Synedriales fuisse hemicyclicum ad instar Areæ trituratoriæ.

§. 164. Cùm Adam primus altiùs ascendisset, Regnum ejus extendebatur in decem numerationes; & vocabatur Caput quod non cognoscitur. Et hoc influxum suum accipiebat à filo Infiniti, quod in Sohar vocatur סתרא גו סתירא occultum in occulto: quia filum hoc occultatum est in fundamento vestimenti superni, & in Adamo primo occulto, qui vitam largitur Adamo primo simpliciter ita dicto, qui est Corona: sicut anima vivificat corpus.

§. 165. Cùm ergo filum hoc intraret in Adamum primum; & victoria, gloria & fundamentum istius tantùm esset adinstar unius lineæ vel Vav, ab ista luce fili, tria illa dividebantur ut fierent tria Vavin. Et ex uno Vav medio prodibat punctum quoddam, quod radiabat in Regnum & conformabat Numerationes regni: ob hanc rationem tres primæ regni hujus ob nimium lumen suum occultabantur, omnesque fiebant Caput unum manifestum: quod tamen habebat tres distinctos conceptus, & sic radiabat in mundum Emanativum. Tres autem ejus conceptus hi sunt; Corona ejus vocatur Caput non-Caput, ob nimiam apocrypsin suam: Sapientia ejus vocatur Caput ignorans; eò quod ipsum nesciat naturam suam, sicut homo non cognoscit animam suam: Intelligentia ejus autem vocatur Caput ignoratum, quia nempe essentiam suam non manifestat septem inferioribus suis. Hoc Caput per filum illud infiniti præparabatur ut luceret in septem Numerationes ejusdem Regni Adami primi inferiores, quæ vocantur עתיק יומין Senex dierum: ut illas introduceret intra Caput non-entis, ibique faceret septem conformationes.

§. 166. Certum quidem est, quod Macroprosopus, Pater & Mater, sint Corona, Sapientia & Intelligentia mundi Emanativi post restitutionem: sed Macroprosopus est persona constituta è punctis Intelligentiæ fissæ: & supra illum est caput Non entis factum è punctis Sapientiæ fissæ: & supra istud est Caput ignoratum, constitutum è punctis Coronæ Regni Adami primi. Unde constat, quòd è tribus punctis primis mundi inanitionis constituta sint tria capita superna, quæ continentur in Sene Sanctissimo. Omnia autem tria numerantur pro uno in mundo Emanativo, qui est Macroprosopus. Cùm igitur Regnum Adami primi extensum esset in decem Numerationes, nutu Dei Sanctissimi etiam prodibant Sapientia & Intelligentia illa fissæ è potentia in actum, id est, è puncto in decem Numerationes; & illa vocabatur Non-ens; hæc autem Macroprosopus. Et harum Numerationes recipiebantur intra Numerationes Regni Adami primi, ita ut tres primæ

primæ fissarum venirent in medias regni, & mediæ fissarum in ultimas Regni, ultimis fissarum manentibus in vestigio. Sapientia autem consistebat in latere Victoriæ Regni, & Intelligentia in latere Gloriæ Regni stabat.

§. 167. Et filum Infiniti Non entis sive Sapientiæ communicabat nomen quadraginta quinarium, quod in illa distribuebatur hoc modo.



Et nomen hoc vim ipsi tribuebat, ut è sphæra fieret persona. Eodemque modò Intelligentia à filo Infiniti accipiebat nomen quinquaginta binarium, ut conformaretur in Personam hoc modo. Jod in Corona: Vav Plenitudinis Jod in Pulchritudine: Daleth in Regno: He primum radicale in Matre: He plenitudinis He in Gloriam: Vav radicale in Benignitatem: Vav plenitudinis Vav in Fundamentum: He ultimum radicale in Severitatem, & He plenitudinis ultimæ in Victoriam.

§. 168. Ratio autem, quare caput secundum vocetur אין; hæc est; quia Sapientia illa conformabatur ex literis nominis quadraginta quinarii, cujus plenitudo sit per Aleph in: & hoc indigitat Aleph vocis אין. Jod autem istius vocis subinnuit Caput, quod ignoratur, quod constituitur per nomen plenè scriptum per Jodin. Nun autem istius vocis indigitat Macroprosopum. Et quia in Capite Non entis nihil videtur, nisi cranium dimidium, hinc vocatur Caput.

§. 169. Et Ratio quare Caput tertium vocetur רישא דאיריך אנפין Caput Macroprosopi, hæc est, quia & de hoc nihil videtur nisi Caput: quia omne corpus reliquum contectum est à Patre & matre, & Microprosopo atque Uxore ejus: Et hanc ob causam vocatur Caput. Longi autem nomen ipsi tribuitur, quia pedes ejus pertingunt

usque ad fundum splendoris. Faciei nomen autem superadditur, quia nonnisi facies est, & nihil de tergo in eo invenitur, qui mera hîc misericordia, & nullum omninò apparet Judicium.

§. 170. Quia autem mundus luminibus tàm magnis, tàm Coronæ ceu Capitis ignorati, quàm Sapientiæ, uti non poterat, sed hæc mundum Emanativum tantùm illuminare debebat per Macroprosopum, ceu tegumentum suum; hinc Divino nutu Intelligentia, id est, Macroprosopus applicari jussa est Non enti: ita ut decem Numerationes Macroprosopi in se includerent decem Numerationes Sapientiæ, easque contegerent, singulæ singulas: ita ut decas Sapientiæ non appareret, nisi per decadem Macroprosopi, & longus iste fieret vas Sapientiam in sese includens, tanquam animam suam. Et Caput ignoratum, i.e. septem ejus inferiores, quasi Lux ambiens ejusdem fiebant. Nihilominus decas Intelligentiæ non totam decadem Sapientiæ exæquabat, sed tantùm pertingebat usque ad duas tertias Coronæ Sapientiæ. Ratio est, quia Intelligentia quasi fœmina est illô respectu, cujus membra minora sunt membris masculinis. Una ergò tertia superna Coronæ nuda restabat, i.e. cranium, sive Sapientia, Informatio, & Cognitio ejus. Est istæ duæ simul junctæ contegebant Caput ignoratum, ut non videretur, id est, septem ejus inferiores, quæ vocantur Senex dierum.

§ 171. Et hæc sunt vestimenta illa honoris, de quibus loquitur liber Zeniutha cap. 1. אתקין ואתסין id est, conformavit ea sub figura Personæ, & communicavit ea inferioribus; ut illâ luce eorum frui possent.

§. 172. Notandum autem, quòd R. Schimeon ben Jochai omnia hæc tria Capita simul interdum vocet רישא דאריך Caput longi. Et de his tribus Capitibus in Sohar dicitur: אלין תלת רישין דא לעילא מן דא ודא מן דגו מן דא Illorum trium Capitum unum est superius alterô & unum est intra alterum. Ubi per illud, quod superius dicitur, intelligi potest Caput, quod ignoratur: & per illud, quod intra alterum, caput non entis, quod contegitur à longo. Et pergit Idra minor: *Caput unum est Sapientia abscondita*, quæ ingreditur intra illud Caput eidem superinductum, quod vocatur Senex Sanctissimus occultissimus omnium Occultorum, id est, Macroprosopus. Et hoc est illud, quod est intra alterum, quia decem Numerationes unius sunt intra decadem alterius, nempe Sapientia, quæ quasi non esse dicitur, est in Corona Emanativa, quæ est Macroprosopus. De tertio autem Capite dicitur, quòd sit alterô superius. Quia non in se includit alterum, nec includitur, sicut Sapientia ita comprehenditur à Capite socio, ut parum absit, quin duo illa habeantur pro uno: sed Caput hoc tertium multò sublimius est, estque Caput omnium Capitum, quia omnia sunt infra illud, ejusque aquas bibunt. Hoc etiam vocatur Caput non Caput, quia mirum in modum occultatum est. Hoc antea vocabatur Caput ignoratum: sed occultatum est, in Adamo primo & regno ejusdem hoc nomen reliquit: unde ille vocatur Caput respectu Regni sui. Ratio autem, quare dicatur Caput non Caput, hæc est; quia non est Caput Emanationis: item quia occultatur, ut pars ejus Caput sit, & pars ejus Caput non sit. Idem etiam vocatur Caput ignotum, quia Regnum Adami primi, quod est caput hoc non

non assequitur lucem Adami primi se superiorem, quamvis in ipsa luceat. Hinc dicitur: Fuge in locum tuum, & contemplare, quod potes assequi in loco tuo; nec ascendas sursum, ut comprehendas Adamum primum te superiorem: adeoque in loco tuo maneas. Patet igitur, quòd in genere tria hæc Capita vocentur Senex Sanctissimus: quia omnia tria simul sumta sunt, quasi caput unum; & vocantur Senex Sanctissimus. Et aliquando vocantur duo, quando Macroprosopus cum Sapientia in ipso occultatâ combinatur, ubi Caput ignoratum est secundum.

§. 173. Interdum vocantur capita tria, cùm singula concipiuntur seorsim: quando scilicet non est tempus beneplaciti. Et hoc est, quod dicitur in Idra minore: Senex Sanctissimus, cùm reperitur tria habens Capita, omnia quoque reliqua lumina reperiuntur terna, id est, ut Sapientia, Informatio, Cognitio: item Benignitas, Severitas, Pulchritudo: item Victoria, Gloria & Fundamentum. Aliquando Senex Sanctissimus repræsentatur duobus, i.e. tanquâ Corona sumâ, & hoc quod istâ superius est. Sic & reliqua Lumina in dyade sunt, &c. Quandoque Senex Sanctissimus designatur & absconditur in uno; sicut denotat vocula יִן, in qua Aleph designat Caput non caput: Jod Coronam sive Macroprosopum: & Nun, Sapientiam. Caput ergò summum sublime est admodum, & tres ejus primæ nullô modò extenduntur, sed suprà manent, sicut umbra super Caput Coronæ seu Macroprosopi, & Sapientiæ sive Non entis. Septem inferiores autem Regni Adami primi extenduntur intra caput Coronæ, seu Macroprosopi & Sapientiæ, eô ordine, quô describuntur in libro Zeniutha. Et istæ interdum vocantur Senex dierum: & sunt septem dies Geneseos.

§. 174. Vestimenta superna autem à filo Infiniti parata etiam sunt, partim è Luce ambiente: partim è Luce interna. Et hæc in libro Zeniutha vocantur vestimenta ornatûs. Sicut enim vestes pulchræ hominem exornant & condecorant: sic illæ vestes exornant & honorem conciliant vasis, ut quod inferius est, luce supernâ frui queat. Hæ autem vestimenta se non habent, ut vestimenta corporea, quæ accidentia sunt hominis: sed ipsum Fundamentum & vita Adami superni in istis vestibus consistit. Nam Lux interna vasi largitur vires, ut ne frangatur ob nimiam illuminationem suam. Lux autem ambiens multò est major interna, & hæc ab extra affluit homini superno, ejusque vasa diaphana reddit, ut Lucem internam sustinere queant. Lux autem interna habet naturam Vav: id est, Vavin, quæ in Tetragrammatis עֵר & מַה sunt mysterium Lucis internæ. Et Jodin istorum Tetragrammatorum, sunt Lux ambiens. Hchin autem sunt Vasa ipsa. Alephin sunt super capita Vasorum, & nomine suô vocantur Lux externa: & ista Alephin consistunt inter Lucem ambientem & ipsum Vas. Adeoque vestimenta partim sunt externa, ut cùm Sapientia extrinsecùs ambit Basiliam Adami primi: eademque Sapientia contegitur ab Intelligentia: vel interna, ut cùm eadem Sapientia ab intra vestit Intelligentiam, quod intelligitur in libro Zeniutha, cùm dicitur de vestimentis ornatûs præparatis & communicatis: quæ verba etiam exponi possunt de vestibus honorificis, & venerandis, quoniam Lumina etiam propterea occultata sunt, ut cum reverentia a Creaturis suscipiantur. Quasi diceretur: Hæc vestimenta honoris causâ facta esse, cùm extenderentur tres illi gradus, nimirum Corona, Sapientia & Intelligentia

Macroprosopi, per quam simul fiebat legitima conformatio : quâ institutâ filum Infiniti deinde intra Numerationes eorum intrabat & investituram hanc conferebat Patri & Matri, & Microprosopo atque Uxori ejus. Sicut enim Sapientia investiebat Basilian, ab initio humerorum : ita Pater vestiebat Benignitatem Macroprosopi, & Mater Severitatem ejusdem Sapientiæ semper adhærens : unde etiam R. Schimeon ben Jochai de duobus his in Idra dicit : Quod simul exeant, & simul incipiant, & in æternum non separentur. Deinde autem Microprosopus & Uxor ejus investiunt Macroprosopum à fovea pectoris, & porrò deorsum : Mater autem ab intra vestit Microprosopum, à capite ejus ad pedes usque ; sicut Sapientia Macroprosopi vestit Intelligentiam ab intra. Et hoc est, quod in libro Zeniutha dicitur : Vestimenta honoris communicata esse ; nimirum inferioribus.

§. 175. Jam septem inferiores Basiliæ Adami primi sese extenderunt à parte posteriore Capitis non entis, ab initio ejus usque ad finem : quia autem tres illarum supernæ istius Basiliæ ipsis affulgebant : hinc desiderabant sursum ascendere, ut tribus suis superioribus adhærerent : jubente autem Infinitò intrabant & perfindebant Caput non ens, & intra Sapientiam hanc descendebant usque ad Victoriam & Gloriam istius Sapientiæ ; atque hinc iterum ascendebant, ut Caput Senis conformarent à tribus supernis singultim evocatæ.

§. 176. Summa omnium huc redit : quod intentio Dei Benedicti fuerit Personas formare, pro minuendo Lumine. Adeoque creabat in Macroprosopo tria Capita. Primum vocatur Caput quod ignoratur : secundum, caput, quod non est : & tertium est ipsum Caput Macroprosopi. Et hæc tria sunt Corona, Sapientia & Informatio, quæ in Corona mundi Emanativi seu Macroprosopo existunt. Et tria hæc Capita in Sohar vocantur Senex Sanctissimus. Septem autem inferiores Basiliæ Adami primi vocantur Senex dierum : & Senex iste dierum est pars interna & anima Macroprosopi. Quia igitur Caput Non ens seu Sapientia pertingebat usque ad Benignitatem istius Basiliæ Adami primi sive Coronæ, quæ in Corona Emanativa, quæ in summis dicitur, Caput ignoratum : hinc septem inferiores istius Basiliæ perfindebant Cranium istius Sapientiæ sive Non entis cum longo coadunitæ, ibique intrabat ad instar animæ : atque in Cranio hoc conformabat septem illas partes & formas, de quibus Liber Zeniutha loquitur. Ratio autem septem istarum formarum hæc fuit, ut Lumen magis magisque ab inferioribus amoveretur, & quasi per canales contectos, non verò in aprico illuceret : adeoque influentia procederet per meningem cerebri, & per poros cranii cohibitum, ne nimietate suâ noceret. Nam sic etiam aures distinguebatur Sanctum Sanctorum à Sancto, ut parvi tantùm quasi radii emanarent. Deinde oculis his auribusq; sua tribuuntur officia, prout de his loquitur Scriptura.

§. 177. Cranium igitur sive pars prima istarum Conformationum, quæ fictæ sunt à septem inferioribus Basiliæ Adami primi, institura est ab illius benignitate, quæ ingrediebatur in Coronam Longanimitan cum Corona Non entis. Jam Corona Macroprosopi

prosopi est aër ille incomprehensibilis intra cranium comprehensus, & cerebro superimminens : Cranium autem est Intelligentia Coronæ Macroprosopi, quæ locum Coronæ illius incomprehensibilis Coronæ hujus supplet. Hæc autem forma vocatur Cranium album, qui omnia sunt Benignitas, quæ quasi instrumentum est ad mitigandam Severitatem infra hanc consistentem. Quæri autem potest, quis Benignitati huic regni Adami primi facultatem hanc dederit, ut faceret istam Cranii formam, & in illam colligeret Coronam Longi & Non entis ? Nempe tres primæ Basiliæ hujus Adami primi instituebant singulas istas Conformationes suis quamque locis : ita ut Corona trium illarum supernarum lucem immitteret Benignitati septem inferiorum, eamque dealbaret, ut candidissima fieret, quamvis aliàs quadantenus esset rubea propter duplicem illum reditum sive reflexionem Lucis, de qua suprà ; per quam denotantur Judicia : sicut etiam ob violentiam perfindendi per Caput Non entis, propter quam cranium hoc durum est.

§. 178. Forma secunda vocatur Ros crystallinus : & hæc formatur à Severitate Basiliæ Adami primi, quæ intrabat intra Sapientiam Macroprosopi : hinc in crystallo color quidam emphaticus rubor apparet. Et hæc est Sapientia illa, de qua dixerunt, quod in illa radicentur Judicia, quia provenit è potestate Severitatis. Sed Sapientia absolutè sumta tota Benignitatis naturam habet, & nihil judicii continet : quia judicia statim in ea mitigantur. Et de virtute hujus severitatis in hac Sapientia existentis, in Sapientia inferiore, quæ vocatur Pater, inveniuntur triginta nomina אלהים, quorum mentio fit in historia Creationis. Sapientia igitur Non entis & Macroprosopi simul junctorum sunt ros cranii : & hoc infrà est judicium : id est, in illa est radix judiciorum ; quæ cum extenduntur in Microprosopum & Uxorem ejus sub mysterio trecentarum & viginti, & trecentarum viginti quinque scintillarum ; tunc confirmata sunt : & tunc temperamentum à Macroprosopo descendit, & illa judicia mitigat. Hæc autem Severitas nonnisi amor est, quia sicut crystallus in se nonnisi albedinem habet, sed insipicienti tantùm rubedo quædam inibi apparet, quæ revera ei non inest : ita severitas istius loci nulla in se habet judicia. Sicut autem in capite hominis humiditas quædam apparet intra cranium ; ita Lux quædam à Severitate hac Basiliæ prodit intratque in aeramillam, ibique humorem istum exsuscitat, & internum hunc locum cranii implet. Nomen autem סגל cujus numerus est 39. denotat Tetragrammaton יהוה cujus numerus etiam est 39 : quæ sunt literæ literis Tetragrammati anteriores. Deinde etiam huc pertinet nomen יהדי ואהי Alephatum hôc modò : יהדי ואהי cujus numerus est 39. Item in nominibus עקסגפמץ בן sunt triginta notæ literæ exsculptæ in Capite albo Macroprosopi. Et ros iste descendit in capillos Patris, & in Caput Microprosopi, juxta Cant. 5. v. 2. Et iste ros est ille, qui tempore promulgatæ Legis, cùm Israëlitæ audirâ voce Dei viventis, mortui essent, eosdem revivificavit. Et hic ros etiam futurò tempore vivificabit mortuos ; sicut scriptum est : Ros Luminum, ros tuus Jes. 26. v. 19. ubi duo rores, nempe ros Microprosopi, & ros Senis ; unde sunt tres guttæ, quæ designant tria Tetragrammata illius dicti : Tetragrammatos regnat ; Tetragrammatos regnavit ;

& Tetragrammatos regnabit in seculum & sempiternum. Unde etiam in pedes erigi tenemur, cùm dicimus hæc in signum, quod Deus vivificaturus sit mortuos per tria hæc Tetragrammata, quæ efficiunt binos hos Rores, id est, bis 59.

§. 179. Formatertia vocatur membrana aë is: & ista fit à pulchritudine Basiliæ Adami primi, quæ ingreditur intra Intelligentiam Non entis & Macroprosopi. Et hæc est menynx intra quam reconditur cerebrum, & quiescit. Menynx autem vocatur firmamentum; & firmamentum vocatur Vav, & hoc est Vav illud medianum in figura literæ Aleph inter duo Jod interpositum. Et quia inter Cranium & inter Cerebrum est aër: hinc pellicula hæc vocatur aërea. Aer autem semper refertur ad pulchritudinem. Et hæc membrana in Libro Zeniutha dicitur אודיך וסתים diaphana & clausa. Pellucida enim fit ab aëre superno: clausa autem est, ne nimium Lumen prodeat, & ne ros descendat, & attributum misericordiæ convertat in rigorem. Dicitur autem קרומא quasi incrustatio; quia rigoris vim habet. Hæc incrustatio autem est quadratura Tetragrammati. Si enim duæ priores literæ Tetragrammati, quæ efficiunt 15, in se ducantur, exinde oriuntur 225; & si duæ posteriores Tetragrammati literæ pariter in se ducantur, hinc exurgunt 121: quorum summa est 346, juxta vocem שמע nomen ejus. Et hunc etiam numerum habet vox קרום: & hinc vocatur קרומא. Et hinc fit מן Manna, quod molitur pro justis. Quæ sunt duæ literæ primæ quinque finalium מנצפך in palatio amoris, ubi sunt dilecti illi, qui tradiderunt animam suam pro sanctificatione nominis Divini, & impleverunt dictum illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, etiamsi à te auferat animam tuam. Quinque autem illæ literæ finales sunt quinque illæ Severitates, quarum toties passim fit mentio. Istæ autem duæ literæ durissimæ sunt inter illas, quia Mem desumta est ex voce מות i.e. mors, & Nun desumta est è voce נחש id est, serpens. Cùm igitur occiditur justus quidam, præ nimio amore Domini Dei sui: tunc ille ibidem comminuit mitrum rigoris purpurâ suâ, quod est mysterium bis מנצפך id est, 560. juxta nomen תרשי.

§. 180. Sicut autem Benignitas, Severitas & Pulchritudo Basiliæ Adami primi constituebant tres supernas Macroprosopi: ita Victoria illius informabat latus dextrum ejusdem, id est, Benignitatem & Victoriam. Et sic Gloria Basiliæ supradictæ informabat latus ejusdem sinistrum, id est, severitatem & gloriam. Et fundamentum ejusdem Basiliæ informabat lineam Macroprosopi mediam, id est, Cognitionem, Pulchritudinem & Fundamentum. Fundamentum ergò Basiliæ Adami primi constituebat in Macroprosopo frontem, id est, Cognitionem, Pulchritudinem & Fundamentum: Lana autem munda & oculus apertus fiebant à Victoria & Gloria ejusdem, ita ut à medietate superna utriusque hujus gradus fieret capillus; & à medietate infera utriusque fieret oculus. Omnes tamen tres illi gradus simul, Victoria nempe, Gloria, & Fundamentum, tres has formas constituebant: unde & in Libro Zeniutha dicitur מתן עמר נקי. Illi lana munda &c. Quasi innuerentur tres illas Numerationes, Victoriam, Gloriam & Fundamentum simul efformâsse istas tres formas: ita ut in qualibet istarum formarum pars quædam sit ex omnibus tribus illis Basilicis.

§. 181. Victoria ergò & Gloria Basilicæ constituebant capillos. Et quia capilli aliàs denotant rigorem; hîc locô autem nulla sunt judicia, sed ita tantùm apparent: hinc capilli illi vocantur lana munda. Non autem vocantur lana alba, quia lana nunquam tam alba est, sicut gypsatura: sed dicitur munda, quasi innueretur, illam quidem in se puram esse à judiciis; & tamen videri, quasi essent judicia. Et de istis capillis in libro Zeniutha dicitur: quòd pendeant in æquilibrio; ut sensus sit: quamvis forma hæc constituatur à Victoria Basilica, tamen & Gloriam æqualiter suas contribuisse portiones, ita ut Gloria hac in parte sit in æquilibrio cum Victoria.

Vox igitur עמר lana, numerô suo exprimit 310. Et vox נקי, id est, munda efficit 160, quem numerum habet additâ totâ voce plenitudo nominis יהוה Joddati, ut sint 161.

310. autem est nomen אל 31. ductum in decadem, unde fiunt 310. Nomen autem אל refertur ad Benignitatem: & color Benignitatis est albus & mundus. Est ergò in hac forma nomen Benignitatis אל, quia capilli hi in se sunt Benignitates: sed tamen in ea quoque est nomen אהיה, unde judicia excitantur; quia in illis videntur esse judicia.

Isti autem capilli sunt halitus Capitis sursum ascendentis sub mysterio Lucis reflexæ: unde in ipsis est nomen אל, quod illam mitigat.

Nomen autem hoc locum habet in duobus timporibus, & in summitate frontis, sive linea utrinque à timporibus ducta. Et exhine extenditur radix pro tribus mundis: quæ sunt nomina, 1. אל שדי: 2. אל יהוה: 3. אל אדני. Et hoc nomen tertium pertinet ad partem anteriorem.

Nomen אל autem plenè scriptum hoc modô אלף למד numero suô exprimit 185, qui numerus bis sumtus est 370, quæ sunt Lumina illa toties occurrentia in libro Sohar passim. Et pertinent ad partem posteriorem. Et sic etiam in parte anteriore datur dextrum & sinistrum, quô pertinet hoc nomen אל bis sumtum: unde fit שעשע 740. Quô pertinet locus ille: שעשע Oblectabitur puer ad foramen viperæ.

Tria ergò hæc nomina אל duo in timporibus, & unum in summitate frontis per numerum suum שע, id est, 370. Luminum Macroprosopi ubique effulgent: & quia in illis est dextrum & sinistrum, hinc oritur illud שעשע sub numero 740, de quo toties fit mentio. Et de temporibus Lumina illa deinde etiam extenduntur in barbam, quia pars prima barbæ etiam est אל.

Hinc in Idra magna reperimus, quòd tribus istis nominibus אל formentur tres Mundi: ita ut unumquodque nomen אל unum formet Mundum, qui sunt Creativus, Formativus & Factivus, ubi sunt ministri judiciorum centum & viginti decreta durissima: & seb iis cortices istorum Mundorum ab extra annexi: præter illos, qui in Mundo Factivo permixti sunt. Atque ita per nomen אל restituuntur tres Mundi judiciis pleni, & mitigantur per illud.

Mundus primus in se habet millies mille sentatos. Et mundus secundus quinquagiota & septem millia horrisones. Et Mundus tertius nonaginta & sex millia ejulantes.

Sensus hic est, quòd sint tria nomina אלהים inter attributa; unum in Matre; alterum in Severitate; & tertium in Basilia. אלהים in plenitudine sua & quadratura efficit mille, hôc modô: אלף למד הה יוד ם: אלף למד הה יוד: אלף למד הה: אלף למד: אלף Et propterea in singulis illorum mundorum millena sunt.

Deinde nomen פאל, quò denotantur tempora capitis, è quibus nomen אל huc fulget, æquipollet nomini אלהים numero 86. אל igitur gradus Benignitatis mitigat אל nominis אלהים, qui est אל indignans quotidie Psal. 7. v. 13.

Et illa judicia prodeunt ab Intelligentia Mundi inanitatis: & primum nomen, quod in Intelligentia est in se continet duo cætera. Hinc Rex primus illorum, qui regnârunt in terra Edom, vocatur Bela, alter Jobab, & tertius Chusesham, qui duo ultimi correspondent duobus mundis illis ex Idra allegatis, qui cognominantur à יובאב & אלדד id est, à vociferatione & ejulatione. Illi autem Reges fundamentaliter pertinent ad Intelligentiam, quæ intelligitur per nomen Edom; & ex qua in mundo restitutionis factus est Macroprosopus. Ab Intelligentia igitur prodeunt illa judicia, id est, à Basilia Intelligentiæ, quia ipsa est sicut vinum bonum quiescens super fæcibus suis, quæ sunt judicia. Suprà enim nil nisi misericordia, quia judicia ibidem supprimuntur.

In singulos igitur mundos hos nomen istud אל ingreditur, ut judicia hæc in ordinem redigat, mitiget, & supprimat. Et quia in mundo Creativo continentur tria hæc Nomina אל: hinc judicia ejus vocantur מארי תריסין id est, Domini scutorum sive scuta gerentes. Nomen autem אל ter sumtum efficit 93, quem numerum etiam continet vox מגן id est, scutum, clypeus.

Quare autem dicantur millena millia, ratio hæc est; quia mundus hic primus pertinet ad Intelligentiam, sicut dicitur: Mater moratur in Throno, id est, in Mundo Creationis. Ad Intelligentiam autem refertur nomen שדי, quia Deus distinctionem facturus, inter tres primas & septem ultimas, dixisse censetur: די sufficit. Si igitur nomen hoc plenè scriptum quadretur hôc modo: שין דלת שין דלת יוד efficit 1968 & additò numerô integri 1969; quibus si adjungas nomen אל, id est, 31: hinc exurgunt duo millia. Hinc in Idra dicitur: אלף אלפין id est, mille & duo millia. Et hæc in mundo primo, ita ut millenarius primus tribuatur mundo supremo, nempe Intelligentiæ ipsi, qui est Mundus Creativus: & duo millenarii reliqui pro Formativo & Factivo Genericè in isto contentis.

Mundus secundus habet quinquaginta septem millia דרגא ריבבא id est, gradus vociferationis, qui referuntur ad Mundum Formativum pertinentem ad Pulchritudinem, quoniam Microprosopus in illo residere dicitur. Numerus autem 57. componitur è numero Tetragrammati 26, quod ubivis est in Pulchritudine, & ex nomine אל 31. quod in singulis his mundis est, ad supprimenda judicia, sicut in Idra dicitur. Et duo ista Nomina efficiunt 57.

Mundus tertius continet 96 millia מארי דיהלולין id est Dominus ejulationis. Per Mundum hunc autem intelligitur Mundus Factivus, in quo residet Basilia, ad quam pertinet nomen אדני, quod numero suo continet 65; cui si addatur nomen אל, à quo fit gubernatio singulorum horum judiciorum: exinde fiunt 96.

Et hinc quoque intelligi potest mysterium comestionis, cùm scilicet comedens intentione suâ atque meditatione elevare debet scintillas puras, ut adhærescant animæ suæ, quo extollantur in mysterium cœli i'lius, quod dicitur שחקים uti sunt molæ illæ, in quibus commolitur Manna pro justis: & si sunt triginta duo dentes, qui subindicantur per literam Aleph vocis אוכל quæ si in medio diffindatur utrinque constituit duas has literas וי quæ efficiunt 16, & in summa 32: quæ sunt triginta duo nomina אלהים. Ipsa autem vox אוכל comedens refert numerum אל & Tetragrammati. i. e. 57: sicut etiam in se habet literas כו & אל i. e. 26, qui est numerus Tetragrammati.

Porrò etiam sciendum est, quod 370. illa lumina dividantur in 150. & 221. quando descendunt à Macroprosopo in Microprosopum; quoniam ille Microprosopo tribuit 221. Lumina; Basiliæ autem 150. similia, quæ efficiunt 370. unà cum integro. Nam quia Microprosopus pertingit usque ad barbam Macroprosopi: hinc ipsi tribuuntur 221. Lumina à Macroprosopo. Unde in Sohar dicitur in Idra magna: Quando facies Macroprosopi respicit faciem Microprosopi, tunc longior & luminosior fit facies Microprosopi, ita ut etiam dicatur Macroprosopus. Ubi mysterium in hoc latet, quòd Microprosopus dicatur ארך Longus, quæ vox continet numerum 221. istorum Luminum, quæ accipit à Macroprosopo ex illis 370. Quamvis etiam nomen ארך אפים i. e. nomen Longanimi computum habeat sat congruum, dum numerô suô refert 352. Et si duæ hæ voces plenè scribantur hôc modô אלף ריש כף: אלף פא יוד ם efficiuntur octodecim literæ, unde tota summa fit 370. Unde patet, quod in Microprosopo 370. illa Lumina sint in potentia. Huc etiam alludit dictum illud Psalm. 84. v. 4. Etiam צפור passer invenit domum, & hirundo קן nidum sibi: Ubi Microprosopus dicitur צפור i. e. habens 370. Lumina, juxta numerum dictæ vocis. Uxori ejus autem tantùm dantur קן 150 Lumina; quæ si subtrahantur à 370. restant 221. pro Microprosopo.

§. 182. Jam porrò sciendum, quod Macroprosopo tribuantur שערות sive crines & נסיון sive pili, & קוצין sive cincinni vel coma. Nam in parte anteriore in capillo verticis tredecim sunt גבין pili, è quibus extenduntur tredecim conformationis barbæ: & isti pili partis anterioris vocantur crines simpliciter. Sed ab extantiis cranii circa partem posticam numerus magnus est cincinnorum sive comæ capillitii, qui pertingunt usque ad initia humerorum ad contegendam cervicem. Et in quolibet cincinno sunt 410. pili, juxta numerum vocis קדוש Sanctus. Et isti pili protrahuntur usque ad locum capitis Microprosopi ad instar filorum longorum. Et cum Lux hæc magna descendit; tunc à parte posteriore Microprosopi allidit ad caput ejus, quia ipse superinvestit Macroprosopum à fovea pectoris & porrò deorsum: & foras producit quatuor thecas phylacterii, faciem versus ex illuminatione Cerebrorum: quæ omnia fiunt vi alligationis capillorum, qua allidunt setrò in cerebra; unde illuminatio illa producit thecas

istas. Et hi sunt cincinni sive coma Macroprosopi de quibus diximus, quod descendant usque ad caput Microprosopi.

Cincinni autem Microprosopi descendunt usque ad caput uxoris ejus, ut eam illuminent.

Capilli autem cognationem habent cum cerebro & abinde prodeunt: & sunt scaturigines lucis, quæ magno cum fulgore exinde eradiatur. Et hæc est intentio R. Schimeonis Ben Jochai, quando dicit: צִיץ דְּמוּאֵל צִיצִירִית נוֹקְבָא Nomen צִיץ quasi dicatur capillus masculinus, competit viro. צִיצִירִית sive coma mulieris tribuitur fœminæ. Quibus subinnuit hoc ipsum quod diximus: Quod nimirum capillus Macroprosopi descendat in Microprosopum. Nam vox צִיצִירִית habet significationem capillorum; sicut dicitur Ezech. VIII. 3: *Et tulit me in cincinno capitis mei.* Adeoque his vocibus indigitatur capillus virilis & muliebris. Capillus ergò virilis est, qui venit ab imagine Sapientiæ; & coma muliebris, quæ venit ab imagine intelligentiæ. Fundamenta autem sapientiæ & intelligentiæ (unde lumina hæc erumpunt) ambo sunt intra Microprosopum. Quicquid ergò Microprosopus accipit pro se, id vocatur Ziz: Et exhinc fiunt crines capitis ejus. Quicquid autem accipit pro uxore sua, vocatur Zizith. Hinc pallium illud, quo nos amicimur est typus Microprosopi, id est: Lucis ejus ambientis, quæ continet mysterium pallii: Venitque è tribus ambientibus: i. e. à Macroprosopo prodiens per capillos & ambiens ipsum, & ab imagine sapientiæ & ab imagine intelligentiæ, & propterea nos operimur pallio hoc, omnes Zizith sive fimbrias ejus reponentes in latus sinistrum, ubi est locus uxoris; & Zizith sunt lux capillorum & oculorum ejus.

Porro notum est, quod capilli Macroprosopi albi sint ut lana munda: multo magis autem tredecim partes barbæ. Et hoc est illud quod dicit Scriptura Dan. VII. 9: *Et senex dierum sedebat, vestimentum ejus sicut nix candidum & pilus capitis ejus sicut lana pura.* Et in Idra magna dicitur: Omnes pili tam capitis quam barbæ albi sunt ut nix. In Microprosopo autem capilli sunt nigri: & cum capilli Macroprosopi descendunt & implicantur capillis Microprosopi, ut inde fiat quasi textura vestis atque pallii, isti etiam dealbantur. Uxor autem Microprosopi capillos habet rubros ad instar purpuræ: quo pertinet mysterium de vacca rubra.

Capilli autem Microprosopi tres habent partes similes, nempe: Cincinni proveniunt à cerebro cognitionis & crines è cerebro sapientiæ & pili è cerebro intelligentiæ.

§. 183. Cum igitur capilli Macroprosopi perveniunt usque ad caput Microprosopi, quatuor ibi producunt effectus. Primus est discriminatio capillorum: ut nimirum pars quædam capillorum Microprosopi in medio capite existentium reclinetur in latus dextrum; & pars altera in latus sinistrum. Ipsa autem discriminatio quasi semitam quandam constituit inter capillos istos, quæ vocatur semita justorum, de qua scriptum est Proverb. VII. 18. *Et semita justorum sicut lux splendoris.* In libro Sohar autem dicitur: Hæ in semita dicuntur esse quadringenti mundi desiderabiles. Nam vox מַסְלוּל

sensum habet quem refert dictum illud Psalm. LXXXIV, 3: *Concupivit & desideravit anima mea.* Conferatur Genes. XXXI, 30.

Sensus autem quadringentorum istorum mundorum hic est: Quoniam in Macroprosopo extat Tetragrammaton plenum Joddatum: ubi si quatuor illius Jodin ducantur in decem efficiuntur 400; & isti sunt quadringenti illi sicli כֶּסֶף argenti transeuntis ad mercatorem: qui est justus qui mercatoris instar de gradu in gradum ascendit & obambulat cum mercibus suis i. e. cum operibus suis bonis. Nomen ergo Tetragrammaton Joddatum dispositi quater mille myriades literarum illarum quæ ingressæ sunt in vasa singula, ex quibus deinde factus est Macroprosopus. Notum enim, quod ex intelligentia fissa factus sit Macroprosopus, & quod illa singulis Numerationibus ejus tribuerit quadringentas myriades: Et illæ quadringentæ myriades lucent intra vasa Macroprosopi. Et deinde lux ista, è Macroprosopo prodit circa diaphragma & fulget in discriminatione capillorum Microprosopi: i. e. à fronte usque ad verticem sive per medium caput; ubi capilli in duas partes dividuntur: quoniam capilli sunt judicia, quæ per hanc illuminationem mitigantur: & propterea in duas partes dividuntur, ne judicia in uno loco cumulentur. Et illæ quadringentæ myriades literarum sunt quadringenti isti mundi desiderabiles lucentes in discriminatione capillorum Microprosopi.

Et capilli isti sunt quinque Tetragrammata benignitatum, & quinque severitatum, nimirum punctata punctis Nominis Elohim.

Porrò etiam dicitur in Idra Magna quod in discriminatione capillorum proceda semita quædam, quæ fulgeat in ducentos & septuaginta mundos, quæ sunt quinque Tetragrammata ad dextram, quorum numerus est 130. & addito quinario suo 135: totidemque etiam ad sinistram, unde oriuntur 270 mundi. Nam quilibet שער i. e. pilus in mundo Creativo constituit mundum proprium pro illis animabus quæ dependebant è capillis Adami Protoplastæ. שער enim per methatesin est עשר i. e. decas. Omnis autem decas mundus est per se.

Et de semita hac justorum dicitur in Idra: Et ex illa splendet semita, qua illuminantur justi pro mundo venturo. Et hoc est mysterium viæ vitæ in illos mundos. Nam cum justus ex hoc mundo exit in mundum venturum, lucet ipsi lux ista, ut viam hanc inveniat. Unde dicitur Prov. IV, 18. *Et semita justorum sicut lux fulget, procedens & lucens usque ad paratum diem.* Ubi sensus est, quod lux ista à Microprosopo luceat duobus viis. Via una procedit & lucet i. e. semper lucet & nunquam deficit usque ad stationem diei. Quia Microprosopus vocatur dies, & in medio frontis ejus dicitur statio dici, ita ut hic immuatur medium illius. Via autem secunda lucet justo cum ex hoc mundo exit.

Et ab illa semita dividitur in sexcentos & tredecim tramites, qui distribuuntur in Microprosopum: de quibus dicitur: *Tramites DOMINI sunt benignitas & veritas.* Ubi intelligitur tota Lex continens 248. præcepta affirmativa, & 365. præcepta negativa. Si enim voci שבי i. e. 350 addas nicdietatem primam Tetragrammati; i. e. 15.

oriuntur 365. & si ad vocem זכרי i. e. memoria mea, quæ continet 237 : addatur altera pars Tetragrammati יהוה i. e. 11. exurgunt 248.

Effectus secundus capillorum Microprosopi est, quod iidem implicentur & immisceantur capillis Microprosopi: ut ex contextura istorum capillorum quasi oriatur species quædam vestis in capite Microprosopi: quod est mysterium pallii nostri.

Effectus tertius est, quod die Sabbathi circa nonam pomeridianam, quæ est tempus sacrificii pomeridiani, Lux quædam prodeat de fronte Macroprosopi è lumine capillorum ejus, qui quasi scaturigines sunt & fontes scaturientes in frontem, quæ dicitur Benevolentia benevolentiarum: quæ est Lux quædam nova & præstantissima derivatain Caput Microprosopi. Unde tempus illud dicitur tempus beneplaciti עת רצון Vox autem רצון per metathesin est נצור, quæ est pars barbæ, & dicitur influentia superior incumbens influentiæ inferiori, quæ vocatur נקבה ut sint instar maris & fœminæ in duobus apicibus barbæ descendentibus neque ad diaphragma Macroprosopi super Caput Microprosopi. Et illô tempore cùm Sanctuarium adhuc staret, Microprosopus & Uxor ejus ascendebant usque ad partem barbæ octavam per locum Patris & Matris: ita ut revera essent in loco istorum, & vocarentur קודש juxta mysticum illud, quod dicitur Sabbathum Sanctitatis: Et occupabant locum Sanctitatis: & parentes ad se accipiebant liberos, & cum illis manducabant in loco suo. Et illo tempore scaturiebant scaturigines cinciinnorum capillitii, quorum numerus est juxta vocem קודש, qui sunt quadringenti & decem illorum pili.

Ratio autem istarum Conformationum erat, quia vasa priora erant fracta. Nam arbor Cognitionis boni & mali est Basilia, sicut R. Schimeon ben Jochai multis in locis dicit. Nam cùm frangerentur vasa, & regnum primum destrueretur, hoc ipsum erat tempus mali, id est, judicia prævalebant, è quibus deinde facti sunt cortices: & circundabant regnum illud ex omni latere ad instar Oceani, quô terra circundatur. Ethic est Oceanus iste, qui subindigitatur in Sohar in libro Zeniutha, cum dicitur קולטרא בקטורא סנפיריא בשריבו i. e. Gibbus nodi ejus &c. Nam קולטרא idem est quod חמומורית i. e. gibbositas; quasi diceret: judicia tunc omnia congregata esse ad instar fasciculi cujusdam duri מקוטריא i. e. in nodo quodam (quasi recenseret partes serpentis istius, ubi post caput sequantur squamæ duriores gibbosæ, sibi invicem innodatæ; deinde autem) pinna in loco suo: quasi diceret: è duris illis ligaminibus extensionem fieri ad instar pinnæ piscis (quam in summitate tergi habet, quæ extensior est, & non usque adeò dura: ut sensus sit: judicia circunde disse Basiliam illam, & undiquaque inclusisse; nec tamen eandem potuisse penetrare, quia non erat fracta: unde eandem saltem incinxerint ab extra. Postquam autem extensus fuit Macroprosopus à capite suo cum exteris staturæ suæ membris usq; ad pedes suos, & pedes ejus pertingerent usq; ad vasa confracta, DEUS infinitus ipsi præcipiebat, ut conduplicaretur. Tunc Basilia adhærebat Gloriæ Macroprosopi; & aquas istas salsas deglutire volebat, ut dulescerent, quod tamen non profuit. Nihilominus vis illarum quadantenus fracta fuit. Et hoc est quod dicit Scriptura: Fregisti capita draconum in aquis Ps. 74 v. 13. ubi nomen תנינים defectivè scriptum est,

est, quasi diceretur: Confregisti capita illorum judiciorum, quæ se habent ut dracones super aquis, id est, antequam prævaluerunt, & cùm nondum facta sunt corpora, sed dum adhuc fuerunt aquæ, & cùm ambirent Basiliam, confregisti vim illorum & amarorem felleum & absinthinum. Quod si enim nacta essent structuram & corpus, conturbâssent totum mundum. Nihilominus cùm sic frangerentur vires eorum, aliquantum mitigatæ sunt, præsertim quod ad fœminam attinet, quæ opposita est Basiliæ, sive punctis regni Microprosopici: illa enim penitus mitigata est: sed nihilominus radix ejus manuit ex aquis salsis. Et hæc est fœmina illa, de qua dixerunt Sapientes nostri; quod sale condita sit pro justis in seculum venturum; quia cùm justus ex hoc mundo discedit, istis luminibus frui potest: in Paradiso: cùm non usque adeò sint subtilia, ut justus illis commodè uti queat. Sed masculus durior erat, nec mitigari poterat: nihilominus tamen castratus fuit, id est, cùm pisces magnam habeant ovorum quantitatem & seminis, unde multa piscium millia prodeunt: hinc iste castratus fuit, ne ova serpentina in mundum emergerent: cumque masculus iste castraretur, squamæ ejus aliquatenus mollescebant, ut fierent ad instar pinnarum. Et hoc est quod dicit R. Schimeon ben Jochai סנפיריא id est, pinna illius locô erat. Vox autem סנפיר numerô suô refert 400. & exhinc facti sunt quadringenti illi mundi desiderabiles, cum quibus correspondent quadringenti illi sicli argentei Abrahami, qui inferviebant ad mitigandam hanc pinnam masculi suprà dicti: quoniam illis speluncam emebat ab Ephrone, qui est serpens עפר terram comedens. Et עפרן numerô suô etiam refert 400, ut innuatur idem mysterium, quod ipsi sublatæ sint vires, & mitigatus sit per speluncam duplicem punctorum Leæ & Rachelis, quæ in septem Luminibus internis vasorum confractorum, & hinc omnis spelunca justorum habet figuram serpentis caudam ore tenentis, sicut ibidem traditur in libro Zeniutha, ad mitigandum venenum serpentis.

Ut autem redeamus ad propositum, ratione istius סנפיר de quo diximus, quod mitigatus sit tunc, cùm ascenderet cum Basilia intra gloriam Macroprosopi, prodierint illi quadringenti mundi desiderii præparati justis: sensus est, quod Basilia extensa sit intra Gloriam Macroprosopi in decem Numerationes; & quia ibidem etiam locum habet Sapientia cum Macroprosopo intimè unita, cui tribuitur nomen אב in quo sunt quatuor Jodin, quorum decades in decades ductæ efficiunt numerum quadringentorum istorum mundorum desiderii. Illa autem dicuntur mundi desiderii, quia hôc locô exorta est controversia illa, quòd Basilia desideraret Coronam propriam, quam ob causam etiam diminuta fuit: hinc isti mundi dicuntur mundi desiderii: ita ut hâc ratione dupliciter explicatum sit mysterium quadringentorum horum mundorum.

§. 184. Pater autem & Mater nullos planè habent capillos, quia iisdem non opus habent, sed latent sub influentia Macroprosopi, & ab ipso lumen accipiunt. Patri tamen barba tribuitur, octo habens partes; & huc pertinet dictum illud de barba Aaronis: ubi literæ initiales horum verborum: אשר יצא efficiunt octo; prout etiam octo fuerunt vestes sacerdotis magni.

§. 185 Quamvis supra dixerimus, quòd tres Numerationes Basilicæ simul con-

formaverint tres formas capillorum, frontis & oculi: nihilominus tamen à potiori sit denominatio, & capilli maximà ex parte facti sunt è lumine Gloriæ; & frons è maximâ parte luminis Victoriæ: oculi autem facti sunt in maxima parte fundamenti. Faciet tamen habetur pro re una & indivisa: & quamvis quædam ibidem sint partes, nihilominus tamen non sunt separatæ, & quarundam illarum planè non fit mentio, ut oris & aurium. Frons autem vocatur Voluntas voluntatum, quia plures numerationes Basilicæ ad illius conformationem concurrerunt, nempe præter gloriam etiam Fundamentum, quod vocatur רצון Benevolentia, & Victoria, quæ eodem nomine vocari solet: unde etiam in Libro Zeniutha dicitur de fronte: אתגלין Manifestatur, & non manifestatur per preces inferiorum: quia nempe plures Numerationes hic concurrunt. In fronte Microprosopi autem fulgent quadringenta tribunalia; sub mysterio quatuor Jodin Nominis עב, quæ in decades ducta efficiunt 400. siclos argenti. Per preces inferiorum autem intelligitur precatio pomeridiana Sabbathina: quia tunc manifestatur oculus apertus: & Gloria, quæ est oculus sinister, convertitur in Victoriam, quæ est oculus dexter: ibi enim tantùm unius oculi fit mentio; quia Amor in amore abundat. Et quia oculi illi sunt in Fundamento: hinc in Idra parva de oculo hoc aperto non dormiente simile affertur de piscibus maris: pisces autem referuntur ad Fundamentum. Cùm ergò dicitur in Libro Zeniutha: Visio aperta, quæ non dormit; intelligitur Fundamentum cum Victoria & Gloria, ut (vasis genitalibus) perpetuò conjunctum.

Dicitur autem non dormitare, ad oppositionem Microprosopi, qui à Festo Novi anni usque ad diem octavum Scenopegiæ dormitare dicitur: quali dicatur: Matrem illò tempore ab ipso tollere Victoriam suam cum Gloria & Fundamento, quæ sunt Cerebra Microprosopi: ita ut ipse maneat sine influxu.

Porrò additur: Visio inferior dependet à visione Luminis superni. Ubi per visionem inferiorem intelliguntur oculi Microprosopi, qui semper observant aspectum à Luce egredientè ex oculo non dormitante, ut subigere possit judicia & cortices.

§. 186. Conformatio septima est Nasus Senis cum duabus naribus, quam instituit regnum Basiliæ Adami primi, applicitum Basiliæ Macroprosopi. Duæ autem nares sunt Leah, dextera, & Rachel, sinistra. Regnum autem vocatur תורה Laus; quò pertinet locus Jes. 48. v. 9. quasi dicatur: Laude mea formabo nasum: ubi de naso Senis dicitur. In Solar autem vocatur פרשקא, id est, menianum (pars domus foris secus adjecta). Sicut enim Corona adhæret membro genitali in homine, ita Basilis hæc regni Adami primi, quæ conformabat nasum istum, applicatur fundamento, nec habet personam per se: quia mundus Emanativus iste à Microprosopo sursum vocatur mundus Masculinus: quia nulla ibidem apparet fœmina. Notum autem est, quòd nasus sit tractus literæ Vav, quæ est Fundamentum. Duo autem foramina istius meniani sunt Leah & Rachel, quæ constituunt Basilian: quoniam à radice נקב id est, foraminis denominatur נקבות id est, fœmina. Et quia Leah à Matre mutuò accipit nomen Tetragrammaton יהוה; hinc forma hæc vocatur יושכם nasus, in qua etiam extat numerus 63.

Vocatur פרשקא, quasi adjectio benignitatum ad Severitates. Benignitates enim

enim sunt, quatuor Tetragrammata בן סגי מה, quæ sunt in Masculo, עב in mundo Emanativo, סג in Creativo, מה in Formativo; & בן in Factivo: & sunt in Capite Macroprosopi, cujusque auribus, naso & ore: & summa eorum est 232. Severitates autem sunt plenitudines אלוה, quod est nomen Matris; & Joddatum exhibet 161. Alephatum 143. Hehatum 153. & in summa 455. Qui duo numeri simul additi efficiunt 687. פרדשקא autem efficit 685; & cum generalitate literarum & voce, 687.

Additur autem, quod *hinc spiritus excitetur pro omnibus*: id est pro omnibus mundis hinc oritur vita & anima.

§. 187. Septem autem istæ inferiores Basiliæ Adami primi, sunt Lux interna Non entis & Macroprosopi, quæ influxum in hos immittit sibi invicem junctos.

§. 188. Barba est Gloria & decus corporis superni. Ejus autem pili in Idra dicuntur duri, (sicut capillitium molle dicitur;) propter magnum diffluxum Luminis in Microprosopum, & sicut ex parte Cervicis Patrem & Matrem contegunt tredecim cincinni capillorum alborum, qui dependent à Capite Macroprosopi usque ad diaphragma, ut inde fiant capilli Microprosopi ex allisione Luminis: ita per mysterium istius barbæ demittentis radios suos, omnes copulæ fiunt, per duas influentias ejus superiorem & inferiorem, quæ sibi invicem superincumbunt ceu duo barbæ apices, ad foveam pectoris usque, ad instar maris & fœminæ: quæ copulæ inferiores tunc fiunt virtute Luminum & cerebrorum, quæ ipsis tribuuntur per hanc barbam. Cùm autem in Idra magna dicitur: Væ illi, qui extendit manum suam ad Barbam sanctam; partim illi intelliguntur, qui aliquid manifestant, quod non audiverunt à Magistro: partim qui perdunt semen Jisraeliticum, quia omne semen provenit à Cerebro, & Lux ejus manifestatur per barbam hanc: partim qui Lumen barbæ hujus à quatuor Personis sanctis avertit, per irrisionem & despectum: item si cor suum ad res inanes convertat, & in conventibus suis non agunt de rebus Divinis. Futurò autem tempore manifestabitur barba hæc, ut subigat cortices, eosque projiciat in foramen abyssi magnæ: quoniam omnes redemtiones ab illa dependent; sicut dicit R. Schimeon ben Jochai sect. Beschallach: Quod fissio maris rubri à Sene Sanctissimo dependeat, id est, Basiliæ seu Gloriæ cohabitantis, quæ vocatur mare, & à Matre superna accipit quinquaginta portas: dicitur autem mare inferum, & יסוף quasi mare finale, quia est finis omnium graduum. Et ipsa est virgo uteri angustissimi, & virginitas ejus semper redit post singulas copulas: non autem se habet, ut Mater superna, quæ in perpetua copula est. Unde diffindendus est locus iste, juxta mysterium maris fissi, ut pariat Messiam: & hoc dependet à Sene Sanctissimo. Illò autem tempore Messianò Lux magna excitabitur à barba ista; & hinc in Idra hæc barba vocatur: ריקנא דהדרא תושבחתא Barba illius laudis, quod est mysterium Cantici novi temporis futuri: & hæc est laus totius mundi Emanationis, quia ipsa est caput illuminans totam illam Emanationem. Vox autem שבח Laus est 320: & hi sunt trecenti illi & decem Mundi, de quibus passim.

Porrò etiam dicitur Barba מהימנותא שלימא Fides perfecta. Nam attributum Pulchritudinis dicitur Veritas, & Regnum vocatur Fides, & ipsa in veritate præstare po-

potest, quod cum fiducia ab illa expectatur, quia in manu ejus est remittere peccata: & hinc vocatur Barba fidei.

Ibidem etiam dicitur: quod in ea scaturiant tredecim scaturigines unguenti pretiosi &c. Ubi intelliguntur tredecim ejus formæ. Et hæ dicuntur scaturigines respectu barbæ Capitis ignorati, à qua scaturit omnis influentia. In Capite autem Non entis scaturigines istæ paulò sunt crassiores: in Capite Macroprosopi autem, in inferiora descendunt, juxta gradus suos. Sed in Microprosopo novem tantùm sunt; & quatuor reliquæ non semper in ipso sunt, sed certis tantùm temporibus pro necessitate inferiorũ.

§. 189. Tales tredecim Conformationes autem in omnibus tribus capitibus sunt, quæ simul sumtæ efficiunt טל 39.

§. 190. Barbæ autem Capitis primi nulla fit mentio, nisi cum Salomo de genio loquitur. Et de hac dicitur in Idra magna cum descendit de barba venerabili, summa, sancta, abscondita, & occultissima omnium, id est, cæterorum duorum capitum illud ipsum superinvestientium oleo pretioso sanctissimo in Barbam Microprosopi.

De Microprosopo autem in Sohar dicitur: quod cùm Barba hæc sanctissima in ipsum radiet, in Barbam ejus descendant tredecim scaturigines olei superni, ita ut in ipsa inveniantur viginti duæ formæ, quæ sunt tredecim formæ, quas accipit è supernis cum novem formis suis propriis. Et huc pertinent dicta illa mystica, in quibus occurrit particula בך In te, quæ exhibet 22.

Tredecim autem partes barbæ capitis secundi sive Non entis, traduntur in Prophetia Michæ cap. 7. v. 18. 19. 20. Ubi

Prima est: Quis Deus sicut tu? מי אל כמוך
Secunda: Tollens iniquitatem. נושא עון
Tertia: Et transiens super prævaricationem. ועובר על פשע
Quarta: Residui hæreditatis suæ? לשארית נחלתו
Quinta: Non tenuit in perpetuum iram suam. לא החזיק לעד אפו
Sexta: Quoniam vult misericordiam ipse. כי חפץ חסד הוא
Septima: Revertetur, miserebitur nostri. ישוב ירחמנו
Octava: Subjiciet iniquitates nostras. יכבוש עונותינו
Nona: Et projicies in profunda maris omnia peccata eorum. ותשליך במצולות ים כל חטאתם
Decima: Dabis veritatem Jacobo. תתן אמת ליעקב
Undecima: Misericordiam Abrahamo. חסד לאברהם
Duodecima: Quam jurasti Patribus nostris אשר נשבעת לאבותינו
Decima tertia: A diebus antiquis. מימי קדם

Tredecim autem formationes sive partes Barbæ Macroprosopi sive capitis tertii traduntur à Mose Exod. 34. v. 6. 7. hoc ordine:

Prima: Deus. יה
Secunda: misericors. רחום
Tertia: & gratiosus. וחנון

Quarta:

Quarta: Longus. ארך
Quinta: ad iram. אפים
Sexta: & multus misericordia. ורב חסד
Septima: & veritate. ואמת
Octava: servans misericordiam. נוצר חסד
Nona: millibus. לאלפים
Decima: ferens iniquitatem. נושא עון
Undecima: & prævaricationem. ופשע
Duodecima: & peccatum, וחטאה
Decima tertia: & purificando. ונקה

Sed tredecim formæ Barbæ Microprosopi quæ denotat Judicium; describuntur per revolutionem Alphabeticam אתבש sive Alphabethi inversi ex iisdem his literis dicti Mosis, hoc modò:

Prima. הך	Octava. טהג כחק
Secunda. גלפי	Nona. כתבומי
Tertia. פסלפט	Decima. טבת זפש
Quarta. תגל	Undecima. פובז
Quinta. זומי	Duodecima. פסלתץ
Saxta. פגש כחק	Decima tertia. פטוץ
Septima. פתיא	

Si quis igitur solus est, attributa hæc recitare non debet, nisi ordine hoc inverso: quia tota Lex non est scripta ordine suo; exceptis tredecim his attributis.

Alii autem ארך אפים in unam formam combinant; & deinde נוצר חסד id est, octavam rursus in duas dividunt.

David autem Psal. LXXVIII, 38. de illis ita dicit

Primò: Et ipse והוא
Secundò: Misericors. רחום
Tertiò: Propitiabitur iniquitati. יכפר עון
Quartò: Et non disperdet ולא ישחית
Quintò: Et multiplicabit, ut avertat iram suam והרבה להשיב אפו
Sextò: Et non suscitabit omnem iram suam ולא יעיר כל חמתו

Quæ sunt tredecim dictiones respectu tredecim luminum barbæ sanctæ: & dividuntur in sex gradus regni domus David.

Microprosopus igitur tantum habet novem formas, & Macroprosopus tempore benevolentiæ ipsi adhuc quatuor superaddit. Et huc pertinet mysterium benedictionis sacerdotalis, quare Sacerdos meditari tenetur, ut influxum derivet è capite albo Macroprosopi in Microprosopum; utque è novem faciat tredecim: & ex hoc in uxorem ejus, & sex illius gradus, ut ex istis fiant novem. Atque hinc in benedictione sacerdotali Num. VI. 24, 25, 26: inveniuntur tredecim Jodin; novem Vayin; & sex Heiin.

§. 191. De barbâ autem capitis ignorati & primi sic loquitur liber Zeniutha: דיקנא דמתימנותא לא אדכר *Barba veritatis nulla fit mentio*, i. e. tredecim conformationum barbæ capitis primi, quod non cognoscitur nulla fit mentio in lege, sicut mentio fit tredecim formarum capitis non entis in prophetia Michæ, & tredecim partium barbæ Macroprosopi in textu supra allegati Exodi. Et quia tredecim istæ formæ fundamentum suum habent in barba; hinc simpliciter dicit: Barbæ nulla fit mentio. Hanc autem appellat Barbam veritatis, quia oritur à pulchritudine, quæ in cognitione capitis ignorati: & ista pulchritudo ubique vocatur אמרת Veritas, sicut scriptum est Michæ VII. 20: *Dabis veritatem Jacobo.* Pergit autem textus:

גנין יהיא יקרותא דכלא *quia illa est dignitas omnium.* Sensus est, quod illa quasi sit anima, cæterarum tredecim formationum omnium, quæ in duobus illis capitibus inveniuntur. Et hinc etiam capite primo istius libri, Barba hæc vocatur Dignitas dignitatis, quia omnia radicantur in barba istius dignitatis sive capitis ignorati. Et quia caput hoc ignoratum est Basiiia Adami primi; hinc liber iste de barba hac loquitur in genere fœminino. Et quia est omni modo occultata prout anima intra corpus. Hinc nulla ejus fit mentio. Verba sequentia ita habent:

מאודנין נפקת בסתרא דבוסטא *De auribus procedit penes ambitum apertura.* Supra jam diximus, quod è nomine Tetragrammato סג factæ sint aures Adami primi: Et ab illis auribus procedunt tredecim conformationes sive partes Barbæ veritatis. Sed & porro ipse locus aurium describitur, nempe ambitus ille aperturæ auris סליק ונחית חד חוטא חיורא Ascendit & descendit filum quoddam album i. e. ubi ambitus auris finitur, quasi filum aliquod album primo ascendere incipit paululum à loco auris versus tempora: deinde hoc filum album iterum descendit penes aurem. Vox autem בוסטא est nomen mensuræ quasi à סוט quæ est apertura distantiæ inter digitum medium & indicem. Et pergit:

בתליסר מתפרש בקיורא *In tredecim distributur in dignitatem*, i. e. Ab hoc filo albo Barbæ capitis ignorati in quo in potentia latent tredecim formæ inferiores, istæ deinde descendunt, & actu distribuuntur in dignitatem, i. e. in caput ignoratum, & ab hinc in caput non ens; & abinde porrò in caput Macroprosopi. Unde tandem ulterior distributio fit in singula pro gradu cujuslibet. Alia quoque verborum horum expositio potest esse talis: quod nempe cum primò capilli Adami primi contegerent totam faciem ejus, & deinde tollerentur & reclinarentur post aures; hæc apertura faciei à capillo vocatur בוסטא ita ut ab auribus & sursum versus frontem in duobus temporibus procedat quasi filum album ambiens & ascendens à duobus temporibus sub initio crinium capitis, iterumque descendat suo ambitu usque ad partem inferiorem genarum.

Pergit autem: *De dignitate illa scriptum est* Jerem. II. 6: *Non transiit in eamas, nec habitavit homo ibi*, i. e. in barba hac veritatis non continentur tredecim conformationes Microprosopi: sicut ibidem continentur tredecim conformationes duorum capitum. Ratio hæc est, quia tredecim formæ Microprosopi ordine retrogrado concipiendæ sunt sub mysterio nominis מצפץ quod est Tetragrammaton Athbaschatum,

quo

quo denotantur judicia: In hoc autem capite ignorato nulla est retrogradatio, vel posterioritas; sed omnia sunt anteriora. Si autem quæratur, quomodo hoc in capite ignorato locum habere queat dictum istud: Notandum est, quod ibi sermo sit de terra, adeoque intelligi possit de regno Adami primi, quod est hoc caput ignoratum. Quia autem objici ipsi posset, quare scriptura Microprosopum, semel vocet marem, & semel hominem: hinc respondet dicendo: Homo extrinsecus, i. e. cum Microprosopus hic dicitur Adam sive homo, illud intelligendum est de illo ejus statu, quo jam exiit ex utero matris, ut copuletur cum uxore, juxta illud Genes. V, 2: Nam juxta dictum Sapientum nostrorum, ille, qui cælebs est, non vocatur Adam sive homo, cùm autem mas dicitur, intelligendum de eo statu, quo Microprosopus nondum exiit de utero Matris suæ. Et quia aliam sibi format objectionem, quare scilicet Propheta de mare adhibeat verbum transeundi, & de homine verbum habitandi: hinc respondet: Homo non continetur ibi; multo minus mas. Deinde etiam supra jam diximus, quod Microprosopus tredecim has conformationes accipiat à Macroprosopo per Patrem & Matrem: hinc dicit: Non transiit in illa mas, id est, Sicut mas ille, sive tredecim hæ formæ Microprosopo debitæ per Matrem transit. Porro sequitur:

בתליסר נבטיין מבוטין מתפרשין *Per tredecim scaturigines fontes distribuuntur*, id est, In tredecim his conformationibus omnia tria capita superna sibi æqualia sunt, ita ut unicuique horum capitum numerus iste competat semper, ita ut inibi sint tredecim pro necessitate corporis: Modo quod in capite ignorato dicantur scaturigines, quia scilicet scaturiendo abinde prodit omnis influxus. In capite non ente verò jam dicuntur fontes, quæ est natura paulo notior, ut aliquatenus appareant. Sed in capite Macroprosopi jam distribuuntur, id est, communicantur inferioribus secundum gradus suos; sed in Microprosopo ארבע בלחודוי אסתמכו quatuor saltem adjunguntur, id est, corpus non habet opus, nisi novem tantùm formis: quatuor autem non sunt perpetuæ in ipso, sed tantùm adjunguntur, id est, interdum accedunt pro necessitate inferiorum. Hinc porrò addit: Novem rigant corpus, id est, novem illæ formæ semper sunt in ipso, per quas influxus, vita & facultas atque vires dantur corpori.

§. 192. מקמי פתחא דאודנין שרי יקרין לאתתקן incipit dignitas formari. Jam incipit explicare omnes tredecim partes barbæ Senis Sanctissimi, & dicit, quod ante aperturam portæ aurium, id est, sub temporibus barba incipiat conformari. Ubi deinde pili barbæ pulchrè descendant in parte dextra & sinistra, usque ad initium labiorum. Et hæc est forma prima, quæ dicitur: מי אל כמוך Quis Deus sicut tu? Atque sic etiam prima pars barbæ Macroprosopi vocatur אל Deus. Hicsciendum est, quòd aures Adami primi factæ sint è nomine סג, quatenus est pars nominis עב. Aures autem Senis istius fiunt ab impressione, quam ibidem facit Adamus primus: id est, à duobus Hehin plenitudinis nominis סג. Hæc forma autem, quæ est אל, prodit è duobus Jodin plenitudinis duorum Hehin hoc modo: הוי הוי. Quod ergo dicit textus: Ante portam aurium dignitas incipit formari. idem est, quasi diceret: & forma prima, quæ est אל factæ sunt aures Senis.

In

In Idra autem magna de hac forma sic dicitur: *Initium Conformationis primæ est, quòd unus & triginta cincinni æqualiter tendant usq; ad initium oris.* Nimirum, quia à nomine סג, quod est in Intelligentia, excitantur judicia: hinc forma hæc, quæ est nomen אל prodiens è nomine סג evadit in judicium rigorosum. Et hinc cincinni pilorum ejus sunt unus & triginta, qui est numerus nominis אל, ut appareat, ibi esse judicium perfectum. Nihilominus tamen ipse locus, è quo procedunt unus & triginta illi cincinni, eadem mitigat: & tamen infra dicitur in eadem Idra magna: ואת אתכפיה Istud nomen אל inflectitur. Unde cognosci potest, quare hæc pars dicatur restitutio תיקון quia non est restitutio, nisi præcedat deterioratio: nimirum hôc ipsô intenditur mitigatio istius אל. Quin etiam confractio Regni, quod in Sene hoc restituitur per hoc nomen אל.

Porro in Idra magna dicitur: quod in quolibet cincinno inveniantur trecenti & nonaginta pili. Ubi scriendum, quod Microprosopus vocetur שמים id est, cœlum: quæ vox habet in se numerum 390: Illi autem cincinni lucem suam demittunt in Microprosopum ad dealbandos capillos ejus.

Porro scias quando eundem illuminant septem partes capitis supra dictæ, quæ sunt cranium, ros, menynx, frons, capillus, oculus & nasus, quod ibidem omnes coëant adinstar annuli, in quo est sigillum Regis: Et hoc est Jod illud, quod est in fundamento capitis ignorati. Et quia Jod illud, quod est sigillum hoc, habet figuram N; hinc in eo etiam sunt mille mundi juxta numerum vocis: אלף. Et hoc est illud quod dicitur ibidem: Et ex hac barba cognoscitur quicquid est de capite: id est, de capite quod ignoratur in mille mundis signatis sigillo puriſſimo. Et quia datur sigillum aliud, de quo suo loco dicetur; hinc porro dicit textus Idræ: *Sigillo, quod includit omnia sigilla.* Quasi diceret; hoc sigillum, de quo dicimus, in se continere omnes illas septem formas, quarum quælibet est sigillum per se. Hinc dicit: quod includit omnia sigilla. Alia quoque datur ratio mille horum mundorum. Quilibet enim cincinnus ex his 31. in se continet cæteros: hinc 31. ductum in 31. efficiunt 961; cui si addas nomen אל 31, efficiuntur 992; & cum tota compagine sigilli; item cum septem sigillis specialibus, omnia efficiuntur mille.

Porro ibidem dicitur: *Et per singulos cincinnos distribuuntur unus & triginta mundi;* per quos intelliguntur Numerationes, quæ in Basilia Senis: quoniam Basilia Senis applicatur ad tres Personas potentiales, id est, ad Fundamentum, Gloriam & Victoriam; quæ omnes unitæ sunt invicem. Singulæ autem includunt decadem; quoniam quælibet extensio in decadem vocatur Persona: hinc exurgunt triginta: & ipsa Basilia simul additâ, sunt 31. Quælibet autem Numeratio istarum Personarum vocatur Mundus: quia ibidem radicantur sexaginta mytiades animarum, quibus descendendum erat in mundum Creationis, ubi est locus animarum; postquam peccavit Adam Protoplastes.

Et pergit Idra: *Fortes dominantur, ut extendantur (recta) non in hoc nec in illud latus,* id est, Mundi illi, qui distribuuntur è potentia unius & triginta cincinnorum, qui in nomine אל, quò denotatur judicium rigorosum, sunt Mundi fortes, impetuosi cum violentia annitentes, & huc illuc commoti, donec extendantur per lineam mediam, quæ temperat & mitigat judicia cum Benignitatibus. Non igitur extenduntur in latera sive in dextrum, sive in sinistrum. Quinam autem sunt potentes illi, qui dominium habent super mundos istos? nimirum Jodin plenitudinis literarum He in nomine Tetragrammato סג.

Addit autem & porrò textus: *Et quilibet horum mundorum dividitur in mille mundos desideriorum magnaque voluptatis.* Sensus est hic: ex uno & triginta illis Mundis conceptus nominis סג, quod est in singulis litera Aleph portionem quandam contribuit pro mille mundis desiderabilibus in voluptatem magnam: quasi diceret, hos esse mundos retributionis, ubi voluptate fruantur justi in mundo venturo, qui refertur ad Intelligentiam, sicut notum est. Nomen autem סג ad Intelligentiam pertinet. Et quia omnia desiderant, & appetunt mille hos mundos, in quibus est voluptas magna: hinc dicit: quemlibet illorum mundorum dividi in mille mundos desiderabiles magnæque voluptatis. Quòd autem dicit: ex quolibet mundo divisio fit &c. hunc habet sensum, quòd ex una quadam parte singulorum illorum mundorum divisio fiat in mille mundos: nempe ex intelligentia, quæ est mundus venturus.

Porrò autem additur: Et omnes occulti sunt in initio barbæ, &c. Sensus est, omnes illos mundos occultatos delitescere in potentia principii hujus barbæ: i.e. in forma hac אל, quæ illorum radix est. Et hoc est illud, quod porrò additur: quod includit robur. Ubi sensus est; hoc nomen אל, quod est robur includere omnes.

Jam sequitur: *Nihilominus hoc nomen* אל *inflectitur in miserationes Senis dierum.* Quæ sunt septem partes Capitis supradictæ, contentæ in Sigillo puriſſimo: & omnes in uno cumulo fulgent ante portam aurium, illô locô ubi incipit hæc barba.

Porrò sequitur: *Sedit in loco suo, ut non dominetur.* Id est: quamvis libri judiciarii asperi sint: nihilominus judicium residet in loco suo: nec prodit è potentia in actum; quia judicia hoc in loco nullam habent vim dominandi ob rationem, quam textus mox addit: Quia nempe nomen hoc אל mitigatur & dulcescit per barbam sanctam Senis dierum: quia locus, cui adhærent cincinni illi, eosdem temperat, ob septem partes capitis lumen huc emittentes. Et quia septem illæ partes capitis incipiunt ab attributo benignitatis, & porrò deorsum; qui sunt septem dies Creationis: hinc septem illæ formæ Capitis vocantur Senex dierum.

Sequitur in textu: *Hoc ipsum est, quod scribitur Jesa. 9. v. 15. Mirabilis, consiliarius,* אל *fortis.* אל *qui est fortis mitigatur.* Sensus est: Vox אל mirabilis per metathesin est אלף i. e. Senex iste dierum, à quo procedunt decem illi mundi desiderabiles supra descripti, consulit nomini אל forti: i. e. dulcificat & temperat illud.

Mundus primus, qui prodit è conformatione prima. Id est, è Jod fundamentali nominis סג ipso. Dicit autem, quod exeat: quia initio delitescebat in potentia principii barbæ: jam verò prodit de potentia in actum, & deorsum descendit. Porrò dicit: *Dominatur.* Quia in quolibet mundo est dominium peculiare, quod in altero mundo non est.

Et pergit: *Ascendit in millies mille myriades myriadum scutatorum.* Ubi per scutatos intelliguntur potestates illæ procedentes ex his cincinnis in nomine hoc אל existentibus. Quod est mysterium trium nominum אל: quia tantùm tres sunt. Eò quod radix eorum proveniat è tribus Jodin. In quolibet autem Jod plenè scripto hoc modo יוד est figura Aleph: ita ut Jod sit supra lineam mediam obliquam, ipsa hæc linea sit Vav; & infra hanc lineam sit Daleth. Nomen אל autem ter sumtum efficit 93, qui est numerus vocis מגן i. e. scutum, quod in Targum dicitur תריס. Unde patet, quod in qualibet harum potestatum procedentium ex illis sunt tria nomina אל. Et illa mitigantur, quia continentur in Sigillo magno, in quo est influentia, quâ fruí, & qui temperari possunt Judicia. Dicit autem textus: מאחזין בקסטא בעוקא Continentur in alimentatione sub sigillo. Nam cum Genes. 42. v. 27. in Hebraico dicitur לתת מספוא ad dandum pabulum: Targum habet: לסיובי קיסטא eodem significatu. Sensus igitur est hic, quod isti ceu ministri ejus armigeri applicentur ad penuarium illius, ubi est pabulum, id est influxus: hoc autem est in sigillo magno; quod est sigillum illud purissimum, de qua supra; & quia continet totum sigillum supra dictum, hinc vocatur sigillum magnum.

Mundus secundus qui prodit ab illa conformatione, id est, à יוד plenitudinis הי primi plenitudinis סג: *ascendit in summam quinquaginta septem millium graduum, qui sunt Domini vociferationis.* Jam notum est, quod forma hæc prima fiat ex attributo Basiliæ: in qua est Tetragrammaton יהוה nominis סג. In regno autem sunt gradus, i. e. sex gradus throni. Hinc quicquid ab illo descendit, vocatur nomine graduum. Et quia numerus Nominis יהוה est 52. hinc si 4. ejus literas addas cum conceptu totius, exurgunt 57. unde 57000. illi gradus. Vel alia quoque hujus numeri est ratio: quia gradus isti fiunt à duobus nominibus אל יהוה, quorum summa est 57. quia scilicet Nomen hoc אל mitigatur. Dicuntur autem *autores vociferationis*: quia judicia intelliguntur per vociferationem: & vociferatio pertinet ad Uxorem; sicut scripcum est: Jud. 5. v. 28. Et vociferata fuit mater Sisera: &c. hinc etiam dicitur דבורה fœminino genere. Et dicuntur Domini vociferationis; quasi dicantur dominium habere super illa judicia, quæ vocantur vociferatio, ne habeant vim operandi nisi supra modum præscriptum. Porrò autem dicitur, *quod ab eo continentur*: id est: quod hæc judicia vociferationis, postquam mitigata sunt, adhæreant & applicentur Nomini יהוה אל. Pergit autem textus & exponit in quem usum illa inserviant: & dicit לאסיאה בקורלא *ad supprimendum cervicem cardui*: id est, ad ferienda judicia quæ sunt in cervice corticis: quoniam locus ubi rigorosissima sunt judicia est cervix. Corticem autem vocat cardum: quia sicut cardus est rotundus; ita & cortex omnia in sese colligere & in sese volvere vult.

Mundus tertius, qui prodit ab illa Conformatione, i. e. à Jod plenitudinis He ultimi Tetragrammati סג: & quia hoc He ultimum est conceptus Basiliæ, id est, Nominis אדני; hinc in mundum hunc Factivum dominium habet Nomen אדני אל, cujus numerus est 96. Et hinc sub dominio ejus sunt nonaginta & sex millia ejulatores. Si autem

autem quæras, quare sint 96000, cum tantum esse debeant 96? respondetur: quod א plenitudinis ואו Tetragrammati סג semper comitetur omnia illa Jodin; & propterea sunt millia. Et si porrò quæratur, quare in mundo primo sint tam multa millia? & non totidem etiam in cæteris mundis? respondetur: quod Aleph literæ ואו cum conjungitur cum Jod radicali Tetragrammati סג duos habeat gradus: nempe unum, ratione sui ipsius, quatenus nempe in se habet יוד & alterum quod in se habeat יוד radicale: hinc multiplicantur Alephin, sive millia. In cæteris autè duobus mundis in unum tantùm conscendit gradum, quod nempe sit medium inter duo Hehin, hoc modo: יוד. הי. ואו. הי Utitur autem nomine מארי דילדד i. e. domini ejulationis, ut intelligatur judicia rigorosissima. Applicantur autem & adhærent nomini אדני אל quia notum est, quòd pedes Basiliæ descendant in mortem usque; & cortices circumcirca ipsi adhæreant, & ab ea influxum accipiant. Porrò autem dicit textus: Comprehenduntur ab eo, ut forcipe stannum. Id est, isti ejulatores sic applicantur nomini אדני אל, & tàm fortiter, sicut & forceps apertura dentium suorum ferreorum apprehendit stannum, ut in ipso relinquat signum; quia stannum mollius est ferrò: ita ejulatores isti adhærent dicto nomini, ut ipsi imprimant vestigium: i. e. ut ab ipso suum usum habeant. Vox autem טסיטא denotat aperturam tantæ amplitudinis, quæ intercedit inter indicem & digitum medium. Vox autem קיסטריא denotat stannum: sic enim Targum Hierosolymitanum Sectione Matthoth ad Num. 31. v. 22. exponit nomen בדיל. Pergit autem textus: *Et ab hac Conformatione subiguntur omnes, & mitigantur in amarore lachrymarum*, quæ mitigantur in mari magno i. e. in Regno Senis. Sensus est hic, quod à Benignitatibus, quæ in hac forma existunt, omnes illi ejulatores supprimantur. Meminit autem lachrymarum; quia Basilia magnò dolore afficitur, quod cortices ipsâ fruantur: & DEUS Sanctissimus & benedictus i. e. Microprosopus (si fas ita dicere) plorat, sicut scriptum est Jerem. 13. v. 17. In occultis plorabit anima mea. Et demittit duas lachrymas, quæ proveniunt ex literis succedaneis nominis אהיה; quæ sunt duo nomina, מ מ quod est nomen magnum, in quo continetur mysterium duarum lachrymarum descendentium à Microprosopo per illius Victoriam & Gloriam, in mare magnum i. e. in Basilian. Et in illa amaritudine lachrymarum; i. e. in illo judicio, quod occultatur intra nomen מ מ i. e. in Victoria & Gloria Fundamenti Materni, subiguntur judicia & cortices, qui circumcirca adhærent Basiliæ, ne damnum inferre queant huic Basiliæ. Et fletus iste contingit nocte mediâ, cùm rigorosissima sunt judicia. Dicit autem; quod mitigentur in mari magno: quasi diceret: illam amaritudinem lachrymarum temperari per Victoriam & Gloriam in mari magno.

Porrò dicit textus: *Quis est, qui videat Conformationes Barbæ Sanctissimæ excelsæ, venerabilis, qui non pudore suffundatur ab illa?* i. e. Quis est ille ex omnibus ministris judicii, & ex omnibus corticibus, si videat splendorem provenientem à vehementi Lumine Barbæ istius sanctæ; qui non pudefiat coram illa. Barba autem hic vocatur excelsa in antithesin barbæ Microprosopi, quæ non vocatur excelsa. Et hîc intelligi-

tur

tur Sapientia Coronæ. i. e. Caput non ens. Dicitur quoque יקירא honorata sive venerabilis, quia quasi vestis est honorata & magnifica, de quo suprà jam dictum.

Porrò sequitur in textu: *Quis videt apocypsin cincinnorum capilli dependentium ab hoc Sene:* i. e. quis est, qui videat mysterium, quod occultatum est intra cincinnos capilli, qui sunt גדילין pili longi, item mundos illos, qui ab illis prodeunt virtute Tetragrammati סג in ipsis occultati. Quoniam omnes illi cincinni ab illo proleunt & dependent à Barba Senis istius, qui vocatur סבא decrepitus.

Sequitur in textu: *Qui sedet in Corona Coronarum, in Corona omnium Coronarum,* &c. Ubi notetur differentiam esse inter Coronam Coronarum, & Coronam omnium Coronarum; per duas enim Coronas illas, quæ ubivis occurrunt, intelliguntur quinque Benignitates & quinque Severitates, quæ vocantur Coronæ sive Diademata vel cinctúræ juxta sensum dicti illius 1. Sam. 23. v. 26: Saul & viri ejus עטרים Circumdabant Davidem: ut sensus sit: illas circumdare Personam. Nam quando descendunt in Microprosopum, ipsæ cingunt caput ejus ad instar diadematis: & ambiunt eum sub mysterio Lucis ambientis: nimirum Benignitates à dextra; & Severitates à sinistra. Radix autem duarum harum Coronarum provenit à Sene isto. Cùm igitur dicitur: Sedet in Corona Coronarum; tunc intelligitur residere in medio radicis Severitatum. Et quia Benignitates magis unitæ sunt invicem: hinc eædem vocantur Corona in singulari: sed Severitates, quia non unitæ sunt invicem, vocantur Coronæ in Plurali: unde non dicitur: Corona Coronæ; sed Corona Coronarum. Hæ autem severitates in Sene ista omnes sunt Benignitates; modò quod sint pars sinistra Benignitatum.

Porrò dicitur de Coronis istis: quòd non comprehendantur in Coronis: h. e. quòd illæ Coronæ suprædictæ i. e. Benignitates ac Severitates Senioris hujus per se non contineantur in Coronis descendentibus in Microprosopum & Uxorem ejus: quia Pater & Mater accipiunt Coronas à Macroprosopo, & eadem deinde communicant Microprosopo & Uxori ejus: quia istæ severitates in Seniore hoc omnes sunt Benignitates, & descendunt de gradu in gradum, ita ut Microprosopus eas non immediatas accipiat à Seniore ipso.

Deinde pergit dicendò: *Quod sint Corona aliis Coronis non similes: quia Coronæ inferiores continentur ab istis.* Sensus est: istas Coronas Senioris hujus non dependere à Coronis aliis se superioribus; ut faciunt Coronæ inferiores; nimirum in Capite Macroprosopi, & Microprosopi & uxoris ejus, quæ dependent ab illis Coronis Senioris hujus se superioribus.

Ulterius pergit textus: *Et propterea ista Conformationes sunt tales, in quibus inferiores comprehenduntur:* i. e. quia Coronæ inferiores comprehenduntur ab illis; hinc etiam Conformationes inferiores ab illis comprehenduntur.

Postea dicit: *Hæc conformatio talis est, ut eâdem conformetur ille, qui Benedictione opus habet, quique capit benedictionem:* i. e. istæ Conformationes Senioris hujus sunt eædem Conformationes, quæ in Microprosopo sunt, cùm iste Benedictionem desiderat ab hoc Sene Sanctissimo, à quo omnes Benedictiones procedunt, sicut dicitur infrà

in hac Idra magna. Et quare Microprosopus opus habet, ut ipsi benedicatur? Ut benedictionem accipiat, qui benedictionem desiderat: i. e. Basilia, quæ nihil habet à seipso. Tunc enim Microprosopus accipit quatuor Conformationes à Macroprosopo, quæ dependent ab istis dispositionibus hujus Senioris; quæ superadduntur novem illis formis ipsi propriis; ita ut accipiat tredecim formas, sicut Senex ipse. Ethinc dicitur: *Hæ sunt dispositiones, quibus conformatur,* scil. Microprosopus, cum desiderat Benedictionem à Seniore hoc: Tunc enim ipse opus habet, ut conformetur ipse quatuor istis formis: & deinde petitionem Ecclesiæ Israeliticæ adimplet, eidemque benedicit.

Et postea dicit: *Quandocunque enim Conformationes sunt ad instar harum, Benedictiones inveniuntur ad instar harum: & sit quicquid sit, Omnia comprehenduntur istis dispositionibus,* &c. Jam rationem dare conatur, quomodo benedictio dependeat à Conformationibus: dicitque: Quandocunque conformatur Microprosopus eodem modò, prout conformatus est Senex iste, & ad similitudinem ejus, quoad ejus fieri potest: tunc Benedictio descendens à Sene hoc in Conformationes istas Microprosopicas demittitur, pro ratione dispositionis & exsuscitationis inferiorum. Quod autem superaddit: Et sit illud, quod sit: hunc habet sensum; quòd à descendente hac Benedictione id præbeatur inferioribus, quo isti digni sunt: secundum opera sua.

Porrò additur: Omnia eriguntur ut accipiant dispositionem hanc Regis fortis à Sene occultissimo omnium. Sensus est: quod omnes mundi egentes Benedictione stent & erigant capita sua cum attentione & devotione cordis, ut accipiant Benedictionem similem Conformationibus Microprosopi: qui est Rex fortis cum conceptu uxoris suæ: hi enim intenti sunt, & desiderant tredecim Conformationes Occultissimi omnium: i. e. Senis hujus, qui est Caput Non entis. Et hoc est, quod dicitur: Ut accipiant Conformationes Regis fortis à Sene Occultissimo omnium. Sensus est: quod robur istorum judiciorum hujus Senis certis temporibus exsuscitetur, & Microprosopus atque Uxor ejus per illud disponatur juxta Conformationes Occultissimi omnium: tunc omnes incurvati sub corticibus capita sua erigunt, juxta illud Psal. 145. v. 14: Dominus erigit omnes incurvatos. Nota autem, quòd ubicunque occurrit mentio Regis, nemo intelligatur quam Microprosopus. Et Fortitudo sive robur & vehementia eidem tribuitur ratione uxoris suæ in ipso comprehensæ. Nam omnis vehementia est judicium; & hoc est uxor ejus.

Et omnia mitigantur à conformationibus istis Regis Senis Occultissimi omnium. Hic per Regem intelligitur Microprosopus: & per Senem Caput Non ens.

Porro subjungitur: *Si Senex senum, Sanctus Sanctorum non disponitur,* &c. Hic intelligitur Adam primus, qui hoc nomine vocatur. Quamvis enim & Caput non ens vocetur Senior seniorum: nihilominus Sanctus Sanctorum nonnisi Adam primus vocatur ob eminentissimam ejus Sanctitatem atque excellentiam: quoniam omnis virtutum horum Capitum ab ipso est? Et quia hactenus nulla alia facta est mentio, nisi tredecim saltem Conformationum trium saltem Capitum & Microprosopi atque Uxoris

ejus; unde videri posset, Adamum primum nihil habere commercii cum mundo Emanativo; hinc subjungit, rem ita se non habere, dicitque: *Nisi conformaretur istis formis, nec superaniveniretur nec infera*; quasi diceret: Nec formas trium Capitum supernorum, nec formas Microprosopi & Uxoris ejus ceu inferiorum, repertum iri.

§. 193. [Per tredecim has formas barbæ etiam explicatur id, quod dici solet de tredecim fluminibus Balsami purissimi Sanctorum, quæ pertinent ad Seniorem mundi Creationis, & quorum sæpius fit mentio. Nam septem gradus inferiores Basiliæ Emanativæ, sunt Senex dierum mundi Creativi, & septem inferiores Basiliæ Creativæ sunt Senex dierum mundi Formativi.]

§. 194. Et pergit textus Idræ: *Omnia essent quasi non essent*, i. e. non tantùm formæ istæ deficerent, sed tota quoque essentia, & vasa mundi Emanativi non extarent, nisi Adam primus conformaretur istis formis: quia Adam primus post fracta puncta priora redintegratus est è Corona Coronæ per extensionem Infiniti. Unde patet, quod radii Lucis ipsius Coronæ fulgeant in Adamo primo, & virtute ejus conformata sint tria Capita, & omnia reliqua inferiora.

Et pergit textus Idræ: *Quousque splendent istæ Conformationes Barbæ*, scil. Adami primi? Et respondet: *usque ad tredecim inferiores*, i. e. usque ad Microprosopum & Uxorem ejus. Ratio autem, quam adducit è traditione extraordinaria, eadem est, quam nos adduximus: quod nempe omnis vita & vigor formarum superarum & inferarum, ab hoc provenit.

Et sequitur in textu: *omni tempore, cum tredecim conformationes reperiuntur, istæ splendent*. Id est: quandocunque tredecim formæ trium capitum & Microprosopi atque uxoris ejus reperiuntur in perfectione suâ, eum scilicet inferiores bonis operibus student, & formationes supernas magna vi in se eliciunt: tunc splendent istæ, quæ in Regno Adami primi: quia inferiores quasi aquæ fœminæ (sine illecebræ) sunt respectu Adami primi. Pergit Idra: *Omnia sunt in numero illarum tredecim*. Sensus est hic: Ne existimes, in Adamo primo non esse tredecim formas, ut in aliis; eo quod omnia in eo sint forma una ob eminentissimam illius unitatem, & quod filum Infiniti in ipso locum habeat; unde etiam de formis ejusdem nullibi in Lege facta sit mentio: non, inquam, ita se res habet: sed numerus illarum tredecim formarum etiam in Adamo primo est.

Et sequitur: *Reperitur, quod Barba Regis*, &c. Id est: Ex hinc discimus & colligimus, quod Barba Adami primi, qui vocatur Rex, quia de Regno ejus & Senex vocatur Rex, tota simul sit occulta.

Mox autem subjungit: *Quænam barba autem manifestatur? Barba Sacerdotis magni summi*. Hic intelliguntur duæ formæ Barbæ Macroprosopi, id est, duo capita superna, quæ in ipso sunt: Nam barba Capitis quod ignoratur, non manifestatur, ut dictum est, quia illud pertinet ad ipsum Adamum primum; & est regnum illius; ut jam exposituum est.

Pergit Idra: *Et de hac barba descendit in Sacerdotem magnum inferiorem*. Hic intelligitur Microprosopus. Durius enim ipsi videtur quod Senex ille vocari debeat Sacerdos

dos magnus, unde subinnuit non ipsam barbam tredecim formarum intelligi per barbam Sacerdotis magni, sed quatenus influit in barbam aliam, quæ octo formas habet, præter tredecim illas supradictas. Et illarum respectu Sacerdotimagno inferiori octo tribuuntur vestes. Et hoc est illud, quod subnectit: octo formas habet Sacerdos magnus, id est, terrenus ille octo habet species vestium Sacerdotalium, quarum quilibet est typus quidam Microprosopi, qui est Sacerdos magnus inferior; & similiter habet octo additamenta supra tredecim conformationes, quibus seni similis est, quamvis non perpetuò in illo sint, ut in Seniore; sed tantum illo tempore, cum Senex iste easdem in illum demittit: quod tunc accidit, cum Sacerdos magnus terrenus officio suo Sacerdotali fungitur exactissimè, & Israëlitæ bonis operibus abundant; quæ tunc aquæ fœminæ (si velliecebræ) stimulantes gradus sublimes, ut à Seniore illo Influxus descendat in Microprosopum; & à Microprosopo influentia deveniat in Sacerdotem magnum terrenum.

Et porrò inquit: *Hoc ipsum est illud quod scribitur: Psalm. 133. v. 2. Sicut oleum optimum super caput, descendens super barbam, barbam Aharon, quod descendit secundum naturam attributorum ejus*, &c. Sensus est hic: *Sicut oleum optimum super caput*, id est: sicut influentia optima quæ est in Seniore; quoniam ad hunc pertinet nomen Olei: oleum enim est Sapientia, quæ est Senior hic: *descendens super barbam* Microprosopi; & à Microprosopo descendit super *barbam Aharonis* terreni, *Secundum proportionem attributorum* Microprosopi: quasi dicat: qui formatus & ornatus est octo conformationibus ut Aharon, Sacerdos magnus. Atque hinc apparet, quare vox barbæ bis repetatur.

Mox autem pergit: *Unde nobis hoc?* quod barba primo loco posita in dicto Psalmi, intelligenda sit de Sacerdote magno supero; & barba Aharonis intelligenda sit de Sacerdote magno terreno: quodque cum Sacerdos magnus inferior in perfectione est, etiam Sacerdos magnus superior in perfectione sit? Rationem igitur adducit è dicto illo: Habitare fratres etiam pariter. Ubi vox גם etiam significationem auget; ut sicut Sacerdos magnus inferior fungitur officio suo Sacerdotali; ita etiam, si ita dicere fas est, sit Sacerdos magnus in supernis, qui suo fungatur Sacerdotio magno. *Hæc est conformatio prima Barbæ Senis occultissimi omnium*, quæ venit à Capite quod non est: & consistit in verbis illis supra adductis: מי אל כמוך: quis est, ô Deus, sicut Tu? Et hæc forma descripta est à R. Jizchak discipulo R. Schimeonis F. Jochai.

§. 195. Hæc est forma אל quæ est in regno Non entis; derivata à regno Capitis ignorati, & circumdata à regno Macroprosopi & ab illo extrinsecus vestita. Et quia forma hæc est in Regno, & Regnum vocatur אל, hinc magna pars Angelorum, & præsertim illi qui ad Regnum pertinent & ab eo influxum accipiunt ut sunt Arelim, nomina habent in אל finientia: & hæc est pars אלין, è nomine אלהים, quia Regnum etiam vocatur אלהי.

§. 196. Jam explicanda est Conformatio secunda, quæ dicitur נשיאה עון Tolens iniquitatem. Et est forma altera Capitis Non entis; sitque è fundamento Senioris. De hac forma in Libro Zeniutha ita dicitur: *מראה ישיאה לראה ישאה Ab hoc principio in illud principium.* His verbis indigitatur pars barbæ secunda; quæ pro-

cedit ab uno principio oris usque ad principium oris alterum: & hi sunt pili illi, qui mystax dici solent. Et quia de forma hac pluribus agitur in Idra magna ad illam iterum convertemur.

Dixit igitur R. Schimeon ad R. Chiskijah: *Surge R. Chiskijah, & siste te in statum tuum* i. e. ne obliviscaris præceptorum illorum singularium, nominumque quæ tibi tradidi: nec timeas, nec terrearis, sed accingete ad formam hanc, & deprædica dignitatem partis cujusdam Barbæ sanctæ. Surrexit R. Chiskia, incepitque & dixit (Cant. 7. v. 11.) *Ego dilecti mei, & super me desiderium ejus: Quis in causa est, quod ego sim dilecti mei, qua super me est desiderium ejus?* Quasi diceret: Quis est causa, quod ego, i.e. Ecclesia Israëlis, cui tribuitur nomen אני Ego, sim dilecti mei: i. e. quod Senior ille mecum agat secundum amorem dilecti, tollat q; iniquitatem meam, & demittat in me Benedictionem? Quia super me est desiderium ejus, i. e. quia fundamentum Senioris hujus influxum in me demittit. Quoniam fundamentum ubique vocatur תשוקה desiderium; quia desiderat influxum demittere in Regnum; item, quia vox תשוקה habet summam 811. & eum literis suis quinque 816. Et sic etiam fundamentum dicitur צדיק justus, & compositum est è quatuor ventis nomen autem צדק quater sumtum, etiam habet numerum 816.

Sequitur in textu: *Intuitus sum:* quasi diceret, se contemplatum esse totam compagem staturæ, (personæ illius, de qua sermo erat) & vidisse formam hanc secundam. Hinc pergit: *Et ecce vidi lumen dignitatis*, i. e. vidi formam barbæ, quæ vocatur dignitas: quod erat contectum *lucernis supernis*, quæ sunt pili, qui splendent ad instar lucernarum. Et hæc forma splendebat & ascendebat in trecenta viginti quinque latera, i.e. Forma hæc, quæ est Fundamentum, immittebat guttam Benignitatum intra Basiliam, in qua sunt trecenta & viginti quinque judicia rigorosa: i. e. conceptus quinque Severitatum: quia nomen אל quinquies sumtum efficit 325 judicia rigorosa; quæ ibidem sunt in ordinem redigenda: & hinc vocatur תיקון i. e. restitutio, ordinatio. *Et calyo quadam lavabatur ibo Lumine*, i. e. illa potestas judicii rigorosi, quæ vocatur חשוך i. e. obscura quædam spurcities, & fit ex illis 325 judiciis, *lavabatur*, i. e. temperabatur & mitigabatur ista Conformatione, quæ vocatur lumen dignitatis. Numerus autem iste hinc oritur: quia in Microprosopo sunt 320 judicia, i. e. triginta duo nomina אלהים, quæ pertinent ad Sapientiam, quæ est Jod radicale nominis Tetragrammati: unde triginta duæ hæ semitæ Sapientiæ descendunt in Microprosopum: unde si triginta duo multiplicentur per decem, oriuntur 320 judicia, è triginta duobus nominibus אלהים operis creationis. Et descendunt in Fundamentum Microprosopi; Fundamentum autem eadem immittit Basiliæ, ubi si radix Severitatum i. e. literæ מלכים quæ sunt quinque Severitates, priori numero addantur, liquet, quod in Basilia sint 325. Et si Microprosopus & Uxor ejus simul copulentur per Fundamentum Microprosopi, jam in ipso inveniuntur 320, & 320 in Uxore, quæ efficiunt 640, juxta vocem תמר i. e. palma, quæ est mas & fœmina; item juxta nomen שמש, quod habet significatum Solis, & connotationem copulæ maritalis.

Pergit

Pergit autem textus: *Sicut ille qui lavatur in illo fluvio profundo, cujus aquæ dividuntur & lucent atque dimanant quaquaversum*; id est, sicut Microprosopus, cujus judicia mitigantur ab aquis in eum effusis è fundamento Matris, quæ vocatur fluvius profundus: & aquæ ejus, id est, benignitates variè distribuuntur & splendent atque dimanant in omnes partes intra corpus Microprosopi, id est, in 248. membra, & 365. venas ejus. Ita lavatur ista potestas judicii rigorosi Basiliæ à Fundamento, quod in Microprosopo est, id est, à sex partibus corporis, quæ in Seniore.

Et pergit: *Ex eo, quod supra eum est.* Hoc ipso exponit, quô ex locô fluvius iste profundus descendat: nimirum è Matre, quæ supra ipsum est. Et quia Microprosopus incipit à septem inferioribus, nimirum à benignitate & porrò deorsum; hinc intelligentia denotatur, quæ Benignitate proximè superior est.

Porrò sequitur: *Et Lumen illud ascendit ad littus maris superi profundi.* Id est, postquam obscuritas hæc mitigata est per istam conformationem: tunc per modum Lucis reflexæ rursus ascendit, & circundat pilis labium oris superius, quod est conceptus Basiliæ Senioris istius: sicut notum est. quod os Regnum denotet. Basilia autem hæc vocatur mare superum profundum. Quare autem ambit labium? Ne pili, qui denotant judicia colligantur in locum unum.

Et pergit: *Omnes enim portæ bonæ & dignitates in illam portam aperiuntur.* Id est, omnes pili, qui sunt portæ Intelligentiæ, quæ in Seniore hoc bonæ sunt, & dignitates ille, id est, conformationes Senis influentiam à pilis & formis his in inferiora demittentes, per portam hanc Basiliæ sese evacuant.

Mox sequitur: *Dicebat autem R. Schimeon* האירא אתבסים עלמא *jam mitigatus est mundus*: id est; nunc cum R. Chiskijah hanc formam explicuit, atque dixit, quod caliginosum illud temperatum sit, hoc ipso obscuro antea lumine mundus in mitiorem statum redactus est. Et quia per illum dulcis & blanda hæc natura à Basilia Adam primi deducta erat, & hic vocatur Senior Seniorum; hinc ipsi benedicebat R. Schimeon, inquiens; *Benedictus sis tu R. Chiskijah à Sene Senum*: ubi intelliguntur septem illi dies, qui vocantur Senex dierum, per quem benedictio in mundum hunc emanat.

Et porro dixit *R. Schimeon: Omnes radii conduantur, quicunq; veniunt in sigillum hoc sanctum.* Hic Senex dierum vocatur Sigillum sanctum, quia in illo fulgent septem illæ formæ, quæ sunt, cranium, ros; menynx, frons, capillus, oculus & nasus; quas Adam primus efformavit in Sene isto; quæ omnes congregantur in loco isto sub forma annuli, in quo est sigillum Regis, id est יסוד, quod in fundamento Capitis ignorati, de quo supra. *Testes super me invoco cœlum & summis summum*, id est, Microprosopum, qui vocatur cœlum: *& terram sanctam, summam è summis*, quæ est Basilia sanctissima, uxor Microprosopi, quæ vocatur Terræ nomine.

Quod nunc videam de facie ad faciem Caput Senis dierum cum Barba luminum ejus & literas illius, in visione & non in ænigmatibus; quasi corpus cum anima absque ulla extensione materiali, & impertentitus: *quod nemo hominum vidit ex illo tempore, quo Moses altera vice ascendit in montem Sinai.* Nam à lumine hoc anima ejus elevata fuit

veram antithesin sensûs illius contenti in dicto Psal. 143. Sensum ergo vocis שככרה à fedandis judiciis desumit, sive sint judicia ipsius Pulchritudinis, id est, Microprosopi, quæ sunt 320, sive Uxoris ejus, quæ sunt 325. Dicit autem in verbis ultimis dicti allegati: Beatus populus, cujus Dominus est Deus; contineri miserationes miserationum. Quasi diceret: Sicut est judicium judiciorum, ita est miseratio miserationum, ubi scil. Tetragrammaton est DEUS, sive ubi nomen אלהים, quod denotat judicium, convertitur in Tetragrammaton, quod est misericordia, duplici modo: primò in nomine מצפץ quod generatur è nomine Tetragrammato per Alphabetum inversum, & indigitatur per literam Schin in voce שיהוה quia numerus nominis מצפץ est 300, juxta numerum literæ ש. Nomen hoc autem denotat misericordiam; quia est è tredecim formis Microprosopi, nec non è septem Formis Macroprosopi. Item nomen מצפץ & vox ברחמים æquipollent. Secundò, ut Tetragrammaton ipsum: unde patet, quod hoc nomine indicetur misericordia.

Deinde porro dicit: Vocem שככרה esse nomen, quod contineat omnia nomina. Quasi diceret: per hanc vocem indigitati Tetragrammaton, quod continet omnia nomina: inter quæ unum est אל שדי, quod eôdem numerô gaudet, quem habet vox שככרה. Ut autem innotescat, quomodo idem numerus 345 sit in Tetragrammato: sciendum est, hanc Formam esse in Tiphereth seu Pulchritudine, quò pertinet Moscheh. Nomen autem משה continetur in voce שככרה, cujus numerus est 345. Item Tetragrammaton Jodatum retrogradandò scriptum, cujus numerus 184: & nomen יהוה in plenitudine sua Jodata conficiunt numerum 345. Item Tetragrammaton Alephatum, & אלהים Joddatum eundem numerum efficiunt.

Et deinde sic inquit: *Et Sanctus ille, qui benedictus sit, transire facit iram suam*: id est, Pulchritudo, quæ in Seniore, quæ est Forma hæc quinta, & semper vocatur Sanctus ille, qui benedictus sit; non retinet iram suam, sed eandem in sese mitigat. *Et remittit Microprosopo*: id est, condonat, parcit, placatur Microprosopo, qui est Rex Israëlis, propter peccata, quæ Israëlitæ infra committunt, & in superiris corruptelam causantur: eique dat influentiam & benedictionem. Et pergit: *Et transmittit ad omnia illa extranea*, id est, Microprosopus transmittit influentiam, quam ipse accipit super adversarios illos, qui accusant Israëlitas, & foras consistunt: ne Israëlitis adversentur.

Portò sequitur: *Didicimus in traditione extraordinaria, semitam illam formæ sanctæ & excelsæ Senioris Seniorum, quæ descendit in Barba ejus sub naribus; & hanc semitam inferiorem sibi correspondere in omnibus; cùm altera sit superior, & altera inferior. Et superior vocatur Transiens super prævaricationem: inferior autem; Non tenuit in perpetuum iram suam.* His verbis rationem profert, quòd forma hæc remittat peccata, & locum præbeat ad transmittendam influentiam; nè quod semita inferior planè similis sit superiori.

Iterum subjungit: *quod non tenuit*; idem sit ac non esse locum residendi pro judiciis: quoniam semita hæc ab omni latere suo glabra est & pilis carens, ut transitus sit influentiæ.

Iterum

Iterum sequitur: *Omni loco, id est, ubicunque Israëlitæ in causa sunt, sive in terra Israëlitica, sive extra eandem, ut semita detegatur, bonum id est omnibus inferioribus: quoniam apparet consilium ad benefaciendum omnibus.* Hic per consilium intelligitur Cognitio, quæ in Pulchritudine hac. Quia consilium venit à Cognitione; Cognitio autem est benevolentia: & quando benevolentia detegitur, istud omnibus prodest: id est, tam malis, quàm bonis.

Porrò subjungit: *Ille qui occultatus est, & non manifestatur*, id est, Caput, quod ignoratur, sicut mox inquit: *Et nemo est, qui illum cognoscat, nisi ipse solus*, id est, Adam primus ratione regni sui, quod est Caput ignoratum. Sicuti de Edene summo. Ubi intelligitur gradus ille, qui in Macroprosopo, & est mundus venturus: à nemine cognoscitur; id est, nec à Patre & Matre, nec à Microprosopo & Uxore ejus; nisi à Seniore Seniorum, quod est Caput Non ens.

Et tandem superaddit: *Idipsum est, quod dicitur Psal. 92. v. 6. Quàm magnificata sunt opera tua, Domine; valde profunda sunt cogitationes tuæ.* Id est: quamvis magna admodum sint Opera Tetragrammati, quæ sunt, Pater, quem denotat Jod Tetragrammati; & Mater denotata per He primum istius nominis; & Microprosopus, qui est Vav Tetragrammati; & Uxor ejus, quæ denotatur per He ultimum: nihilominùs tamen hæc omnia Opera nihil sciunt de Edene seu Paradiso illo, qui est in profundo cogitationis capitis superni. Id est, Sapientia Coronæ, quæ est Caput Non ens: hæc enim vocatur Cogitatio profunda: non verò Pater, qui etiam quidem Sapientia est, sed vocatur Cogitatio simpliciter.

§. 199. Forma sexta Barbæ Capitis Non entis vocatur כי חפץ חסד הוא Quia Benignitatem vult ipse. Et sit à severitate hujus Senioris. Et quia hæc nonnisi mera benignitas est respectu ejus, quæ infra ipsam locatur: hinc vocatur Benignitas in dicto illo Michæ. Et de hac Idra magna sic loquitur: *Ratione formæ sextæ formatur pilus hoc modo, ut ab imo sursum ascendat, & contegit areolas aromatis optimi usque ad initium oris, ejusque locum superiorem. Et pili descendunt ab initio ad initium aperturæ semitæ inferioris oris.* Sensus hic est quod pili sursum ascendant & superintegant genas, quæ vocantur areolæ aromatum optimorum, sicut scribitur Cant. 5. v. 13. Axillæ ejus sicut fuci aromatis. Et sic hoc etiam exponitur in hac ipsa Idra. Et hi pili, qui contegunt genas, contegunt totam latitudinem malarum, & pertingunt usque ad initium oris superum, id est, usque ad pilos mystacis. Et sicut pili ascendunt sursum: sic pili etiam descendunt à principio labii superni, ad principium aperturæ semitæ inferioris. Hic quæritur, annon pili illi qui contegunt genas pertineant ad formam primam, de qua dicitur: Descendit in Pulchritudine ad initium labiorum. Quod si ita est; quomodo iidem referri possunt ad formam sextam? Dicendum igitur: id quod de forma prima scribitur, non intelligendum esse de pilis omnibus; sed de filo unico tantùm. Atque hoc ipsum sic etiam explicatur in Idra; cùm dicitur: forma prima sic formatur, quod pilus incipiat à Capillo capitis &c. descendens ante portam aurium in filo quodam maximè æquali usque ad principium oris. De forma sexta autem dicitur porrò: *Surrexit R. Jesa, exorsusque dixit: è Jesa. 54. v. 10. Et misericordia mea à te non recedet. Et scriptum est ibid.*

corde quidem absconderit; sed remissionem ore ipso non elocutus sit, prout in casu exploratorum: sed statim cùm exiret halitus, ex ore elevatus rediit in receptaculum suum, id est, in partes circumjacentes: & exinde veniebat condonatio.

Mox addit: *Didicimus in occultatione libri: quid hoc est, quod scriptum est,* פשע Prævaricatio? Quasi diceret: Quænam est natura istius formæ, quod dicatur transiens super prævaricationem? & respondet: Si probi sunt, transit: sin minus, prævaricatio suo in loco manet. Deinde objectionem movet, dicendo: Quid sibi vult hæc phrasis: *Transiens super prævaricationem?* quod nimirum vox פשע dupliciter possit exponi, ut per metathesin sit שפע. Si verò probi non sunt, influentia hæc sistitur, & non transit in Microprosopum; nam quando influentia transit in inferiora, tunc transit in Microprosopum.

Et sequitur: *Quænam est differentia inter hunc & illum?* Quia forma hæc etiam reperitur in Microprosopo? Nimirum de Microprosopo respectu semitæ hujus scriptum est Num. XII, 9. *Et exarsit ira DOMINI & abiit. Quid est & abiit? quia nempe exiit spiritus iræ de illis foraminibus.* De hoc autem spiritu iræ infra quædam traduntur cum inquit: *Quinque severitates sunt in hoc Microprosopo, quæ extenduntur in mille & quadringentas severitates.* Ubi sensus est, quod in naso Microprosopi contineantur quinque severitates, quæ sunt quinque literæ finales מנצפך quarum numerus est 1000. Si igitur hic numerus sumatur quinquies hinc exurgunt mille & quadringentæ severitates. Et ex illis prodeunt ira & furor; qui est spiritus iracundiæ.

Et tandem addit: *Hinc qui hanc semitam tangit, monetque alium, tacendum esse, hujus semitæ analogiam præ se fert.* Quasi dicetet: Quosdam digitum semitæ huic imponere cum alios monent, ut taceant.

Cùm autem dicitur in Libro Zeniutha: *Ad tollendum peccatum:* sensum habet, ut scilicet os possit dicere: Peperci. Nam scriptum est Proverb. 19. v. 11. Et decus ejus præterire iniquitatem per viam hanc: nam hæc est radix Fundamenti, quod est ramus pulchritudinis Senis hujus, & vocatur transiens super prævaricationem. Et Fundamentum quidem hujus formæ est Gloria Senioris; sed quia hæc est judicium, non permittitur ipsi, ut sola operetur; sed Victoria, Gloria & Fundamentum simul operantur ad abolenda judicia.

§. 198. Forma quarta Barbæ Capitis Non entis vocatur לשאירית נחלתו residui hæreditatis suæ. Et hæc procedit à Victoria Senioris, quæ est alba: & pili sub labio inferiore lineâ tenui ambitum formantes huc pertinent. Hinc in Libro Zeniutha dicitur: Sub labiis ambit pilus in principium alterum. In Idra magna hæc de illa extant: *Formâ quartâ disponitur pilus, & descendit sub ore ab uno principio ad principium alterum.* Ubi indigitatur, hanc formationem esse Victoriam Senioris. Postquam enim formata fuit semita supradicta, ad distinguendam Victoriam à Gloria, quæ antea coaluerant: jam Victoria hæc circundat os à paste inferiore, id est, sub labio inferiore, ab uno principio oris usque ad principium alterum. Et hinc verba Michæ sic cohærent: Transiens super prævaricationem pro residuo hæreditatis suæ; quasi dicatur: Formam ut-

teriam propterea formari, & gloriam ibidem à Victoria distingui, ut disponi queat forma hæc quarta.

Subjungit autem Idra: *Sicut scriptum est 2. Reg. 19. v. 4. Et elevabis orationem pro residuo invento sive extante. Ubi revera intelligitur id quod extat.* Nam quia videri posset, si dicatur Residuum hæreditatis suæ, tantùm quosdam Israëlitarum intelligi, & non omnes: quod si foret, forma hæc his verbis exprimi non posset. Quia forma hæc omnes Israëlitas concernit, & non quosdam saltem. Hinc dicit: Sensum hujus nominis non esse particularem, sed ita intelligendum, sicut intelligitur textus citatus: Et elevabis orationem pro residuo extante, id est, pro toto populo. Nam quamvis & dictum hoc citatum videatur loqui de quibusdam, & non de omnibus; revera tamen ita non est, sed totus populus tunc exstans ibidem intelligitur: nam totus populus vocatur שאירית, quod probatur per dictum Zephan. 3. v. 13. Residuum Israël non faciet iniquitatem. Atque sic etiam verba hæc Michæ intelliguntur de toto populo, qui vocatur Reliquus (populus inter gentes non comprehensus,) qui est hæreditas ejus.

§. 199. Forma quinta Capitis Non entis dicitur לא תחזיק לעד אפו Non tenuit in perpetuum iram suam: Et hæc est in Pulchritudine ejus. De hac in Idra magna sic dicitur: *Per formam quintam procedit semita sub ore: & hæc est, quod scribitur: Non tenuit in perpetuum iram suam.* Et isti sunt pili sub labio inferiore omninò in medio constituti, quibus ab utroque latere alii pili non adjacent: est que cumulus quidam parvus pilorum in longum protensorum, qui ab utraque parte glabritiem habet pilis carentem: & continetur sub Forma quarta in latitudinem labii inferioris extensam. In Libro Zeniutha autem de hac ita scribitur: *Semita alia procedit sub illo.* Et hæc forma est in pulchritudine: & quia pulchritudo Senioris istius influxum habet à Cognitione hujus Senis, id est, à Fundamento Capitis ignorati, qui totus nonnisi mera misericordia est; hinc forma hæc vocatur: Non tenuit in perpetuum iram suam: vel potius Non permisit transire iram suam, id est, judicia, quæ in ipso sunt, in gradum illum, qui vocatur עד, seu perpetuitas, id est, in Basiliam, quæ est finis omnium Numerationum, in qua continetur series omnium temporum usque in æternum.

Porrò ibidem sequitur: *Surrexit R. Jose, exorsusq; dixit è Psalm. 143. v. 15. Beatus populus* שככה לו *cui sic* &c. Quem locum R. Jose dupliciter explicare conatur, nempe juxta dictum Esth. 7. v. 10. Et ira Regis שככה quievit, id est, quievit ab iracundia sua; quasi diceretur: A judiciis, quæ ab ipso oriuntur: quoniam Forma hæc eadem sedat, ne foràs prodeant in actum. Vel etiam aliter sedavit per iram suam, scilicet alios, id est, cortices, quasi sensus esset, quòd confringat capita draconum. Nam ira in Seniore hoc respectu judiciorum infra se constitutorum merus amor est, & cortices ab illa sese avertunt ob eminentem excellentiam ejus. Pergit autem: Quod innuitur Num. 11. v. 15. ואם ככה Et si ita tu facias mihi &c. Ubi demonstrare vult, quare adhibeatur vocula ככה, nimirum sicut diximus; ut sensus sit: Si tu ita mecum agere vis, prout procedis cum corticibus, quos sedas unicò momento; bene est: sin minus; occide me quæso occidendò. Et hoc dicit esse judicium judiciorum, &

v. 8. & in misericordia seculi misertus sum tui. Hæc dicta sibi videntur esse contraria. Eadem autem explicat R. Jose, dicitque: quod dictum illud: Benignitas mea à te non tolletur; loquatur de Seniore hoc. Ex quo appareat, quod Benignitas in ipso perpetuo stabilis sit & fixa: unde miratur, quare deinde tiduciam hanc in se minuat, dicendo: Et in benignitate seculi misertus sum tui. Unde colligi posset, Benignitatem hanc non perpetuò fixam & stabilem esse. Nam quod incipit à misericordia, non est fixum. Respondet autem; duplicem dari misericordiam sive benignitatem, internam nempe & externam. Et internam quidem dicit hanc esse formam, quæ vocatur: Et benignitatem vult ipse. Hanc autem vocat benignitatem internam: quia est quasi anima in Seniore hoc. Jam supra enim expositum est, quòd anima septem partium Capitis, quæ sunt cranium, ros, menynx, frons, capillus, oculus, nasus, & Seniori huic tribuuntur; proveniat à septem Numerationibus, id est, incipiendo à Benignitate & porrò deorsum Capitis ignorati: quæ vocantur uno nomine Senex dierum. Et hinc istô locô Seniorem hunc vocat Senem dierum; respectu illarum Numerationum Capitis ignorati, quæ continentur intra Seniorem hunc, ipsius vitam largiuntur. Et quia Benignitas istius Formæ influxum habet à Benignitate Capitis ignorati, quæ quasi anima est intra corpus aliquod existens: hinc ipsam vocat Benignitatem internam. Et de hac Senex iste promittit, quod ab ipso recedere non debeat in æternum. Quoniam hæc attributa in se non dependent ab operibus inferiorum: hinc semper splendent, & in æternum suis in locis: modò quod non radient deorsum ad mitiganda judicia Microprosopi, & ad complendas tredecim suas, & novem Uxoris ejus formas, nisi propter opera inferiorum. Quod autem dicitur: In Benignitate seculi misertus sum tui; ibi intelligitur Benignitas alia, è qua fit ipsum cranium. Et hæc vocatur Benignitas externa: quia omnes septem partes Capitis, cranium, ros, menynx, frons, crinis, visio, nasus, sunt vasa, pro septem Numerationibus Capitis ignorati, quæ vitam & vires largiuntur septem illis partibus Senioris hujus. Et quia vasa sunt externum quid: hinc ista Benignitas externa dicitur respectu Benignitatis Capitis ignorati. Deinde alia quoque ratio datur, quare Benignitas hæc vocetur externa; nimirum jam notum est, quod à Corona & Sapientia Senis fiat cranium: quodque illæ ingrediantur & extendantur per corpus Macroprosopi, & sint quasi anima ejus. Et ab Intelligentia Senioris fit cranium Patris & Matris. Et à Benignitate Senioris fit persona Patris; & à Severitate illius fit persona Matris. Et à Pulchritudine provenit copula Patris & Matris. Et à Victoria, fit Microprosopus; Et à gloria, uxor ejus. Et Fundamentum Senioris eosdem copulat. Jam verò notum quoque est, quod Victoria, Gloria & Fundamentum semper vocentur extra corpus: unde & Microprosopus & uxor ejus, qui fiunt è Victoria, Gloria & Fundamento, semper dicuntur esse extra ejus corpus. Et quia in Victoria, Gloria & Fundamento Senioris, unde fiunt Microprosopus & Uxor ejus in se etiam continent Benignitatem Senioris; quoniam quælibet Numeratio constat è Decade: hinc vocantur Benignitas externa. Et illi gradus vocantur עולם seculum; & in se continent Benignitatem Senioris, & fruuntur usu Severitatis hujus, quæ in Seniore: nam à Severitate Senis fit Persona Ma-

Matris; & Mater progenerat Microprosopum & Uxorem ejus. Et hoc ipsum est quod scribitur Psal. 89. v. 3. Dixi, seculum benignitate ædificabitur. Quoniam Severitas, quæ in Seniore hoc, est Benignitas respectu eorum, quæ infra se habet. Et quando Israelitæ virtuti non operam dant, tunc hæc Severitas non splendet in Microprosopum & Uxorem ejus: Unde Senex iste non assèverat, eandem non sublatum iri.

Porrò subjungitur, *eandem vocari Angulum Barbæ*: quod intelligendum de eo, quod supra diximus: & descendit pilus à principio labii superni ad principium aperturæ femitæ inferioris. Nam pili qui contegunt genas, non vocantur Angulus barbæ.

Iterum addit: *quod & Sacerdos ab hac parte proveniat.* Ubi sciendum, quod Moses veniat à Victoria Patris & Aharon à Gloria matris. Et cum Victoria, Gloria & Fundamentum Patris inseruntur in Victoriam, Gloriam & fundamentum Matris de facie ad faciem; tunc Gloria Patris intrat in Victoriam Matris: & Victoria Patris intra Gloriam Matris. Unde patet, quod Aharon proveniat à Victoria Matris, & Moscheh è Gloria Matris. Hinc Kabbalistæ Mosen referunt ad Gloriam, & Aharonem ad Benignitatem, quæ est Victoria Matris. Nihilominus tamen Moses radicaliter descendit à Patre & Aharon à Matre: ista autem constituitur ab ista Severitate Senioris, à qua fit ista conformatio. Unde sequitur, quod Aharon descendat ab isto latere. In quo quidam Autores errant. Tandem autem subnectit: *Et hæc Benignitas Senioris Seniorum est Benignitas Veritatis*: quia radix ejus venit per Pulchritudinem Capitis ignorati: sicut exponitur in Idra minore: Pulchritudo est veritas. Et pergit: Hinc scriptum est: quoniam Benignitatem vult חפץ חסד ipse. Quasi diceret: voculam חפץ ubique indigitare rem occultam: id est, Vitam animæ Senioris hujus. Et in Libro Zeniutha de hac forma dicitur: *Superstruxit Arcolas aromatis usque ad initium* (oris) *superum.*

§. 200. Forma septima Capitis Non entis in Barba ejus vocatur ישוב ירחמנו *Iterum miserebitur nostri.* Et hæc est in Benignitate Senioris hujus: consistitque in loco faciei propriè dictæ, nimirum in duobus pomis faciei, in quibus nulli sunt pili. De hac forma sic loquitur Idra magna. *In forma septima deficit pilus, & apparent duo poma in arcolis aromatum pulcherrima & jucunda aspectu. Incepit R. Schimeon & dixit: è Cant. 2. v. 3. Sicut malum inter arbores sylvæ,* &c. Quasi diceret: Sylva est symbolum pilorum barbæ. *Quam naturam habet hoc pomum? continet in sese tres colores:* id est, rubrum, album & flavum: *ita duo mala Dei sanctissimi & benedicti in se continent sex colores.* Sensus est hic, quod in Numeratione Benignitatis istius, quæ est cranium, contineantur sex formæ reliquæ, quæ sunt Ros, menynx, frons, capillus, oculus, nasus. Sicut in Sohar dicitur in Libro Zeniutha & in Tikkunim, de voce בראשית, quasi diceretur: ברא שית creavit sex. Ipsa verò est septima super reliquas, & ab illa provenit conformatio hæc; id est, duo hæc poma, quæ in se continent omnes reliquas sex partes barbæ, in quibus sunt sex colores. Quod ita se habet: Forma prima quæ vocatur: Quis sicut tu, ô DEUS; & pertinet ad Regnum Basiliæ: è coloribus habet albedinem, juxta mysticum illud: Benignitas חסד omni die. Forma secunda, qua dicitur, Tolleas iniquitatem, pertinet ad Fundamentum, quod est flavum: sicut enim flavum ex albo & rubro mixtum est:

ita Fundamentum inter duo latera medium est. Forma tertia, quæ vocatur; Transiens super prævaricationem, pertinet ad Gloriam, & habet colorem rubrum. Forma quarta, quæ vocatur; Residuum quod hæreditas ejus est; pertinet ad Victoriam, cui tribuitur color albus. Forma quinta, quæ vocatur; Non tenuit in perpetuum iram suam; & pertinet ad Pulchritudinem, flavum habet colorem. Forma sexta, quæ vocatur; Quoniam benignitatem vultipse, & ad severitatem pertinet, est rubra.

Et quia tota Barba influxum accipit à Pulchritudine Capitis ignorati, quæ est mysterium pilorum, utpote qui figuram habent plurium literarum Vav, sicut traditur in Idra parva: Hinc Senex iste hôc locô vocatur Sanctus ille, qui benedictus sit! Quoniam notum est, quod Pulchritudo vocetur Sanctus ille, qui benedictus est, ubicunque hæc phrasis invenitur.

Porrò allegat locum Prov. 16. v. 15: *In luce faciei Regis vita*; quasi diceret: In luce faciei duorum horum pomorum Microprosopi, qui vocatur Rex, qui vitam largit in omnibus infra se constitutis.

Porrò allegat locum Num. 6. v. 24. *Lucere faciat Dominus vultum suum super te*: ubi vultum intelligi dicit exteriorem, ut sermo sit de Microprosopo, qui opus habet lucem accipere à duobus istis pomis: quoniam Microprosopus & uxor ejus interdum obtenebrascunt, nec semper illuminationem habent: vocantur que facies exteriores.

Deinde subjungit, *ista poma radios emittere in trecenta & septuaginta latera*. Ubi sensus est, duo hæc poma esse duo nomina יהוה צבאות. Nam nomen תפוח pomum cum quatuor literis suis & numero integri efficit summam 499. sicut Nomen צבאות. Jam autem notum est, quod Nomen Zebaoth pertineat ad Fundamentum Intelligentiæ Senioris hujus. Ad Intelligentiam autem pertinet nomen סנ. Numerus autem plenitudinis hujus, (demtis radicalibus,) est 37: quam plenitudinem in se habent duo hæc poma. Radix autem formæ hujus est litera Jod Tetragrammati, quia Caput Nondum est Sapientia, quæ continetur sub symbolo literæ Jod. Jam si numerus 37. multiplicetur per Jod i. e. denarium, hinc oriuntur 370 illa latera: quæ sunt שע 370. illa lumina, quorum toties mentio fit in Idra. Ut sensus tandem sit, à duobus illis pomis prodire 370 lumina.

Et tandem subjungit: In illo inferiore hic locum habet nomen אמת i. e. Veritas; i. e. In Microprosopo Forma septima est vox Veritas è tredecim illis partibus dicti Mosaici, de quibus supra. Si mirum ne ordo Alphabeti inversus intelligatur.

9. 201. Conformatio octava Capitis Non entis vocatur נכבוש עונותינו Subjiciet iniquitates nostras. Et hæc est in Intelligentia Senioris. De hac dicitur in Libro Zeniutha: *Influentia omnium dependet usque ad eos; ab illa dependent supera & infera*. In Idra magna autem de ea traduntur sequentia. *Formâ octavâ prodit filum quoddam pilorum circa barbam, & dependent aqualiter usque ad scrobiculum pectoris*. Ubi intelliguntur pili Barbæ longiores supra se invicem demissi: vel potius extremitates istorum pilorum sibi invicem impendentium per totum circuitum, usque ad præcordia. Et hæc conformatio est in Intelligentia Senioris: & intra Intelligentiam hanc Senioris est fundamentū Capitis ignorati, quod eidem inhæret ut anima corpori. Quin & Basilia Capitis ignorati occultata est

est intra fundamentum istud: Ita ut hac ratione hic coalescant tres conceptus, qui omnes habentur pro una Numeratione; quæ est forma hæc octava quæ agit de subjiciendis iniquitatibus. Et forma hæc vocatur Influentia; quo pertinet dictum illud Sapientum nostrorum: Liberi, vita, & alimenta non à meritis sed ab Influentia dependent. Ubi per liberos intenditur fundamentum Capitis ignorati, à quo proveniunt generationes: per vitam verò denotatur Intelligentia, à qua descendit vita in Microprosopum & in omnes mundos; Ipsa enim est Mater liberorum. Per alimenta autem Basilia intelligitur; de qua scriptum est: Prov. 31, 15. *dedit que prædam Domui suæ & statutum puellis suis*. Et ea non dicuntur dependere à palatio Meriti, quod est in mundo Creativo, sed ab hac forma.

Deinde sequitur: *Surrexit R. Eliasar filius ejus, exorsusque dixit: Omnia dependent ab Influentia, etiam Liber Legis, qui in templo. Hoc fit autumus in Libro Zeniutha*. Hic declarat verba Libri Zeniutha, ubi saltem dicitur: *quod supera & infera dependeant ab Influentia*. Jam objectionem format super verba illa dicens: Itane omnia dependent ab Influentia? an non dici solet: singula quidem inferiora opus habere eo quod ipsis superius est, usque ad Microprosopum? quomodo ergo hic dicitur, ipsum Microprosopum, qui est Liber Legis, opus habere hâc Influentia? Unde dicit: *Atqui didicimus: quod Liber Legis sit Sanctus*. Id est: Microprosopus Ipse vocatur Sanctus, quia Cerebra habet in Patre, id est Sapientia, cui tribuitur Nomen Sancti. *Et Theca ejus Sancta*: ubi intelligitur fundamentum Matris, dum scilicet Microprosopus latet in utero ejus. *Et Templum Sanctum*. Id est, Leah, quæ est Basilia Intelligentiæ: qui gradus vocantur Sancti, quia in illis est fundamentum Patris, id est Sapientiæ, quæ vocatur Sancta. *Et scriptum est Jes. 6. v. 4: & clamabant alter ad alterum dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Id est: Etiam in mundo Creativo Sanctitatem accipiunt à Microprosopo, & Sanctitatem istam tradunt Mundo formativo, ubi commoratur Microprosopus. Et hoc est, quod dicitur: clamabant alter ad alterum. Quasi diceretur: Duodecim metatheses Tetragrammaticæ, quæ in Microprosopo existentes in mundo emanativo, descendunt in duodecim terminos Zodiaci, qui sunt in mundo creativo; & dum illi his Sanctitatem communicant, excitantur Angeli inferius in mundo formativo constituti, qui ibidem etiam vocantur duodecim termini; sicut in mundo factivo sunt duodecim limites. Adeoque & ista dependent à Microprosopo, & non ab Influentia.

Et pergit: *entria sunt*. Id est: tribus illis sanctitatibus, quas prædicant Angeli, correspondent tres Sanctitates Libri Legis, de quibus supra. Jam enarrat eas; dicendo: *Theca ejus Sancta*, &c. Et potrò dicit: *Lex constructa est è triplici Sanctitate*. Quasi diceret; Lex quæ est quasi medulla intra membra Microprosopi, sicut medulla in ossibus humanis, habet novem metra sua. Id est: Mysterium Sanctitatis extat in tribus ejus primis, quæ sunt Sapientia, Informatio & Cognitio; quæ vocantur sanctæ, quia referuntur ad numerationem unam. Hinc dicit *in tribus gradibus*, (summis) quæ sunt, Sapientia, Intelligentia, & Cognitio. Mox addit: *in tribus diebus*: qui sunt, Benignitas, Severitas & Pulchritudo; qui vocantur dies. Porrò sequitur: *Gloria cohabitans cum tribus*, quasi diceret: cum tribus diebus reliqui, qui sunt: Victoria & gloria, quæ vocantur *Tabula*. & funda-

fundamentum Microprosopi, quod vocatur *Arca*, sicut dicitur: Arca fœderis Sanctis & *Templum* id est Basilia ipsa.

Et scriptum est: *Jer.* 10. v. 2. *A signis cœli ne consternemini*. Id est: Scriptura hoc dicto excellentiam Microprosopi deprædicat: dantur enim cœli inferioribus istis sublimiores; nempe ipse Microprosopus Rex est illorum: unde ab inferioribus istis & materialibus ne consternemini, prout gentes faciunt. Nam Israelitæ dependent à cœlis superioribus. Stigitur nos dependemus à Microprosopo; quomodo omnia dependent ab Influentia?

Respondet igitur rationem suggerendo quare omnia ab Influentia dependeant; dicendo: *quare? quia omnes Sanctitates Sanctitatum omnium ab hac Influentia dependent*. Id est, omnes Sanctitates, tam Sanctitas Macroprosopi; quam Patris & Matris: & Microprosopi atque Uxoris ejus; omnes hæ, inquam, dependent & proveniunt à fi o hoc.

Et in Librum Legis non cadunt decem Sanctitates, donec afferatur in templum. Id est, donec Microprosopus ingrediatur in Matrem, quæ vocatur Templum תֵּיכָל. Nam illa accipit decem Sanctitates in Patre contentas, id est literam י: & cum Pater decem hat Sanctitates suas, id est literam י præbet Matri, hinc copulatur י cum ה Matris, & inde fit syllaba יֵה vocis תֵּיכָל. Deinde cum istæ יֵה intrarunt in fundamentum matris, tunc fit reiteratio per ictus, quibus fundamentum Patris allidit ad fundamentum Matris; ut dicatur: ה sumtum י vicibus, efficit 50. id est נֵךְ: nam notum est quod fundamentum vocatur נֵךְ: hinc exurgit vox תֵּיכָל id est, templum.

Porrò inquit: *quia ab ea dependent Influentiæ, & Influentia influentiarum*. Id est נְצַח Influentia octava è dicto Mosaico: & הוֹד quæ est decima tertia ejusdem. Cum scilicet Mater has immittit in Microprosopum. Et cum ingrediuntur & perfundunt Microprosopum, tunc duæ hæ influentiæ invertuntur per Alphabethum inversum אָת בָּשׁ & loco נְצַח fit שְׂתָא & loco הוֹד fit קְרָצַ.

Pergit autem: *Et propterea illa pendet*: id est Influentia hæc, quæ sub hac forma describitur continet pilos dependentes. Sicut supra dicitur: *& pendent æqualiter*. Id est, pili Barbæ tam æquales sunt, ne vel unicus quidem pilus longior sit altero. Adeoque forma quidem hæc describitur ut filum quoddam, sicut dixi de forma prima: Sed fundamentum pilorum istius formæ in hoc consistit, quod illæ duæ influentiæ contineantur in spica Barbæ à mento & porrò deorsum, quæ sibi invicem incumbunt ut mas & fœmina. Id est, tota illa portio Barbæ extra faciem demissa extrorsum vocatur Influentia & forma hæc octava. Et sic in tredecim formis Macroprosopi hæc influentia octava vocatur נְצַח: & dicitur influentia superior: cui opponitur pars altera istius barbæ promissæ, non extraversa, sed gutturi vicina & infera, quæ vocatur הוֹד & est forma decima tertia, & influentia inferior: intra quam delitescit influentia inferior sive forma decima tertia Capitis Non entis, quæ vocatur יְהִי קְדֻמִּים. Et quia tredecim Formæ Regni Adami primo occultantur, & primò manifestantur tredecim Formæ Macroprosopi, quæ quasi vestis illarum sunt exterior: & in singulis hâc ratione est influentia supera & influentia infera; hinc R. Eliaser mentionem facit influentiæ, & influentiæ influentiarum.

Statura

Statura autem Patris & Matris incipit à gutture Macroprosopi, & pedes eorum finiuntur in pectore Macroprosopi: ita ut Pater contegat totum humerum dexterum Macroprosopi antè & retrò; & Mater contegat totum humerum sinistrum Macroprosopi antè & retrò. Super Patrem & Matrem autem impendent, eosque contegunt duæ illæ influentiæ: quia barba Macroprosopi pertingit usque ad foveam pectoris ejus: & hucusq; superinvestiuntur Pater & Mater, nimirum usque ad præcordia Macroprosopi. A tergo Macroprosopi autem Patrem & Matrem superintegunt tredecim cincinni capilli albi dependentes à capite ejus, & finientes in tergo è regione pectoris. Et ab additione luminis, quæ fit à junctura palati & gutturis, & protuberat, & perfindit per viam gutturis lux intrat intra Caput Patris & Matris. Eodemque modo ex additione & incremento, quæ fit à junctura duarum harum influentiarum, lux pertransit intra Caput Patris & Matris, ipsisque facit cerebra nova, tam quoad lucem ambientem, quàm quoad lucem internam. Quod probe notandum est, ut melius intelligantur duo illa cerebra & duæ Coronæ venientes à duobus his influentiis, superâ scilicet & inferâ, in Microprosopum per Patrem & Matrem, ut accipiat præter novem formas proprias adhuc quatuor, quæ fiunt tredecim per Cerebra.

Et hinc porrò dicitur in Idra: *Et ab illa dependent supera & infera*, etiam liber Legis, qui in templo. Id est, Microprosopus, qui vocatur Liber Legis, & contegitur à Matre superna, quæ vocatur Templum, ut dictum supra.

Et coronatur decem Sanctitatibus. Quia Microprosopus accipit decem Sanctitates, è Fundamento Patris sive Sapientiæ, quæ ubique vocatur Sanctitas & ad quam pertinet litera Jod Tetragrammati. Et hæc influentia vocatur decem Sanctitates.

Quod autem dixit: *Et didicimus. Omnia pendent ab influentia hac, quæ est filum, unde omnes pili dependent*. Hic intelligitur filum illud, quod supra descripsimus. Et subjungit: *Quare vocatur influentia? Quia ab ea dependent &c. supera & infera*. Ubi in plurali dicit supra, & intelliguntur pili barbæ Non entis & Macroprosopi & barba Adami primi, quæ occulta est. Per inferiora autem intelliguntur barba Patris & barba Microprosopi. Et Uxor quidem ejus imberbis est ceu fœmina: nihilominùs tamen eidem tribuuntur sex gradus, ultrà quos ulteriùs acquirit tres alios, ut in de fiant novem gradus atq; formæ quæ omnia veniunt à Macroprosopo. Iterum subjungit: *Et propterea ipsa dependet*. Id est, Formahæc deorsum pendet, & contegit Patrem & Matrem, qui ab ea copulantur per junctura suam cum Uxore sua, i. e. Forma decima tertia.

Et ab ea dependent res mundi superiores & inferiores: i. e. cùm copulantur Pater & Mater, per illos renovantur Angeli & animæ, & influentiam accipiunt tàm superiores, quàm inferiores. Ubi per inferiores etiam subindicantur tres illæ influentiæ species, de quibus suprà: Liberi scilicet, Vita & alimenta. Vocatur autem מַזָּל juxta sensum dicti illius Num. 24. v. 7: Fluet aqua è situlis ejus. Nam ab magna illa quantitate aquarum influentiæ deorsum fluentium, quas ob nimiam illarum copiam nemo impedire potest, מַזָּל seu influentia vocatur: quoniam tàm copiosus est in illa influxus, ut sufficiat tàm superioribus, quàm inferioribus. Omnia enim hanc influentiam expectant, unde auxi-

n ium

lium sperant & salutem, quo defendantur à corticibus. Et quia Microprosopus etiam decem suas Sanctitates, quas accipit à Fundamento Patris, & omnem influentiam è supernis affluentem ex hoc loco accipit: hinc porro dicit textus: quod etiam Liber Legis, qui in templo, circumdatus decem Sanctitatibus, hic non sit exceptus, unà cum cæteris Sanctis, & omnia abinde dependeant: i. e. ab influentia & Formâ hâc octavâ. Et tandem concludit: *Et quicunque aspicit istam formam, coram illo subjiguntur & vincuntur peccata ejus.* Quod intelligi potest, vel de eo, qui Sapientiæ hujus studiosus est, qualis fuit R. Schimeon ben Jochai, & similes, qui has formas viderunt de facie ad faciem; vel de aliis justis post mortem suam, qui Formam hanc octavam aspicere merentur, vel de iis, qui eandem vident in somnio; de his dicitur: quod peccata illorum aboleantur, & judicia & cortices coram ipsis subjiciantur, & DEUS Sanctissimus, qui benedictus sit! vel minima ipsis peccata remittat.

§. 202. Forma nona barbæ Capitis Non entis vocatur; Profunda maris, oriturque à Sapientia, quæ in Sene hoc: mare enim vocatur Sapientia: & notum est, quod Fundamentum Patris, in quo sunt triginta duæ semitæ, uniatur cum fundamento Matris, quod vocatur ם vivens: Unde si numeri 32 & 18 addantur, exoritur 50. quæ sunt quinquaginta portæ Intelligentiæ, unde ipsa vocatur ם mare, cujus numerus est 50. In specie autem in mari hoc invenitur aquæ profundæ, quæ sunt 32 semitæ Sapientiæ; & fundus maris, prout vocatur Intelligentia. Hôc locô autem per fundum maris intelliguntur profunda ejus, quæ proveniunt à Sapientia Senioris hujus. Et omne mysterium cerebri ad Sapientiam pertinet, quæ est cogitatio, ut nempe sciatur proportio influentiæ, ne major sit, quàm mundi sustinere queant: quin etiam ut modô & ordine debitô descendat; quippe quæ omnia à Sapientia ejus disponuntur, quæ est in cerebro occulto Non entis. Hæc ergò conformat Formam hanc nonam, quæ vocatur Profunda maris. De hac in Libro Zeniutha dicitur: *Inter illos qui pendent aliis præ alio non præeminet.* Quod intelligendum de pilis illis, qui in areolis aromatum cum vicinis, qui sub labio inferiore, qui commiscentur cum pilis dependentibus ex utraque parte menti, è quibus omnibus fit unum compositum, in quo nullus ullibi præmineat pilus. Per mare etiam intelligi potest Regnum Adami primi, quæ est profunditas maris, quod prius est diebus antiquis mam regnum hoc Adami primi omnes has formas disponit & in se continet omnes tredecim formas istas, Et vocatur profunditas maris, quia est profunditas istius Non entis, quæ est Sapientia occulta. De hac in Idra magna habentur sequentia.

Forma nona miscentur pili, cum illis, qui dependent, nec ullus præeminet alteri. Id est: Omnes pili simul uniuntur, ita tamen, ut singuli suam habeant originem per se, & nullus procedat è loco alterius: unde exurgit magnus pilorum cumulus è pilis subtilissimis constitutus, ita ut omnes Formæ hîc uniantur. Ibidem porrò dicitur: *Surrexit R. Abba & dixit: His pili qui immiscentur cum dependentibus, vocantur Profunditas maris: quæ prodeunt de superfluitatibus Cerebri*: nimirum R. Abba respondet: Quare Conformatio ista vocetur profunditas maris: quia scilicet pili & lumina ista oriantur à superfluitatibus cerebri, i. e. à luminibus superfluis, quæ necessaria non sunt ad vitam cerebri occulti, quod vocatur Occultum in occulto. Et hæc est Profunditas maris antiqui id est: Forma hæc in se recipit omnia merita Israëlitarum, & influxu suô in illos demittit liberos, vitam & alimenta, mediantibus influentiis, superâ & inferâ, cum omnibus reliquis necessitatibus eorum: illô nimirum tempore, cum perfectè converterentur, & specialiter in die expiationis: tunc facultas datur duabus his barbæ apicibus, in quibus consistit mysterium particulæ coccyni in forma linguæ templo affixi, quæ dealbabatur per Seniorem hunc, & omnia vitiata restituebantur, omnesq; accusatores conjiciebantur in ima profunda foraminis abyssi magnæ. Hinc R. Abba porrò dicit: *Et ex illo loco ejiciuntur omnes exactores debitorum humanorum, & subjiguntur.* Id est: Conjiciuntur cum Chirographis & peccatis in foramen abyssi magnæ, & subjugantur, ut Caput non amplius erigere, vel è foramine abyssi magnæ exire queant.

§. 203. Conformatio decima vocatur: Dabis veritatem Jacobo, quæ in Macroprosopo sive in veste istius formæ externa vocatur; Tollens iniquitatem. De hac in libro Zeniutha sic dicitur: Minores superintegunt guttur dignitatis maximæ. Isti sunt pili minores in gutture Macroprosopo: qui verò ad Non ens pertinent, in partibus interioribus istorum delitescunt, eosque illuminant. Et iste duæ formæ simul junctæ proveniunt à duabus triadibus inferioribus Coronæ Non entis, quæ occultatæ sunt: quæ sunt lumina interna pro gutture hoc exteriore, & crescere faciunt pilos istam colli partem contegentes. In Idra magna autem de hac forma sic habetur: *Descendunt pili sub barba, & contegunt guttur sub barba. Surge R. Jehuda. Surrexit R. Jehuda, exorsusque dixit: è Jes. 2. v. 19: Et introibunt in spheluncas petrarum & in cavitates terræ, à facie formidinis Domini exercituum, & à gloria altitudinis ejus, cum ille surget ad violenter excutiendam terram, à facie formidinis Domini. Hic notum est, quod ille, qui est exterior, formido Domini vocetur.* Hic intelligitur Microprosopus, qui est extra tegumentum barbæ sanctæ. Vocatur autem formido Domini, quia est judicium, & judicium exercebit in gentes illô tempore, cùm manifestabitur Messias. Nomen igitur Tetragrammaton pertinet ad Microprosopum ipsum: sed quia sit à Victoria, Gloria & Fundamento Senioris, quæ vocantur Tetragrammaton Zebaoth; quia etiam à Victoria, Gloria & Fundamento Patris & Matris, hinc istô locô vocatur Dominus exercitium. In supernis autem nonnisi misericordia est in Non ente & in Macroprosopo, ubi non habet locum nomen Formidinis Domini. *Et a gloria altitudinis ejus, Isti sunt pili sub barba, qui vocantur gloria altitudinis ejus, quæ sunt duo.* Nimirum isti pili sunt quasi mas & fœmina, quæ contegunt imum mentum & jugulum, hinc dicitur, duo esse hôc locô genera pilorum, nimirum menti imi, & jugulisive gutturis. Per guttur autem intelligitur Informatio, quæ in se recipit illos pilos imi menti, tanquam fœmina. Et isti pili causantur copulam duarum Coronarum, quæ descendunt, in Microprosopum: hinc vocantur Gloria sive decus altitudinis ejus: quia omne dominium ejus & copula ejus cum uxore provenit à pilis istius formæ. Nam qui barbam habet, decoram habet faciem: & per illos copulatur Microprosopus cum uxore sua.

Cum surget ad excutiendam terram. Hic intelligitur Basilia, cum nempe exilia extirpabit

tyrannos, ut quasi arreptus oris terræ ab ea excutiantur impii: quæ sunt judicia & conices adhærent. s. ei. Hæc autem forma dicitur: *Dabis veritatem Jacobo.* Id est, dabis semen & influxum veritatis Microprosopo, qui vocatur Jacobus: nam per illud hic evadit Vir & accipit facultatem se se copulandi.

§. 204. Forma undecima Barbæ Non entis, vocatur חסר לאברהם *Benignitatem Abrahamo;* & ab extra in vestimento ejus, sive in Macroprosopo nomen ejus dicitur ושע *& prævaricationem.* Et de hac dicitur in Libro Zemintha: מתשערין בשיטרא *redigantur in proportionem perfectissimam:* quæ in hoc consistit, ne unus pilus longior sit altero descendens infra foveam præcordiorum. Et hic est nexus & unio perfectissima: de qua dicitur in Idra magna: *Et undecima est: quod ne unus quidem pilus excedat alterum:* & quod nullus pilorum è fœtu rigine alterius propullulet, sed singuli propriam habeant vegetationem è locis suis propriis. Estque benignitas magna, quæ excrescit pro Abrahamo, qui est Pater involutus intra Microprosopum. In Macroprosopo autem hæc forma vocatur *auferens prævaricationem:* quæ facile intelligi potest ex illis quæ supra dicta sunt ad formam tertiam.

§. 205. Forma duodecima Barbæ non Entis, vocatur: אשר נשבעת לאבותינו *Quam juraſti Patribus noſtris.* Et quæ ab extra eandem ambit in Barba Macroprosopi vocatur חטאת *& peccatum.* Et de hac dicitur in Libro Zeniutha: *Labia vacua sunt ex omni parte, Beatus ille, qui particeps fit illorum ofculorum.* Sensus est hic: quod pili labii superioris & pili labii inferioris non adeo longi sint atque magni ut labium vel superius vel inferius contegant: sed quod Spiritus vitalis ex ore prodire queat in Microprosopum. Si enim labia pilis tegerentur, nulla influentia defluere t. Et ille qui moritur per osculum, sicut Moses Magister noster super quo pax! particeps fit osculi oris hujus, & luminis ab hinc egressi; & in specie si id contingat tempore Sacrificii vespertini Sabbathici. Et Microprosopus accipit septem halitus ab ore hoc, qui in se continent omnes septem Conformationes Sanctionis dictum.

In Idra igitur magna de hac forma sic disseritur: *Forma duodecima est, quod pilorum pendeant supra os, sed os vacuum sit ex omni parte; & pulchro ordine pili os circumdent.* Necessario autem sic constitutum est, ne pili os contegant; *ne sisteret sreetur molestia ob casum Necessitatis.* Id est, ne molestia oriatur in amovendis ab ore judiciis pilorum. Et id omnino nobis necessarium est ut remittat. & condonet atque dicat: *Pepires.*

Deinde R. Jehuda, quæstionem sibi formet, dicendo: *In quo molestia?* Et respondet: *Si pili os tegerent, judicium esset post judicium.* Non omnes pili sunt judicium: & quia judicium extat super labio superno, tunc sane contecto etiam ore, judicium sequeretur post judicium: *& ibi molestia crearetur* in amovendis impedimentis condonationis nostræ.

Porrò sic objicit: *An igitur in Sene Sanctissimo pili Barba molestia sunt vel judicium? Atqui omnia ibidem apparent ut misericordia.* *Nimirum ne molesti sint effluvii spiritus ad Microprosopum.* *Nam didicimus: ex hoc ore sancto supero*, cui opponitur os Microprosopi, quod vocatur inferum; *quod vocatur Sanctum Sanctorum:* ubi Sanctum unum

est Caput quod ignoratur: sancta duo, sunt Non Ens & Macroprosopus, intra se se invicem: *effluvium spiritus: quis spiritus?* in quem usum effluvium spiritus iste? & halitus iste? Nimirum hic est *spiritus qui effunditur in Microprosopum, ut eodem vestiatur.* *Et hoc spiritu vestiuntur omnes illi inferiores.* *Et quando hic procedit, tunc distribuitur in triginta septem millia tractuum, qui singuli soli extenduntur in loca sua.* Id est. Hoc spiritu vestitur Spiritus Sanctus, spiritus vitalis pro Microprosopo, & pro Prophetis Domini: sicut dicitur 1. Par. 12. v. 18. *Et Spiritus induxit Amasai* &c. ab ore hoc. Et quia in illo est nomen Tetragrammaton יהוה cujus plenitudo eundem habet numerum, quem vox רוח five halitus oris hujus, nempe 37. Et quia in Tetragrammato יהוה est unicum Aleph: hinc numerus iste dicitur esse triginta septem millium ab omni parte Personæ, tam intra quàm extra. *Et propterea pili non inveniuntur supra os sanctum, quia spiritus ejus protegit, ne conveniat, ut res alia*, id est pilus, *cum eo misceatur, vel eidem appropinquet.* *Et hoc est mysterium omnium maximum, quod non adhæreat ei quicquam vel supra vel infra*, id est, quòd nemo hominum aflequi valeat voluntatem, & cogitationem, & mysteria atque abscondita ejus: nec ulla Persona ipsi adeò adhærere queat, ut comprehendat mysteria ejus. *Et ipse est absconditus in occulto occultorum, ut sciri nequeat.* *Illud est quod non est formatum, & in quo nulla est dispositio.* *Et propterea Spiritus ille, qui procedit extrorsum*, id est, ad Victoriam & Gloriam Microprosopi, qui sunt gradus extra corpus constituti, & sunt duo Prophetæ Veritatis: *& quo induuntur Prophetæ veri, vocatur Os Domini.* Et hoc manifestatur omnibus, quia est extra Microprosopum. Sed os hoc *in Seniore Sentorũ non exponit aliquid*, nisi mediantibus Patre & Matre Microprosopo: *nec est, quæ scirat spiritum ejus*, id. lt, mysteria & apocrypha ejus, *præter ipsum solum.* Sed mediante Patre & Matre Spiritus ejus descendit in Microprosopum, sicut diximus. *Et propterea pili ejus æquales sunt per circuitum oris, ita ni hoc vacuum sit ex omni parte.* *Et in hoc fiduciam suam collocarunt Patres nostri, ut vestirentur illo spiritu, qui extenditur in multa latera in loco, ubi omnes pili ejus circumcirca æqualiter cessant.* Desiderium autem Patrum Sanctorum, qui sunt illi, qui Thronum Dei constituunt, nempe Abraham, Jizchak, Jaacob & David; hoc fuit, ut morerentur morte osculi, cum adhæsione Spiritus in Spiritu: nam talis spiritus halitus istius oris fuit ille, quò mortuus fuit Moses. Et DEUS Sanctissimus, qui benedictus sit! ipsis spem fecit de ore hoc, quòd nempe effluturus sit ab eo Spiritum Vitæ vitarum per Microprosopum. *Sicut scriptum est: Quam juraſti Patribus noſtris.* Et hoc est mysterium expirandi & colligendi, quod de Patribus dicitur, ipsisque juramento promissum fuit.

Et hæc est Forma sancta superna dodecadum, è qua catenatim dependent duodecim termini supra, & duodecim termini infra, in omnibus mundis; & duodecim metathesis Tetragrammati phylacteriorum Microprosopi descendentium à Capite Senis singulis diebus. Quò pertinet illud, quod Sapientes nostri dixerunt: DEUM Sanctissimum benedictum applicare sibi phylacteria. In Mundo Creationis autem sunt duodecim portæ Hierosolymæ superioris, & duodecim palatia, (quæ sunt antitypus duodecim taurorum, supra quibus collocatum erat mare, mare nempe antiquum & ultimum;) singula signata nomine tribûs cujusdam. Et sic sunt duodecim ritus precandi juxta duodecim

cim tribus; & duodecim species suffimenti. Et hûc respicitur, cũ dicitur de duodecim terminis supernis in Barba Senioris : & de duodecim terminis inferioribus in Paradiso Throni Gloriæ. Forma autem decima tertia comprehendit omnes: hinc non nisi pro duodecim habentur, juxta duodecim meratheses Tetragrammati, ubi scaturigo etiam omnes comprehendit. Et istarum respectu porrò dicit, quod sint duodecim termini sive limites pro duodecim tribubus Patrum: qui omnes sunt in membris Gloriæ cohabitantis; præter Josephum qui est de fundamento Microprosopi, & pertinet ad mundum masculinum. Et horum respectu duodecim limites & termini fuerunt in terra Israelis & trans Jordanem. Et hoc est illud quod scriptum est? *quam juraſti Patribus noſtris*, iisdem nempe traditum iri illos duodecim limites.

§. 206. Forma ultima & decima tertia Barbæ Capitis non Entis nominatur קדם *Dies priſcini*. Et ab extra hanc ipsam superinvestit forma ultima Barbæ Microprosopi, quæ vocatur נקא *& purificando*. De hac sic differitur in Idra magna. Forma decima tertia est pilorum sub barba descendentium ex utraque parte in dignitate elegante, & in dignitate pulchra: & tegunt pectus usque ad præcordia; &c. Hæc supra jam exposita sunt cum actum est de forma octava: nimirum tota spica Barbæ quæ interiora spectat jugulum versus & collum vocatur Influentia decima tertia. Et hæc forma ultima omnes accipit influxus & omnia lumina, eademque deorsum deducit, quia est infima: & duæ istæ influentiæ contegunt Patrem & Matrem, & hi per illas copulantur. Porro autem dicit: *& nihil videtur de facie areolarum aromaticarum, præter illa poma pulchra albа.* Quasi diceret: omnes pilos areolarum sive genarum, pertinere ad contegendam faciem: modo quod emineant duæ genæ, dextra & sinistra, hinc istas appellat duo poma pulchra, id est, alba & rubra, sive utriusque coloris; nam qui tantum albus est, non vocatur pulcher. Ne autem quis nimiam sibi imaginetur rubedinem, hinc eadem vocat alba, quia ibi non nisi benignitas est: Porrò dicitur: *Didicimus: iſta forma vocatur Dies priſcini, dies primi primorum: illa verò qui in Microprosopo vocantur dies ſeculi.* Id est. In Macroprosopo dies vocantur priores, & supernæ: qui autem in Microprosopo, inferiores sunt & ab Intelligentia, quæ vocatur שדים seculum, sicut dicitur 1. Par. 16. 36. *a ſeculo*, i.e. à Regno, *usq; in ſeculum*, i.e. usq; ad Matrem, quoniam unum est seculum supernum, & alterum est seculum inferum: & hue pertinet locus Mal. 3. v. 4. & dulcescet Domino munus Jehudah & Jeruschalaim secundum dies seculi, & secundum annos antiquos: quorum illi ab his dulcescunt.

Et subjungit: *Et forma decima tertia*, id est, Influentia inferior, *comprehendit illas*: i.e. continet formas omnes, & ipsius nomine vocantur dies una. Nam hæc illas in se suscipit, & in ipsam omnes fiunt unum. Et hæc est dies illa cujus lumen effulgebit tempore futuro, juxta illud Zach. 14. v. 6. *Dies una, quæ nota Domino, nec erit dies, nec nox.* Id est, non erit usus Microprosopi qui est metrum diei; multò minus mundus formativus, qui est mysterium sex dierum, & mundus factivus, qui est mysterium sex noctium ad dies istos pertinentium.

Ibidem quoque dicitur: *Et didicimus: Illi dies priores omnes formantur in conformatione*

matione barbæ, ut Senior Seniorum, occultus occultorum comprehendatur eis. Hoc est mysterium Capitis ignorati, quod comprehendit Caput non ens, & Macroprosopum sub mysterio occulto, & abscondit mysteria & conformationes eorum & omnia occulta superiora & infera in eo occultantur. Sed in Influentia hac omnia continentur. Hinc subjungit: Et in hac comprehenduntur, in hac nimirum influentia à quâ promanant omnia. *Et illo tempore:* id est: tempore Messiæ. *Illa vocatur nomine noto*, per illas tredecim formas Michæ & Mosis. *Ubi dies eſt, ibi & nox. Non enim eſt Dies*, id est, Microprosopus, *ſine nocte*, id est, sine Uxore sua, sed quia illi tempori Senior præerit; hic solus invenietur. Et quamvis hæc forma contineat omnia, in illa tamẽ nihil innotescit nisi ipse.

De ea manat oleum in oleum in tredecim partes, &c. verſus omnia inferiora, ut lucent. Quæ sunt Pater & Mater, & Microprosopus & Uxor ejus: quæ hi non lucent nisi per illuminationem Macroprosopi & tredecim formarum ejus. Quod fit per bona opera inferiorum, quæ constituunt aquas fœmininas, ut formæ istæ deorsum splendeant. Per hunc influxum qui deorsum promanat è cerebro ordinantur tredecim formæ superiæ Barbæ &c.

De hac ſcriptum eſt: Ego Dominus &c. Quia scilicet facta est è Regno Adami primi, quod vocatur אני Ego: Et habet literas אין, sub mysterio Capitis Non entis.

Et scriptum est: *Ipſe fecit nos* &c. Nam semen descendit à Cerebro sub mysterio duodecim limitum in duodecim tribus: & abhinc descendunt omnes animæ à duodecim meratheſibus Tetragrammati.

Et ſcriptum eſt Pſ. 139. v. 14. Confitebor tibi, quod נפלאתי *mirè factus ſum.* Sub mysterio scaturiginis aquæ viventis è פלא seu miserabili superno: quæ sunt literæ אלף Capitis אין non entis; unde descendunt triginta duæ semitæ sapientiæ.

§. 207. Quia autem Caput non ens & Macroprosopus ita sunt unita, ut decem gradus illius lateant intra decem gradus istius; & intra utramque delitescat Basilia quæ ignoratur: adeoque etiam tredecim formæ Macroprosopi plane concurrunt cum tredecim formis Non entis: unde non opus est eas seorsim describere.

§. 208. His ita expositis de Macroprosopo, R. Schimeon porrò dixit ad socios suos: *Nunc diſponite vos, & applicate ſcientiam* vestram ad tradita & nomina, & meditationes, quas à me audivistis, *ad deſcribendum formas Microprosopi; quomodo conformetur, & quomodo veſtiatur Conformationibus ſuis à formis Senis dierum, Sancti Sanctorum, abſconditi abſconditorum, occultati ab omnibus.* Hic vocat eum Sanctum Sanctorum respectu Sapientiæ Adami primi, occultatæ in Regno ejus. Sicut enim cùm homo vocem aliquam scribere vult, scripturam primò concipere tenetur mente sua & cerebro: ita hæc Sapientia in actum deducit Regnum hoc Adami primi, ut operari queat. Sed abscondit abscondit eum vocat, respectu Adami primi occulti, cujus fundamentum abscondit est in Sapientia Adami primi simpliciter ita dicti. Cùm autem nominat occultatũ ab omnib. mentem applicat ad filũ Infiniti descendens è fundamento vestimenti.

Jam enim obligatus eſtis judicare judicium verum, pulchrum & decorum, & diſponere omnes Conformationes quàm accuratiſſimè. Sensus est hic: quòd Caput Microprosopi con-

constitutum sit è judiciis אמרת veritatis: quoniam nomen אמרת est in Matre; quod nomen, cujus numerus est 21, in se ductum efficit numerum vocis אמרת id est, 441: in antithesin judiciorum partis adversæ, quæ vocatur perversio judicii. Judicium autem hoc vocat pulchrum & decorum, quia in eo est misericordia & judicium, id est, album & rubrum, in quibus consistit pulchritudo hominis: quod ita non est in Macroprosopo, in quo prævalet albedo.

Conformationes autem Microprosopi formantur à formis Macroprosopi, & membra ejus huc illuc extenduntur. Id est: in omnes partes ejus, sic alibi dicitur in hac Idra: *Cum constituisset ornatum inducere ornatui suo:* Ubi per ornatum intelligitur vestis, qua contegitur id quod occultandum est. Nam Microprosopus est vestimentum secundum: Quo etiam tendit, cum inquit: *donec Caput album Senior Senierum induceretur veste suâ;* id est, Microprosopo. Sic alibi dicit idem textus: ויצר יי אלוהים את האדם & formavit Dominus Deus hominem; duobus Judin, perfecit formam in forma: quod denotatur phrasi: & formavit. Nam Microprosopus est vestis Senioris, qui eidem immittit lumina sua ut operetur operationes suas. Respectu Senioris Sanctissimi igitur, qui est Nomen Tetragrammaton, Microprosopus vocatur אלוהים quia ille est misericordia absoluta; in Microprosopo autem lumina ejus habent naturam severitatem respectu Senioris. Quamvis in Microprosopo eadem lumina sint misericordia, respectu luminum Regni & trium mundorum inferiorum.

Mox paulò infra pergit Idra: *Cum in mentem veniret Capiti albo ornatum inducere ornatui suo:* id est vestem vesti: quia manifestatio parit contentum. *Formavit & paravit & produxit è Lumine intensissimo radiante è nigredine, scintillam quandam: in quam sufflavit, & constituta est. Iterum, in mentem ipsi venit, & hæc extendebatur in trecenta & septuaginta latera; & scintilla subsistit, & expectavit, donec procederet aer subtilissimus, qui circumvolutus est, & extensus; unde prodiit cranium quod dam durum in quatuor latera. Et in illum aërem subtilissimum hausta est scintilla illa, ang, ea comprehensa & inclusa fuit. Itaut è occultata est, in quam. Et propterea cranium hoc extensum fuit in latera sua. Et aer iste est occultum occultorum Sanctiorum, in spiritu qui absconditus est &c.* Sensus est hic: quod omnes Conformationes Microprosopi factæ sint à Capite hoc albo; i.e. à Macroprosopo. Hic igitur cùm vellet disponere formas capitis ejus, ut faceret tegumentum & vestem supra vestem suam priorem; constituebat & producebat scintillam unicam è sphæra severitatum, quæ vocatur בוצינא דקרדינותא Lux intensissima è nigredine eradians. Hæc est scintilla Ignis, è qua deinde generata est nigredo in fundo abeni. Id est descendebant מבשפת seu literæ duplices; quæ est scintilla severitatum, è cujus quinque literis generatum est nomen אלוהים. Et hæc est scintilla illa è qua generata fuit nigredo capillorum Cranii Microprosopici: & triginta duo nomina אלוהים, quæ in Cranio: & trecenta & viginti judicia; & omnia reliqua nomina Elohim abinde prodierunt. Et hæc est illa, quæ literam נ Capitis נזר discidit in duas partes, ut exinde resultarent bina יו, ad constituendum numerum Nominum Elohim: quæ in Seniore quidem mitigata sunt, sed cùm descenderunt, in Microprosopo operationes suas operantur. Sed cum illis descendebat nomen אהיה ad dextram & ad sinistram fronti Macroprosopi, cujus ple-

plenitudines efficiunt 370. lumina; cujus numeri mentio fit in textu proposito. Sic quoque cum illis descendit plenitudo Tetragrammati סג ex Intelligentia, quæ Ipsa est Macroprosopus. Quicquid autem è summis descendit, in se habuit mysterium decadis; sive literæ Jod. Numerus igitur 37. (i. e. plenitudo Tetragrammati סג) decies sumtus efficit 370 Lumina, ad suppriemenda judicia cum Jisraelitæ faciunt voluntatem Domini. Et à nomine סג, id est, Intelligentiâ judicia exsuscitantur. Singula igitur Nomina hæc sua producebant judicia, & extendebant Cranium in quatuor latera. Et hoc ipsum est quod textus dicit: Scintilla illa, quæ descenderat sub mysterio infantiæ extendebatur in 370. latera. Et scintilla stabat & expectabat donec cum ipsa exiret aër subtilissimus, qui descendit ex aëre illo intra cerebrum contento, unde fit ros & cerebrum Microprosopi; ut scilicet ille intra cranium includi posset. Verùm enimverò illa in eo non est comprehensa: Nam aër ille subtilis substitit ad latus dextrum; & ignis iste constitit ad latus sinistrum: plenitudo enim Nominis אלוהים Jodata, cum numero integri efficit numerum אש id est Ignis. Et sic etiam Nomen מעשפת id est Tetragrammaton Alphabethi inversi, cum numero integri habet numerum אש id est 301. Non miscebantur ergo album & rubrum, quæ sunt misericordia & judicium, quæ vocantur Aër subtilis, qui ad dextram; & ignis subtilis, qui ad sinistram. Unde in textu dicitur: Itane putas inclusam? Non enim hîc, ut in Macroprosopo se res habet, ubi sinistri nihil: sed hîc revera separantur in dextrum & sinistrum, tam capilli quam ros. Unde textus: *In hoc cranio ignis extenditur in latus unum; & aër subtilis consistit super eo, in latere altero; ita ut ignis ille subtilis in alio latere sit. Quid Ignis hoc loco sibi vult? Nimirum non est Ignis: sed splendor ille luminosus comprehensus in aere subtilis fulget in ducentos & septuaginta mundos: & judicium ab illo derivatur. Et propterea cranium hoc vocatur durum.* Per ducentos hos & septuaginta mundos intelligitur mysterium literarum duplicium מבשפת, quarum numerus est 280. A quo si subtrahas dextrum & sinistrum, id est literas istas bis sumtas qui efficiunt decem; resultat numerus 270. juxta vocem יעל malum. Cujus radix relinquitur supra, nempe bonum, quod sunt benignitates ejus: quod est mysterium Microprosopi, qui vocatur arbor Cognitionis boni & mali, quod malû sunt severitates ejus: & quia ab eo suctionem habent cortices externi, nimirum à nominibus infantiæ ejus. Hinc סבכתא seu literas finales appellat lumen hoc intensum, quod comprehenditur in aëre subtili descendente à membrana aëris: quam lucere dicit in ducentos & septuaginta mundos prodeuntes è cranio Microprosopi, & extensos in mundum Creationis, ubi magis prodeunt isti 270 mundi qui mitigantur à decem Tetragrammatis, quæ efficiunt 260, & cum decade omnium 270. Ethic est sensus verborum propositorum; sed Lux intensa, quæ comprehendebatur in aëre subtili, hoc est mysterium decem horum Tetragrammatorum, quæ descendebant comprehensa in scintilla prodeunte è Lumine illo intenso literarum סבכתא, quæ descendebant cum discrimine dextri & sinistri: fulgebat in ducentos & septuaginta mundos. (Quamvis hic etiam intelligi queant viginti septem literæ unà cum finalibus, scilicet per decadem multiplicatæ.)

Et pergit textus: *Et judicium ex parte ejus inventur*, sicut notum est, quod hæc fit scintilla illa, è qua oritur nigredo omnium turmarum filiorum Dei.

Et propterea hoc cranium vocatur durum, & ex hoc cranio influxum accipiunt multa millia millium & myriades myriadum. Et ex ista vi judiciorum deinde procedunt Lumina superflua, & penetrant cranium, & supra illud consistunt. Et hoc cranium rotundum est: sed quando illuminatio accedit è formis Macroprosopi, hoc ipsum statim fit Macroprosopicum, ita ut longam faciem accipiat, quò splendere queat deorsum ad dealbanda judicia sua & Uxoris suæ, quorum numerus est תמר 640 id est, 320 ipsius propria, & 320 Uxoris ejus. Quem numerū etiam habet vox שמש Sol, cum scilicet dulcescunt per fundamentum, quod vocatur שמש. Non habet autem longam faciem Microprosopus, nisi cum Cranium Senis radios demittit in cranium ejus, quod est mysterium prolongatæ faciei Senioris, quæ extenditur in trecentas & septuaginta myriades mundorum: nam ista extensio vocatur longitudo faciei, & fit è nomine אד ad dextram & sinistram frontis constituto, quorum numerus assurgit in 370 Lumina, quæ extenduntur in Microprosopum, & prolongant faciem ejus: Quamvis ipse nonnisi 221 lumina retineat ex illis 370, juxta numerum vocis ארך: & Regno transmittat 150 lumina ad instruendam faciem illius. Et hoc est, quod in Idra dicitur: Cùm facies Macroprosopi respicit faciem Microprosopi, prolongatur facies istius, & vocatur ארך אפים longam faciem habens, sive longanimus.

§. 209. Pars secunda Capitis Microprosopi est Ros candidus & rubicundus, reconditus intra Cranium ipsius, & hic non similis est rori Senis Sanctissimi, qui vocatur Ros crystallinus, quoniam constat è benignitatibus & severitatibus quotidiè destillantibus, unde ex natura benignitatis candidus est & ex natura severitatis rubicundus. Singulis igitur diebus de cranio Capitis albi Senioris ros destillat intra Cranium Microprosopi, ut istud rore impleat, omnesque mundos vivificet: hinc in Idra magna dicitur: In Cranio Macroprosopi quotidiè residunt tredecies mille myriades mundorum, &c. Id est: tredecim flumina Balsami purissimi, qui in mundo Creationis emanant è tribus illis Tetragrammatis, quæ in Capite albo, quæ cum originali efficiunt tredecim literas: & ex illis extenduntur tredecim formæ barbæ ejus. Et hæc Lumina sunt superflua, quæ in Cerebro subsistere non possunt, sed extenduntur in pilos barbæ ejus.

Et sic de Cranio Microprosopi dicitur in Idra magna: *In Cranio hoc residentnovies mille myriades mundorum, qui accipiunt ab eo, & fulcuntur super eo*: Id est: influxum accipiunt, & sustentationem habent ab influentia ejus, quò vivere possint. Et quia in ipso novem tantum sunt formæ: hinc dicitur, quòd è Cranio ejus prodeant novies mille myriades mundorum, id est, lumina superflua, quibus ipse non opus habet ad vitam propriam. Hoc omne autem fit in Systemate Creativo, quod dilaterat in mysterium mundorum. Et quia in Microprosopo dividuntur in dextrum & sinistrum, hinc duplex quoque ipsorum erit operatio futuro tempore Messiano, ubi in Resurrectione mortuorum quidam resurgent ad vitam æternam, & quidam ad opprobrium æternum.

Et pergit textus de Macroprosopo: *Et ex illo cranio Capitis albi destillat ros in hunc*

qui extra est, id est in Microprosopum, qui extra formas barbæ consistit. *Et ex illo rore, qui splendet è capite istius qui extra est, exsuscitabuntur mortui in mundo venturo: sicut scriptum est* Cant. 5. v. 5. *Caput meum repletur rore. Non scriptum est* מראת *plenum est*, quasi à se ipso repleretur, & non à luminibus supernis, id est, à Rore Senioris. *Sed* נמלא *repletur* ab illo capite albo. *Et alibi scriptum est* Jesch. 26. v. 19. *Quoniam Ros luminum ros tuus.* Ubi sensus est, quod ros Microprosopi compositus sit è duobus luminibus, nimirum è rore Senioris, & Microprosopi. Et in eo sunt 613. lumina, juxta numerum vocis אורות lumina. Hinc etiam dicitur: Qui studium Legis tractat, hunc Ros Legis vivificat: &c. Hinc textus dicit: *per Lumina intelligitur* (simul) *lumen albedinis senioris. Et ab illo rore conservantur sancti superni. Et hoc est Manna quod molunt pro justis in mundo venturo. Et ros ille destillat in agrum pomorum sanctorum*: quæ est Rachel mundi creativi. *Hoc ipsum est, quod scribitur Exod. 16. v. 14. Et ascendit cubatio roris: & ecce super facie deserti tenue rotundum, sicut pruina super terram.* Ubi intelligitur Basilia, quæ vocatur Terra: & est Regnum mundi creativi. Et influentia hæc purificabat immunditiem deserti magni & terribilis. Et ex hinc intelligebant & comprehendere poterant mysteria & arcana Legis &c. *Et color hujus roris erat albus, ad instar lapidis crystalli, cujus aspectus omnes colores in se habet: & hoc est quod scribitur Num. 11. v. 7. & species ejus, sicut species crystalli.*

Eodem modo de hoc dicitur in Idra parva fol. 142. col. 3. *In hoc cranium destillat ros de capite albo: & iste ros duos in se habet colores: Et ab illo cibatur aqer pomorum sanctorum. Et ex isto rore cranii hujus molitur Manna pro justis in mundo venturo. Et per illum mortui vivificabuntur. Nec amplius descidet Manna ab isto rore, præter illud tempus quo Israelitæ peregrinabantur in deserto, eoq; cibabat Senex omnium, ex illo loco, quo deinde non amplius inveniebatur. Hinc scriptum est: Exod. 16. v. 4. Ecce pluam vobis panem de cœlo.* id est, à Microprosopo qui vocatur cœlum: quamvis etiam respectus sit ad Pulchritudinem Capitis ignorati, quæ etiam vocatur שמים cœlum. *Et scriptum est: Gen. 27. v. 27. & dabit tibi Deus de rore cœli.* Triginta duo enim Nomina Elohim, quæ occurrunt in historia Creationis: (& repræsentantur per bina illa א literæ in medio fixæ, Capitis (אי) cum septem formis ejus efficiunt 39. lumina, quæ sunt טל ros ille, qui descendit, & de quo Idra loquitur, quòd ros descendat in Microprosopum, dicentem ad uxorem suam: Cant. 5. v. 2. Aperi mihi soror mea, &c. quia caput meum repletum est rore, & cincinni mei guttis noctis. Id est, pro te statutis: quia Basilia vocatur Nox. Nam & hæc cibatur rore hoc, donec ex illo fiant pro ipsa quatuor Tetragrammata יהוה, עב סגי מהי בן, quæ habent 39. literas; & hic est ros Basiliæ. De rore autem priore descendat Manna è cœlo pro Israelitis, & quidem illo saltem tempore, nec postea amplius. Sed tempore resurrectionis mortuorum manifestabitur ros ille ut prius. Et pergit eadem Idra parva ibidem:

De alio tempore traditum est: quod alimenta hominis difficultatem pariant coram Deo sanctissimo qui benedictus sit. Id est, Microprosopo. Vel potius, quia non dicit, difficultatem pariunt DEO; sed potius, coram DEO sanctissimo; id est illi, qui coram DEO

sanctissimo adstat & ministrat, qui est Metatron Princeps mundi, qui distribuit alimenta ad mandatum Dei sanctissimi benedicti, omnibus qui in mundum veniunt. Et ipse est Caput & Pater consistorii inter Synedriales illos 71. qui consident in palatio Meriti. Hinc dicit: *Et propterea liberi, vita & alimenta non à merito dependent, sed ab Influentia. Omnia dependent ab hac influentia, sicut posuimus.* Et huc pertinet dictum illud; Qui dat panem omni carni; quoniam in seculum benignitas ejus: Ubi vox חסדו i. e. benignitas ejus eundem numerũ habet, qui est in voce מזלא Influentia; i.e. 78. qui numerus quoq; extat in voce לחם panis. Est que benignitas magna roris superni, qui descendit per influentias imminentes capiti Microprosopi; unde Manna descendebat pro Israëlitis. Quale adhuc quotidie descendit pro Justis; quod est מן illud, id est duæ literæ primæ è quinque duplicibus מנצפך, ut supra dictum est. Molæ autem istæ sunt in Palatio Amoris, ubi molitur manna pro Justis per Benignitatem & Severitatem proximè superiorem. Nam Palatium Amoris est in Pulchritudine, quæ est pars molæ interna, quæ temperat judicium cum benignitate, ut convertatur in misericordiam, quo exerceatur vindicta ergà gentes & exhibeatur gratia Israëlitis. Quinam autem sunt illi, qui manna molunt? Nimirũ illi, qui dolores sustinẽt pro Deo & gloria ejus, quod hęc expulsa sit de loco suo: &c.

§. 210. Ex hoc rore, qui in Microprosopo, cui competit nomen Capitis Albi, semper aliquid destillat in Cranium Microprosopi, quod habet tres cavitates, quæ ab illo replentur. Unde de hoc Cranio Microprosopi in Idra magna porro habentur sequentia. *In hoc cranium destillat ros è capite albo, quod eo semper plenum est: & ab illo rore vivificabuntur mortui. Et iste ros in se habet duos Colores: ex parte capitis albi, Albedo ineo est, qua omne album in se continet: Sed quando residet in isto capite Microprosopi, apparet in eo rubedo. Sicut se habet crystallus, quæ alba quidem est, sed ita tamen, ut color ruber eodem modo in ipso appareat, ut color albus.* Sed in Microprosopo color ruber realis est: unde dicitur: *color ruber in ipso videtur ut color albus*, & operabitur operationẽ suam in revivificatione mortuorum. Unde ibidem textus pergit: *Et propterea scriptum est Dan. 12. v. 2. Multi qui dormiunt in terra pulveris, expergiscentur; hi ad vitam seculi, & illi ad opprobrium & contemtum seculi. Primirum justi ad vitam æternam, quia digni sunt illa altedine, quæ provenit à parte Senis dierum Macroprosopi: & impii ad opprobrium æternum, quia digni sunt illorum rubore Microprosopi, & omnia includuntur in hoc rore. Et hoc ipsum est, quod dicitur Jes. 26. v. 19. Quia ros luminum ros tuus. Ubi duo sunt, ros nimirum albus & candidus atque fulgens præ nimio candore: & ros rubeus. Vel etiam duo sunt, unus ex parte Macroprosopi; & alter ex parte Microprosopi.*

Et ros ille, qui destillat, destillat quotidie in regnum pomorum; id est, in regnum *colore albo & rubro*. *Hoc Cranium fulget duobus coloribus versus hoc latus & versus illud latus*; prout etiam dicetur de capillis. Et sic benignitates & severitates descendunt è Capite albo in Microprosopum per Victoriam, Gloriam & Fundamentum Patris & Matris; Quæ sunt duæ Coronæ, quas Microprosopus adipiscitur à Patre & Matre.

Hic repetendum est, quod Intelligentia fissa è septuaginta illis myriadibus literarum acceperit unam & viginti myriades, juxta numerum vocis אהיה Macroprosopi,

pi, qui est Intelligentia, in quo sunt ter septem, quę per decem multiplicata efficiunt ter septuaginta pro tribus Capitibus. Hinc ex illis septuaginta myriadibus adhuc restabant 49. myriades literarum, ex quibus construenda erat Persona Microprosopi, qui constat è septenario Numerationum: septies autem septem sunt 49. Et hæ sunt 49. portæ Intelligentiæ; quarum quinquagesima est ipsa Intelligentia. Et sunt de Luminibus Tebunæ, quæ vestiunt Microprosopum usque ad umbilicum ejus, ita ut post finem personæ Matris Binah, quæ est supra Microprosopum, sequantur portæ Tebunæ, quæ sunt quinque Numerationes fundamentales constantes è decade: unde 50: & vocantur Portæ Intelligentiæ, quia sunt finis ipsius Intelligentiæ, & sunt in cavitate secunda Cerebri Microprosopi, ut infrà dicetur. Et hæ sunt 49. portæ Intelligentiæ, quæ manifestatæ fuerunt Moysi; quoniam Microprosopus prodit ab Intelligentia. Et sic in Persona Tebunæ seu Intelligentiæ specialis sunt tria nomina יהוה; nimirum Jodatum & Alephatum, & Heatum, in quibus sunt quinque Jodin, unde prodit numerus 50. Jam verò sicut in Microprosopo bina sunt, judicia nempe & misericordiæ, prout & in Idra magna dicitur; quod à capillis, qui dividuntur in partem dexteram & sinistram communicationem habeant puri & impuri, ita 49 bis sumta efficiunt 98 juta vocem עז candidus & rubeus. Et ita se habet ros iste, qui candidus & rubeus est in Microprosopo. Cùm autem ex 21 myriadibus fierent tria Capita, cum istis jungebantur 18 mille myriades, unde fiunt 39 myriades, juxta vocem טל. Sic in Corona Microprosopi insculptum est nomen כוי, cujus numerus est 39. Et sicut ros ille dicitur ros luminum, i. e. partim Microprosopi, partim Senioris: ita dividitur in tres guttas. Nam ros Senioris provenit à tribus Capitibus, quę singula portionem suam contribuunt ad rorem istum. Et sic etiam in Microprosopo sunt tres cavitates Cerebri & Cranii, nempe Sapientia, Intelligentia, & Cognitio. Nam tres illæ partes, quæ prodeunt è Victoria, Gloria & Fundamento Matris, intra Cranium Microprosopi in illo efficiunt tria hæc cava Cranii. In quorum uno, quod est Sapientia sunt triginta duæ semitæ Sapientiæ, quæ sunt triginta duo Nomina אלהים historiæ Creationis: & exhinc prodeunt 320 judicia. Et in cavitate secunda sunt quinquaginta portę Intelligentiæ; quinquaginta dies Legis; quinquaginta millia generationum, &c. Quæ pertinent ad Intelligentiam. Et cavitas tertia est mysterium Cognitionis, quæ distribuitur in totum corpus Microprosopi, ut benignitates & severitates, cui tribuuntur conclavia & exedræ luminis. Ubi notetur, quod literæ vocis חדר conclave, denotent tria hæc חסד דין רחמים i. e. Benignitatem, Severitatem, & Misericordiam. Et tres illæ guttæ sunt in tribus his cavitibus cranii, & continentur in tribus illis Tetragrammatis; Dominus regnavit; Dominus regnat; Dominus regnabit in seculum & sempiternum. Quæ tria Tetragrammata efficiunt bis 39 juxta vocem טל i. e. ros. Nomen igitur כוי, cujus numerus est 39. sive ros, quod semper pertinet ad Cognitionem, semper destillat in Cognitionem hanc rorem crystallinum è capite albo.

§. 211. Ratio autem, quare in Microprosopo sint tres cavitates: hinc petitur: quod in Sohar Microprosopus habere dicatur duo Cerebra, & duas Coronas acceptas à Patre & Matre. Cerebra ergò sunt duo, nempe gutta Cerebri Patris est benignitas, & gutta Cerebri Matris est Severitas, quæ cum duabus Coronis efficiunt quatuor. Cum autem contineatur

nentur in Victoria Gloria & Fundamento Matris, i. e. in Persona Tebunæ, quæ ista introducit in Microprosopum, fiunt tria, Sapientia, Intelligentia, & Cognitio.

Nam Cognitio continet duas Coronas, quæ sunt decem Tetragrammata: quinque Tetragramnata Benignitatum: & quinque Tetragrammata severitatum: præter quæ adhuc continet duo Cerebra, Sapientiam scilicet & Intelligentiam. Et de his in Idra parva fol. 142. col. 3. hæc traduntur: *In cavitate Cranii fulgent tria Lumina: & quamvis dicantur tria, quatuor tamen sunt: i. e. duo Cerebra, & duæ Coronæ, sicut diximus, quod iste accipiunt hæreditatem Patris sui & Matris sua.* Nam Pater & Mater continent illa lumina; & deinde è Victoria, Gloria & Fundamento eorum intrant in Caput Microprosopi; & dividuntur in tres partes, quæ sunt Sapientia; Intelligentia & Cognitio. Hinc porrò sequitur. *Tria ergò sunt, & duo, quæ in illis occultantur: quæ omnia vincuntur circa Caput ejus.* Nam Cerebra dividuntur in tres partes; quæ sunt Sapientia, Intelligentia & Cognitio. Et deinde in capite primogeniti hujus discernitur portio duplex: id est, in cognitione ejus benignitates statuuntur separatim, & separatim quoque severitates. Nam cùm descendunt in corpus Microprosopi, nonnisi bipartiuntur, in benignitates nempe & severitates.

Et sunt phylacteria capitis, quatenus scilicet ascendendo quasi per lucem reflexam caput ambiunt.

Tandem autem uniuntur in diademate ejus, & splendent, & intrant in tres cavitates Cranii: Ubi sunt Sapientia, Intelligentia, Cognitio: *& singula procedunt in latus suum:* unum in latus dexterum; alterum in latus sinistrum; & tertium in locum medium, sicut locantur Victoria, Gloria & Fundamentum eorum. *Et extenduntur per totum corpus, adeoque uniuntur in duo Cerebra, & Cerebrum tertium eadem comprehendit.* Ubi intelligitur Cognitio, quæ in se comprehendit illa lumina, non tantùm Sapientiæ & Intelligentiæ, sed & in specie lumina è fundamento Matris.

Et sic partem habet in hoc latere, nempe benignitatum; *& in illo latere* sinistro nempe, & severitatum. *Et extenduntur* per totum corpus: *& ex eo fiunt duo colores simul juncti: & lucet facies ejus* in albo & rubro: *& testatur de Patre & Matre*, quod sit filius illorum, postquam nempe accepit hæreditatem ab illis duplicem. Sicut enim de Josepho & Isaaco dicitur, quòd è facie illorum cognosci potuerit, illum fuisse Jacobi, & hunc Abrahami filium: ita Cognitio hæc testimonia habet duorum istorum colorum, albi nimirum & rubri, quæ sunt benignitates, & severitates: ita ut Cognitio fiat testimonium: sicut dicitur DEUS Cognitionum est Tetragrammaton. Ubi in voce vera est metathesis vocis . Unde textus ait: *Et testantur de Patre & Matre colores facies ejus: & hoc vocatur Cognitio & testimonio*, quod est fundamentum. *Et hoc pertinet locus 1. Sam. 2. v. 3: Quia Deus cognitionum est Tetragrammaton.* Ubi Microprosopo tribuuntur Cognitiones in plurali; quia in eo est fundamentum Patris & Matris; & in eo sunt benignitates & severitates. Item qui in Patre duæ sunt species cognitionis; una nempe in Patre ipso; & altera in Israële sene; & sic alia in Matre, alia in Intelligentia specifi: item alia in puero Israele: & alia in Jacobo, quæ sunt cognitiones multæ.

Et quia in Cognitione Microprosopi *sunt duo colores*, benignitas & judicium; *hæ ipsi tribuuntur operationes*, ut locare queat vel ad sinistram vel ad dextram, adeoq; exercere vel

vel benignitatem, vel justitiam. *Sed Seni Sanctissimo non tribuuntur* actiones plures: quia in Sene nonnisi benignitas est & misericordia, nec ullum judicium. *Quam ob causam ista tribuuntur huic? quia hæres sit duarum portionum. Et scriptum est Ps. 18. v. 26. Cum benigno benignus eris, cum viro perfecto perfectus eris: cum mundo eris mundus; & cum perverso perversus videberis. Adeoque rectè huc applicuerunt socii id quod scriptum est Gen. 29. v. 12. Et nuncia vit Jacob Rachelі, quod frater Patris ejus esset, & quod filius Ribcah esset: ubi non scribitur, quod filius Jizchak esset. Et cuncta hæc indicium sunt Sapientiæ. Et propterea vocatur perfectus & omnibus*, sicut scriptum est Gen. 33. 18. Et Jacob veniebat incolumis: quia in ipso duæ sunt portiones, judicium & misericordia, quæ non sunt in Seniore illo, quippe cui sola benignitas competit.

Et hinc apparet veritas. Si enim in homine est bonum & malum: id est, si habet intellectum & scientiam, ut discernere queat bonum à malo, & ille bonum eligit, necesse est, quod veram sibem custodiat in corde suo, sicut scriptum est Eccl. 8, 5. Custodiens præceptum non cognoscit rem malam; quia nihil mali asseenditin cogitationem ejus. Quod ita se non habet in Seniore illo, qui totus bonus, & cujus natura est bonitas: unde tantummodo benefacere potest, adeoq; non exercet actus amoris & fidei. Hinc Microprosopus vocatur Deus fidelis. *Et propterea scriptum est: Et indicabat Jacob: quæ est phrasis occulti quippiam subnuendi; & non scriptum est Et dixit. Hi colores extenduntur per totum corpus* Microprosopi, ut in ipso sit dextrum & sinistrum, juxta formam liberæ , in qua est dexterum & sinistrum una cum linea media. *Et corpus compositum est ex illis*, i. e: benignitates & severitates: sunt ipsa essentia corporis Microprosopi: & hæc est vita, & natura, & unio ejus; quoniam membra ejus: revera fiunt è benignitatibus & severitatibus.

Sed Seniori Sanctissimo abscondito præ omnibus occultis, non tribuuntur nec conveniunt, scilicet *isti colores, quia ipse tantum benignitas est: nam ille totus univocus reperitur, & vita pro omnibus, & ab eo nullatenus dependet judicium. Sed huic*, i. e. Microprosopo, *meritò ista tribuuntur*, nimirum actiones diversæ, sicut dicitur Jer. 32. v. 19: Magnus consiliò & multus actione: quia oculi tui aperti sunt super omnes vias filiorum hominum, &c. Nimirum ad affligendum illos, vel ad benefaciendum illis secundum viam suam.

§. 212. In Idra magna autem fol. 59. col. 4. de his ita disseritur: *In cavitatibus cranii tria inveniuntur cava, in quibus locatur cerebrum; & membrana tenuis insternitur illi*, quæ à rore hoc ita disponitur, ut non possit esse clausa, sicut membrana aëris in Sene dierum, quæ tenax admodum est, & cerebrum includit, ut non possit deorsum eniti nisi guttis parvulis. Membrana ergò hæc dura est, prout in Sene annoso, ita ut rorem hunc, quam optimè queat cohibere. Sed ros Microprosopi residet in membrana tenui, qualis est in puero parvo, & facilè destillare & influxum præbere potest inferioribus: unde nec clausa est, nec dura ut in Macroprosopo. Hinc in Idra dicitur: *Membrana tenuis eadem insternitur, & non membrana dura undiq; clausa, qualis est Senis dierum. Et propterea hoc Cerebrum extenditur, & lucet in triginta duas semitas.* Id est: quia menynx hæc non est clausa in Microprosopo: hinc abinde prodeunt triginta duo nomina quæ sunt judicia, & extenduntur in 320 judicia ejus, & 325 judicia Uxoris ejus, sicut alibi dicitur in hac Idra: Judicia masculi sunt 320, & Uxoris ejus 325. Unde patet, quod quinque judicia

diciis fœmina masculum superet. Et hæc proveniunt è radice quinque severitatum, è quibus illa construitur ; quæ sunt quinque literæ duplices מנצפך. Adde quòd ipsa quoque sit He ultimum Tetragrammati, quæ est nota quinarii. Dicuntur autem semitæ: quia à Patre veniunt triginta duæ hæ semitæ Sapientiæ : nam fundamentum Patris vocatur semita.

Hoc ipsum innuitur dictò illò Gen. 2. v. 7. Et fluvius exiit ex Eden, i.e. è Patre: & fluvius ille est semita fundamenti Patris. Per fluvium autem intelligitur fundamentum Matris, quod exit à Sapientia, i. e. Patre per fundamentum ejus: quoniam isti sunt duo socii, qui in æternum non separantur, sed in perpetua sunt copula. Idem ergo est, acsi diceretur: fluvius egreditur, qui unitus est cum Eden, quia masculus fœminam complectitur unione fortissima. Cùm autem dicitur: ad rigandum hortum, intelligitur Microprosopus. Adeoque hîc intelligitur inumanatio triginta duorum nominum אלהים per fluvium, qui est Intelligentia.

Et didicimus. In tribus cavitatibus Cranii cerebrum continetur. Ex uno cave cerebri prorumpit scaturigo quædam in quatuor latera: & ex illo cerebro, quod in ipso cavo continetur, egreditur triginta duæ semitæ pro Spiritibus Sapientiæ. Et hoc est Cerebrum Sapientiæ Microprosopi, quod in dextro Cranii ejus latere continetur.

E Cavitate secunda prorumpit & diffunditur scaturigo quædam alia, & aperiuntur quinquaginta portæ, &c. Hæc omnia proveniunt ab Intelligentia Microprosopi in Cranio hoc contenta. Et istæ sunt animæ novæ, quæ producendæ sunt tempore libertatis, & mundus animarum, quæ venient ab Intelligentia. Et quas pro beneplacito suo prius restituet quàm animas veteres. De ipso autem numero suprà plurima jam dicta sunt.

E cavitate tertia exeunt millies mille conclavia & excedentia, in quibus continetur Cognitio vel scientia, inque iis habitat. Hîc intelligitur cognitio Microprosopi, quæ annonam distribuit per totam terram ad instar Josephi, quoniam fundamentum Matris eò usque pertingit, & ex eo construitur cognitio ; hinc ista influentiam distribuit per omnia membra, nimirum benignitates & severitates. Hinc de conclavibus dicit juxta literas initiales vocis חדר, de quibus supra. Dicit autem: Conclavia esse millia millium, quæ sunt tria millia: & respiciuntur tria nomina אלהים, quod nomen in plenitudine sua retrogradiendo scriptum efficit mille, hoc modo: אלף לסר תרין · אלף לסר · אלף לסר · אלף לסר · אלף לסר תלת יוד · אלף לסר חדת יוד סם. sunt que tria nomina אלהים respectu trium graduum Sapientiæ, Intelligentiæ & Cognitionis Microprosopi, qui omnes continentur in Cognitione unde exurgunt mille & millia.

Et hoc cavum mediò situ inter jacet inter duas cavitates reliquas. Id est: Cognitio inter Sapientiam & Intelligentiam sita est mediò locò, adeoque tàm à dextris, quàm à sinistris repletur influxu pro conclavibus illis, juxta illud Proverb. 24. v. 4. & omnia membra Microprosopi extenduntur ab illis Benignitatibus & Severitatibus, quæ è superiùs descendunt, ut suprà jam dictum est.

§. 213. De Membrana autem Microprosopi Idra magna sic loquitur f. 61. c. 4. *In Cavitate cranii est membrana aerea (instar pellucidæ) Sapientiæ superna occultatæ, quæ non deficit &*

non

non invenitur nec aperitur. Et hæc membrana insternitur cerebro Sapientiæ hujus occultatæ : Et propterea contegitur Sapientia hæc occultata, quia non aperitur illa membrana. Et illud cerebrum, quod est Sapientia hæc occulta, quiescit & tranquilla residet in loco suo à judiciis sicut vinum bonum super facibus suis. Ubi per fæces, ut jam dictum alibi, intelliguntur judicia, quæ hîc tranquilla sunt & quieta. Et hoc est, quod dicunt: *Senis scientia clausa est, & cerebrum ejus clausum & tranquillum*, ne scilicet prodeant judicia, & multiplicentur per decades : prout egrediuntur & extenduntur, si inclusa non sint. Id est: literæ eorum impediuntur, ne multiplicentur in plenitudinibus suis : quia tunc robur acquirunt, ut influxum ab illis habeant Dii alieni.

Et illa membrana aperturam habet in Microprosopo : & propterea cerebrum ejus extenditur, & exit in triginta duas semitas. Quod innuitur his verbis Gen. 2. v. 5. Et fluvius egreditur ex Eden, Quam ob causam, quia membrana aperta est, & non toti cerebro insternitur : nihilominus membrana aperta est infrà in Microprosopo, ut produci queat plenitudo judiciorum eorumque multiplicatio per decades : sicut è triginta duabus semitis Sapientiæ, quæ sunt in Patre decem dicta, i. e. decem ejus numerationes, & viginti duæ literæ Legis, in Microprosopo revera fiunt triginta duo nomina אלהים, & ex his 32. Elohim fiunt 320. judicia ipsius, & 325. judicia uxoris ejus. Sicut de illa scribit R. Schimeon ben Jochai, quodante susceptum masculum vocetur נער puella, cujus numerus 320. quæ sunt judicia perfectissima ; posthac autem vocetur נערה i.e. 325, ut pateat, judicia illius jam esse mitigata per quinque Alephin nominis ארני, quoniam hoc nomen quinquies sumtum efficit 325, sicut vox דין judicium è literis אדנ״י quinquies sumta efficit 320.

Hic obiter notandum, in Microprosopo numerationes ejus septem quidem constare è decade, unde 70, sed in Macroprosopo unus dies est mille anni, nam vox שנה i.e. annus, eundem habet numerum, quem vox סדירה i.e. Numeratio. Hinc in Idra omnia lumina descendentia à Macroprosopo in Microprosopum & Uxorem ejus describuntur per mille namillia : quoniam omne lumen & omnis Numeratio ejus constat è mille annis sive Numerationibus, qui habentur pro monade : ascenditur enim à monadibus per decades & hecatontades usque ad chiliades.

§. 214. Capilli Microprosopi proveniunt è cerebris infantiæ ejus. In fundamento Patris enim sunt duo nomina Elohim, quæ sunt quatuor : & sic in fundamento Matris duo sunt nomina Elohim, quæ sunt quatuor : & horum respectu prodeunt octo fila peniculamenti, & sunt quatuor cerebra respectu Patris à Victoria, Gloria, Fundamento & Regno ejus, & totidem à Matre. Et singuli pili in mundo Creativo mundus per se fiunt, quia habet personam decadis: hinc si vocem שער pilus invertis, efficitur עשר decem.

In capillis Microprosopi autem tres reperiuntur species. Nempe dantur קוצים cincinni, qui proceduntè cerebro Cognitionis in cranio latentis. Et huc pertinet mysticum illud Cant. 5. v. 11. Cincinni ejus crispaturæ. Hi enim cincinni constituntè quinque nominibus Elohim de genere Benignitatum, & è quinque Nominibus Elohim, de

genere severitatum infantiæ, quorum numerus est 860, juxta vocem תלתל crispatura; quibus si addantur 50. literæ eorum, ex omnibus fiunt תלתלים crispaturæ. Et decem hæc nomina sunt in Cognitione Microprosopi, & vocantur cincinni ejus.

Deinde dantur נימין seu pili longi, qui pertinent ad cerebrum Intelligentiæ, & שערות seu crines pertinent ad cerebrum Sapientiæ. Hæc omnia autem lumina sunt superflua, quibus ipse opus non habet pro vita vasorum suorum, unde foràs prodeunt sub mysterio Lucis reflexæ, unde fiunt capilli : qui omnes sunt literæ & nomina Elohim, quæ ibi consistunt ad instar capillorum. Microprosopus igitur in infantia accipit tria nomina Elohim à Patre, & tria à Matre, quæ sunt tria Cerebra à singulis. Quibus accedunt quatuor in adolescentia ejus, unde fiunt decem, juxta numerum אלהים.

Eôdem modò dicitur : quòd Microprosopus habeat 248. membra : quod hunc habet sensum, quod nempe in nomine Elohim, si gradatim scribatur hoc modo א אל אלה אלהי אלהים efficit 200; & si quindecim istius formæ literas addas, fiunt 215; & additò nomine integrò אלהים 216; & additis 32 Elohim Patris, summa omnium est 248 membra ejus. Ubi sensus est, quod Microprosopus in utero Matris suæ influxum habeat à nomine Elohim, sub hâc forma, unde fiunt membra ejus. Deinde autem pro infantia sua alia accipit 248 membra, quæ sunt tria septuaginta binaria è Tetragrammato hôc modò computata, ut primo ponatur Tetragrammaton סג 63 cum decem literis suis; unde fiunt 72 cum uno residuo. Deinde Tetragrammaton מן 45 cum numero Tetragrammato simplici 26, ex quibus cum dicto residuo iterum resultant 72, & tandem Tetragrammaton quartatum hôc modò י יה יהו יהוה cujus numerus etiam 72: unde summa 216; quibus adde triginta duas semitas Sapientiæ, i.e. triginta ejus nomina Elohim : & efficientur 248 membra infantiæ ejus. Ubi sensus est, illum hoc tempore influxum habere à tribus his nominibus, & 32 Elohim. Tandem quoque 248 membra tertii generis habet, nempe Adolescentiæ suæ, quæ sunt quatuor Tetragrammata עב סג מה בן quæ efficiunt numerum 232. quibus si addantur sedecim radicales, quatuor horum Nominum resultat summa 248.

In Capite suo autem Microprosopus multa habet judicia, è quibus per Sapientiam, Intelligentiam & cognitionem trans cranium emergunt Cincinni, Coma & pili ejus. Ubi pili sunt scaturigines lucis pro ipso : Coma sunt pili longi, qui pertingunt usque ad caput uxoris ejus. Nam super caput istius radii prodeunt è cerebro mariti; & quia caput uxoris ejus inclinat ad latus ejus sinistrum, hinc coma prodiens ab Intelligentia ejus huc pertingit. Quæ omnia spectant ad tempus infantiæ ejus, quatenus scilicet à Patre & matre accipit Nomina אלהים.

De his ita loquitur R. Schimeon Ben Jochai in Idra parva: *In cranio Capitis pendent omnes illæ satrapæ*, principesque magni & fideles, qui testantur de radice suâ superna quam in supernis habent; quoniam tam puri quam impuri ab illis participant, (vel potiùs; omnes illæ myriades:) *& chiliades* i. e. per chiliades & myriades distributi: *cincinnis capillorum, qui sunt nigri*, præ nimiâ potentia ministrorum judiciariorum, qui vocantur בני אלהים filii Dei, quo pertinet illud Job. 1. v. 6. Et venerunt filii Dei ad

adsistendam se contra Dominum; id est, quasi pugnaturi contra Advocatos metri misericordiæ; venitque etiam Satan inter eos. Ubi intelliguntur externi illi, qui communicationem habent à capillis capitis ejus, tempore infantiæ. Et pili illi nigri ad instar Corvi *intexuntur sibi invicem, & uniuntur invicem : quia uniti sunt cum lumine superno quæ circumdat caput ejus à Patre, & à cerebro quod resplendet à Patre :* ita ut inde fiat quasi textura quædam, cùm ad illos accedit illuminatio Macroprosopi, & quilibet pilus Macroprosopi illuminat pilos Microprosopi sibi subjectos : Quoniam in quolibet cincinno sunt 390. pili longiores, juxta numerum vocis שמים cœlum, eò quòd Microprosopus vocetur cœlum. Et pili illi expectant donec in ipsos influat scaturigo cerebri occultati ut & ipsi influere queant in istos pilos Microprosopi : nam abhinc nutritur cerebrum Microprosopi, & emanat & procedit in triginta duas semitas. *Deinde etiam prodeunt pili super pilos è lumine, quo circumdatur caput ejus à Matre, & à reliquis cerebris :* & omnes invicem uniuntur *& intexuntur illis crinibus qui hic adhærescunt à Patre :* qui sunt mysterium Nominum אלהים infantiæ. *Et quia illi miscentur invicem, & alii aliis implicantur, hinc omnia cerebra annectuntur cerebro superno :* quoniam nutriuntur è cerebro occulto Macroprosopi. *Et omnes sunt rivi qui emanant è tribus cavitatibus cerebri : & immiscentur sibi invicem tam puri quàm impuri.* Nam 49. genera putritis & 49. genera impuritatis hic occurrunt, quæ ejiciuntur à Microprosopo dum quod edule est à putaminibus separat : hinc ista ab eo participant, & eidem sese applicant. *In omnibus sunt accentus & mysteria occulta & manifesta.* Nam Benignitates, quæ ad latus dextrum, respectu severitatum, quæ ad latus sinistrum vocantur occultæ & magis abstrusæ quam severitates. Hinc in Idra magna dicitur : magis occulta est, quia est Benignitas : hæc enim subtilis est; severitates autem sunt crassiores; unde & magis manifestæ. Capilli igitur Macroprosopi albi sunt ut lana munda; quamvis ad albedinem gypsi lana accedere nequeat, quia & illi sunt judicia. Sed in Microprosopo nigri sunt ut corvus; id est, sicut cortex; ut tamen distinctio sit inter impurum & purum : quia nigri quidem sunt, sed non planè cortex. Unde etiam dicuntur nigri sicut corvus, qui est impurus & cortex; sed non planè corvus. Deinde autem temperantur aliquatenus & albescunt : quando scilicet in illos descendunt lumina capillorum Macroprosopi; ubi ex ambobus quasi vestis & textura quædam conficitur grisea : quod est mysterium Pallii nostri albicantis, quo ea intentione amicimur ut deducamus capillos Macroprosopi eosque permisceamus cum capillis Microprosopi, ut hi dealbentur similiter.

Et in textu illo שחורות כערב Nigri ut corvus, Cant. 5. v. 11. literæ initiales referunt numerum שיר 320. judiciorum.

§. 215. Capilli Microprosopi tempore adolescentiæ cerebrorū ejus sunt è quinq; Tetragrammatis quinque severitatum, id est punctatis punctis Nominis אלהים. Et quinque hæc Tetragrammata Mater præbet Microprosopo; eaque descendunt in ipso, usque ad fundamentum ejus, ubi quia locum non reperiunt egrediendi, iterum ascendunt, & capillos uxoris totamque staturam ejus efformant; regressique in Microproso-

pum phylacteria formant; exillis autem quæ in Microprosopo remanent, fiunt pilifisti. Et quia fiuntquinque Tetragrammata feveritatum, in quibus est dextrum & finistrum; hinc dividuntur, ne judicia cumulentur in locum unum. Hinc de his ita dicit R. Schimeon Ben Jochai in Idra magna. *In discriminatione capillorum procedit semita quadam, quæ fulget in ducentos & septuaginta mundos.* Hi sunt quinque illa Tetragrammata, ad dextram, quorum numerus est 130, & cum quinario omnium: 135. & totidem ad finistram; unde exurgit numerus 270. mundorum. Hæc autem semita justorum per Nomina ista splendet in mundum creativum, ubi exinde fiunt mundi pro illis animabus, quæ dependebant è capillis Adami Protoplastæ.

§ 216 De Capillis his Microprosopi in Idra magna fol. 65. hæc reperiuntur. *E cranio capitis dependent millies mille myriades & myrias myriadum Cincinni capillis nigris & implicantur sibi invicem, invicemque miscentur:* ut exinde quasi textura pallii fiat. *Et pilorum in singulis cincinnis non est numerus, quia tidema dhar ent puri & impuri sub mysterio 49 generum puritatis & 49 generum immunditiæ, quæ in ipso secernenda sunt: prunt & in hodiernum usque diem impuri nexum ibi habent. Et hic applicantur accentus Legis tam in puro quam in impuro. In omnibus illis lateribus quæ sunt pura, & in omnibus illis lateribus, quæ sunt impura, residentcincinni intricati & densi: quidam illorum molles sunt, quidam duri. Et in quolibet cincinno pili efficiunt cumulos super cumulis, qui flammas emittunt & pendent ut heroes fortis, & ut victoriosi milites.* Nam severitates hic sunt adinstar herois bellici; & non quiescunt atque sedatæ residentsicut in Macroprosopo, sed in Microprosopo omnis ipsarum vigor excitatur.

Ipsæ autem proveniunt è mysterio septem cedrorum Libani, quia veniunt è numero ארז 1107, sive Cedri, & sunt literæ, quæ veniunt à Microprosopo mundi Inanitatis; & abierunt in caput Macroprosopi, & abhinc intra caput Microprosopi. Sunt autem Cedri Libani, id est albedo benignitatis Macroprosopi, quia easdem evulsit Deus Sanctissimus è mundo Inanitatis, easque transplantavit in locum alium, id est in mundum restitutum; in quo judicia plantata sunt in Microprosopum.

Cùm ergò dicitur: In singulis cincinnis pilos residere cumulatim, respicitur locus Cantici 5. v.11. Cincinni ejus cumuli sunt crispaturarum, quasi in singulis Cincinnis tot essent pili, quantus est numerus vocis תלתלים. *Hi flammas emittunt* propter naturam judicii, juxta illud Malach. 4. v.1. Et inflammabit eos dies futurus.

Et pendent ut heroes fortis, & milites victoriosi in ordine pulchro. Pulchri enim nomen non habet color albus, si solus sit in homine: sed si quis candidus sit & rubeus, juxta illud: Amicus meus candidus est & rubeus. Cant. 5. v.10. Cùm enim Microprosopus affecutus est temperaturam sub mysterio adolescentiæ ejus, tunc dicitur pulcher, i. e. albus & rubeus. *In ordine valido*, sicut dicitur Psalm. 147, 5. Magnus Dominus noster, & multus fortitudine. *Electi sicut cedri magnæ & validæ*, id quod innuitur dicto Cant. 5. v.15. *Electus ut Cedri*, ubi vox בחור electus, sive juvenis robustus eundem habet numerum, quem refert vox גבורים severitas sive robur; item

item vox יראה timor, quia metrum judicii vocatur timor; item vox רגז ira. Quando autem temperatus est à Luce את cedri Macroprosopi, numerum habet vocis חסד ter sumtæ, i. e. benignitatis in tria latera juvenis istius divisæ.

Disponuntur cincinni in cumulo suo ex hoc latere in illud latus super cranio. Et didicimus: Residentcumulatim, & sunt crines quàm plurimi: *propterea quia prodeunt è scaturiginibus multis trium Canalium Cerebri*, qui sunt Sapientia, Intelligentia, & Cognitio: unde prodeunt cincinni crines & pili, ut dictum est supra.

E scaturigine Cavitatis unius Cranii, i. e. è Sapientia Cerebri Microprosopi, unde proveniunt שערות Crines, *exporriguntur* שערי *crines tractu* longò deorsum protensi & demissi, *& fiunt cumuli ex cumulis seu crispaturæ è crispaturis è multis fontibus promanantibus ex illa cavitate. E cavitate secunda*, quæ est Intelligentia Microprosopi, unde prodeunt נימין seu pili simpliciores, qui longiores sunt, & ulterius demittuntur *prodeunt quinquaginta fontes* sub mysterio quinquaginta portarum Intelligentiæ, quæ sunt portæ libertatis, *& emanant pili ex illis fontibus protuxiores* deorsum, *& fiunt cumuli super cumulis, & miscentur cincinni aliis*, scilicet Sapientiæ & Cognitionis. *E cavitate tertia*, i. e. è cerebro Cognitionis, quæ distribuit Influentiam Matris in omnia membra Microprosopi & Uxoris ejus, juxta tria ipsius latera, quæ denotantur literis vocis חור conclave, ut supra dictum est. Inque ipsa conclavia sunt magna & parva: magna enim dicuntur Exedræ, quæ sunt porticus fenestris pleni, per quas lux magna illabitur, & influentia quàm plurima, præter quas etiam conclavia dantur minora, tàm multas fenestras non habentia: quæ omnia replentur à Cognitione, juxta illud Proverb. 24. v.4. Et per scientiam sive Cognitionem conclavia implentur. Quoniam hæc alimentum & influxum distribuit per omnes numerationes Microprosopi; hinc pergit Idra. *E cavitate tertia proveniunt millies mille conclavia & exedræ*, & virtute tàm copiosi istius luminis *exporriguntur pili tractu suo ex omnibus illis, & fiunt aggeres super aggeribus, immiscenturque cincinnis aliis: & propterea cincinni illi dependent in crispaturis plurimis, & omnes sunt progenies prodeuntes è tribus cavitatibus cerebri & cranii.* In supernis autem in Macroprosopo tria hæc Cerebra unita sunt quàm maximè, nec dividuntur in partes. Hic verò in Microprosopo divisio fit in tria cava: חללי autem i. e. cavum eundem numerum refert, quem חיים vita; item חכם Sapiens.

Et omnes illi Cincinni dependent & contegunt latus auricum: & propterea scriptum est Dan. 9, v.18. Inclina Deus mi, ad me aurem tuam, & audi. Ubi sensus est: amovendos esse crines ab auribus, ut audiri queant preces: & tegendam esse cervicem, ne ab illa suctionem habeant cortices. *Et in illis crispaturis locum habet dextrum & finistrum:* quoniam è decem illis nominibus Elohim intantiæ quinq; sunt dextra, & quinq; finistra. *Lucidũ & tenebrosum:* ubi per lucidũ intelliguntur sex dies profesti mundi Formationis, supra quos est Sabbathũ & Sanctũ Mundi Creativi. Et per tenebrosum intelliguntur sex

noctes dierum horum profestorum, qui pertinent ad mundum Factivum, ad quem refertur nox & tenebræ. Quamvis tenebræ hæ etiam proveniant è rigore capillorum istorum. *Misericordia & judicium:* nam à dextra venit misericordia, & à sinistra venit judicium : quoniam tempore adolescentiæ etiam hi accipiunt temperaturam à Macroprosopo. *Et omne dextrum & sinistrum abhinc dependet*, & non à Seniore, *quia in hoc nulla est laterum divisio :* hic verò propterea divisio instituitur, ne judicia nimium cumulentur : quare Macroprosopus eadem separat in dextrum & sinistrum. In genere enim notandum est, quod judicia nunquam supprimantur, nisi ipsis affulgeat aliquid de radice eorum, easque illuminet. Et quia capilli Macroprosopi sunt radix capillorum Microprosopi, hinc dum illi istos irradiant & illuminant, judicia tolluntur. Et quia in Macroprosopo certa quædam semita est, in qua locum habent quadringenti mundi desiderabiles, in medio nempe capitis ejus, quæ cùm lucem suam deorsum vibrat, capillos Microprosopi dividit in latus dexterum & sinistrum : hinc etiam in hoc aperitur semita quædam in se continens sexcentos & tredecim calles alios. Hinc ita pergit Idra : *In discriminatione capillorum apparet semita quædam tenuis*, quæ non tàm magna est, ut illa Senioris : *& hæc nexum quendam habet cum semita illa Senis dierum. Et ab ista semita procedunt sexcenta & tredecim semita alia, quæ distribuuntur in semitas præceptorum Legis: sicut scriptum est: Omnes semitæ Domini benignitas sunt & veritas custodientibus fœdus ejus & testimonium ejus.* Quodlibet enim præceptum palatium habet proprium & semitam singularem ad illud palatium. Cumque homo probus est, angulus ille palatio huic vel illi præfectus eundem expectat atq; salutat ex hoc mundo excedentem, eiq; viam monstrat, quâ pervenire queat ad vitam locumq; palatii hujus.

Didicimus : In singulis Cincinnis millies mille Domini vociferationis & ejulatûs hærent, qui dependent è singulis illis Cincinnis. Ex illis quidam duri, quidam lenes sunt in bilance constituti, & propterea dextrum hic datur & sinistrum. Hic notandum, quòd in tribus mundis inferioribus, Creativo nempe, Formativo & Factivo sint executores judiciarii, qui provenerunt è mundo inanitatis, qui vocantur Domini ejulatûs & planctûs: quia judicium omne nonnisi meror est & dolor. Hi autem temperantur per Microprosopum, mediante nomine Elohim in plenitudine sua scripto per retrogradationem, ut dictum est supra, unde prodit numerus millenarii; vel etiam respicitur ad nomen אל שדי quod descendit à temporibus Macroprosopi, & Microprosopum illuminat : quod nomen שדי plenè scriptum retrogradando efficit summam 1969 junctò integrò ; cui si addatur numerus nominis אל resultat numerus 2000, qui illa judicia temperat. Hinc numerus millenarius bis adhibetur : & isti Domini ejulatûs vocantur filii Elohim. Hic quoque dicitur, quod ab inde dependeant Domini bilancis, quibus est dextrum & sinistrum & medium, prout in libra lanx est dextra, & lanx sinistra, & lingula examinis in medio. Et hæ sunt illa nomina, quæ mitigant omnia, & per quæ tempore adolescentiæ omnia temperantur.

§. 217. Frons Regis Microprosopi sit ex severitatibus Patris & Matris sub mysterio infantiæ, & vox חמץ frons per metathesin est מחץ fermentatum, quod est mysterium judiciorum & corticum, qui excitantur virtute judicii frontis, Et numerus ejus 138. exæquat numerum nominis Elohim 86. cum Tetragrammato בן 52, sub mysterio בני אלהים quæ sunt judicia. Nam & nomen Tetragrammaton בן 52. judicium est. Omnis enim exuscitatio judiciorum ab ista fronte procedit.

In Idra magna igitur de fronte hac traduntur sequentia. *Frons Cranii est inspectio inspectionis*, i.e. DEUS Sanctissimus, qui benedictus sit ! inspicit & quàm accuratissimè observat justos, ut ne vel pilum latum negligat : ipse enim observator est acerrimus, & non miseretur, cùm opera impiorum respicit, sed in omnia vel minima inquirit. *Et non detegitur, nisi cùm opus est peccatores visitare, ut inspiciantur opera eorum. Et didicimus: cum frons ista detegitur, exeitantur omnes ministri judiciarii, & totus mundus judicio traditur : exceptâ illâ horâ*, quâ Israëlitæ verâ pœnitentiâ converteruntur, vel ut textus dicit : *cùm preces Israelitarum ascendunt ante Senem dierum, & petunt misericordiam pro filiis ejus.* Non enim mitigatur judicium, nisi per radicem suam, i.e. per frontem Senis dierum, quæ vocatur benevolentia benevolentiarum. Atque hinc textus inquit : *Detegitur beneplacitum beneplacitorum, & radios emittit in istam* frontem Microprosopi, *& sedatur judicium* : & tunc totus mundus in tranquillitate est, prout sit tempore sacrificii pomeridiani Sabbathici, ubi frons Senioris illuminat frontem Microprosopi lumine maximo : & tunc omnia judicia & cortices refrænantur & conjiciuntur in foramen abyssi magnæ. Et præsertim cum prodit lux quinque severitatum temperatarum per quinque benignitates è quinque numerationibus Tebhunæ seu intelligentiæ specialis, quæ quatenus è decadibus constant, efficiunt quinquaginta portas Intelligentiæ : & continentur in fundamento Tebhunæ, & sunt duæ coronæ quæ in illa sunt. Et hoc est mysterium quinque Jodin nominis אהיה plenè scripti per Jodin & per Alephin & per Helhin : unde resultant 50. Jodin autem sunt de natura benignitatum, quæ temperant severitates. Et hæ portæ proveniunt à Jod seu decade, unde dicuntur portæ, quia עשר decem per metathesin est שער porta. Et quando hæ portæ veniunt in frontem istam, judicia mitescunt, & è servitute progressus est in libertatem ; unde portæ illæ dicuntur Portæ Libertatis.

Hinc textus Idræ pergit : *In hanc frontem procedit crinis aliquantulus, qui in eam extenditur è cerebro.* Secundo, nimirum Intelligentiæ ; *qui producit quinquaginta portas : & cum exporrigitur, restringitur frons, ne observet peccatores mundi, qui tales sunt ut non erubescant super operibus suis, juxta* locum Jer. 3. v. 3. *Et didicimus : crinis hic non manet in isto frontis loco, ut detegatur contra obduratos illos in operibus suis. Cum autem Deus Sanctissimus, qui benedictus sit, expergiscitur ut oblectetur cum justis in Paradiso, faciei Senioris dierum affulget facies Microprosopi, & frons illius detegitur & illuminat frontem istam : atq; tunc vocatur Tempus benevolentiæ. Quotiescunq; autem judicium exercendum est, & frons ista Microprosopi denudatur, & judicium instituitur, statim excitatur & detegitur frons illius Macroprosopi Senioris Seniorum, & riger sedatur, & non exercetur. Didicimus : hæc frons extenditur in decem millia rubedinum.* Sensus est : frontem Microprosopi esse rubrum & latitudinem ejus extendi è retrogradatione nominis Elohim,

him, cujus numerus est 200, hòc modò אֵ֣ל׳ אֵ֣ל׳ אֵ֣ל׳ אֱלֹהִ֑ים: Unde autem prodeat millenarius, alibi jam dictum est. *Et adhærentes & continentur in ea:* i. e. hæc forma istius nominis antanaclastica reperitur in mundo inferiore, & in specie in mundo Factivo: & judicia eidem adhærent: eademque influxum accipit à radice sua, nimirum à nomine hoc, quod est in fronte Microprosopi, quæ & ipsa rubea est. Et hæc erit purpura illa rubicunda, quam induet DEUS Sanctissimus, qui benedictus sit! cùm vindictam exercebit. Et multi sunt ministri judiciarii, qui expectant, donec frons ista rubicunda excitetur, quos Macroprosopus sedat lumine frontis suæ.

Et cùm detegitur frons Microprosopi, licentia datur omnibus ad vastandum, quia iidem per hanc frontem exuscitantur. *Sed cùm detegitur frons Benevolentiæ benevolentiarum, ut affulgeat huic fronti & omnibus illis; tunc sedantur:* quia non possunt intueri lumen hoc solare septidui illius, sicut homo contueri non potest lucem Solis, quin occæcentur oculi ejus, ut aliquantò temporis spatiò planè nihil videat. Hinc dicit: Ut affulgeat huic fronti, & omnibus illis ministris justitiæ. Omnis autem illuminatio, quæ fit à fronte Macroprosopi versus inferiora, instituitur per lucem duarum influentiarum, quæ pertingunt usq; ad Caput Microprosopi: nec non per Capillos Capitis alibi, sive per tredecim ejus cincinnos, qui eousq; similiter pertingunt.

§. 218. Ad meliorem intellectum sequentium præmittendum est, quod pedes Matris constituant Microprosopum, & pedes longiores sunt fœdere, hinc vocantur נְצָחִים Victoriæ seu potius superationes. Nam & Gloria pertinet ad genus Superationis, & sub nomine נְצָחִים comprehenditur: Nec enim sinistra manus hominis aliquid operari potest nisi adjuvante dextrâ: & sic quoque pes sinister progredi nequit, nisi concurrente dextrò. Unde patet, quod sinistrum tantùm sit accessorium, dexterum autem fundamentale: hinc omnia vocantur nomine נצח i. e. superationis, qui est pes dexter. In hac ergò fronte est superatio bellica, quia Microprosopus superat inimicos Domini. Huc facit forma Alphabeti sequentis אַ֣ בְּ֣ גְּ֣ דְּ֣ הְ֣ וְ֣ זְ֣ חְ֣ טְ֣ יְ֣ כְּ֣ לְ֣ מְ֣ נְ֣ סְ֣ עְ֣ פְּ֣ צְ֣ קְ֣ רְ֣ שְׁ֣ תְּ֣ juxta quod mutatio literæ Mem est in Nun, ita ut נצח fiat מצח, & vice versâ: & hinc dependet victoria contra impios. Et in hac superatione sic extensa est locus pœnitendi & rescindendi decreta: nam quando lux Senioris accedit & severitates ejus dealbat, statim pœnitet, sicut dicitur: Et pœnituit Dominum malum illud, quod se facturum dixerat populo suo. Et sic etiam vice versâ juxta illud: Et pœnituit Dominum, quod fecerat hominem &c. In Microprosopo igitur est pœnitendi locus, & non in Seniore, quippe qui tantùm occultat faciem suam. Si igitur frons Microprosopi sola manifestetur, statim exercetur judicium, nec expectat, ut locus sit pœnitentiæ, nimirum pronunciatò jam decretò; sed sententia executioni mandatur; Ipsa se res habet, si judicium in sola fronte manifestatur. Si verò in fronte non apparet, sed extenditur in corpus Microprosopi per articulos Superationum, qui dicuntur נְצָחִים circa hoc judicium spes est, ut per pœnitentiam rescindi queat, citra executionem: nimirum si decretum & sententia non apparet in fronte. Hinc in quolibet homine peccata ejus in fronte consignata sunt, & spiritibus noxiis potestas data est cùm hæc signa & pec-

cata in fronte hominis descripta vident, eidem nocendi. Hinc Angelus Loto & uxori ejus atq; filiabus præcipiebat, ne retrospicerent, quia tunc Spiritus maligni potestatem haberent iis nocendi, prout etiam uxori ejus accidebat. Sic etiam in Tribunali superno in fronte sententia publicatur. Ibidem autem in fronte hæc viginti quatuor tribunalia sunt; decem nimirum Patris, & decem matris; & quatuor supplicia publica. Et ista sunt viginti quatuor variationes Nominis אֱלֹהֵ֣י, quod per metathesin est יְהֹוָה judicium; quæ proveniunt à Matre superna, & quotidiè descendunt tempore sacrificii pomeridiani cum quinque finalibus מנצפ״ך: & forma illarum hæc est:

אֱלֹהֵ֣י· אדיני· אכידי· אנדיי· אינדי· אידן·	Latus meridionale.
דֹאנִי· דאנג· דיטא· דיאב· דאי· דניא·	Latus septentrionale.
בְּאדִי· נאיד· נאדי· נידא· נראי· נריא·	Latus orientale.
וּאדנ· יאגד· יגדא· יכאד· ידאנ· ידמא·	Latus occidentale.

Quælibet enim litera Nominis sex habet formas, quæ omnes idem habent ejusdem literæ initium. Et hoc est mysterium viginti quatuor ornamentorum sponsæ: & viginti quatuor librorum Sacræ Scripturæ: unde viginti quatuor alia exurgunt nomina sacra è literis initialibus & finalibus vocis penultimæ singulorum librorum; ut in Genesi vox penultima est בָּרָ֣א, unde exurgit Nomen בֵּן. Et viginti quatuor illæ variationes à Microprosopo demittuntur in Basiliam, quippe per quam consummatur judicium. Et viginti quatuor hæ variationes sunt viginti quatuor horæ diei ac noctis. Et de his loquitur Idra magna, cùm porrò inquit.

Viginti quatuor judicia superiora inveniuntur, & omnia vocantur נְצָחִים *sive superationes, & quodlibet vocatur* נצח *superatio, & literis permutatis fit* מצח *i. e. frons; & tamen est superatio ex illis superationibus. Et istud est, quod traditum est; superatio superationum sunt in tribus articulis, quæ extenduntur in corpus Microprosopi, & sunt in fronte; & quadam illarum extenduntur in corpus in loca nota. Didicimus i. e. quod scriptum est, Sam. 15, 29. Etiam superatio Israëlis non mentitur.* Hi est, Gradus iste Israëlis Senis in puero Israële in Capite ejus non mentitur: *nec pœnitet eum, quia non est homo, ut pœniteat. Et hoc arcanum statuimus: omnis illa superatio, quæ expanditur in corpus illò tempore, cùm mundus judicandus est, & convertitur; pœnitentiam admittit, & judicium non exercetur, si convertantur. Quam ob causam? quia res extat in loco, qui dicitur Homo, & pœnitere potest. Si autem illò in loco, qui vocatur Caput, in illa tempe fronte videtur & detegitur, illa Superatio, non est tempus nec locus pœnitendi. Quare? quia non est de loco, qui vocatur Adam; nec enim detegitur facies & nasus; sed frons sola: ubi autem nulla invenitur facies, locum etiam non habet appellatio hominis. Et propterea dicitur: Non est homo, ut pœniteat, sicut Superatio, quæ in reliquis partibus corporis.* Si ergo judicium designatur & publicatur in fronte, non datur regressus, sed sequitur executio.

§. 219. Frons igitur Microprosopi rubra est ut rosa, ob multitudinem judiciorum rigorosissimorum: sed quando eandem illuminat Lux Senioris, statim mutatur in colorem album. Deque ea in Idra quoque parva agitur verbis sequentibus fol. 142. col. 4. *Frons cranii frontis est advisitandam peccatores: & quando haec frons detegitur, excitantur ministri judiciarii contra illos, qui nullo pudore suffunduntur propter opera sua, & sunt perfricta fronte,* & obduratæ faciei, qui pœnitentiam non agunt super operibus suis.

Haec frons rubra est ut rosa. Cum autem detegitur frons Senioris Sanctissimi versus hanc frontem Microprosopi, haec alba fit ut nix; & illâ horâ tempus benevolentiæ vocatur pro universis. In Commentario Schola R. Jehba Senis dicitur; מצח i. e. *frons* proprie dicitur *frons Senioris*: i.e. Illa propriè dicitur Frons, de qua nos preces fundimus, ut manifestetur, & tempus benevolentiæ exoriatur, & frons Microprosopi dealbetur. *Sin minus*; i. e. si ista frons non detegitur adtemperandam frontem Microprosopi; *interponitur Oneth inter duas literas caeteras*: i. e. tunc non est legendum מצח frons; sed מחץ fregit, *sicut dicitur Num. 24. v. 17. Et confringet terminos Moab*, i.e. exercet judicium, & confringit impios. *Et posumus, quod vocetur* מצח *Superatio mutatione literarum cognatarum* i. e. in Alphabeto per dyades conjugatarum, ut suprà dictum est. *Et multæ sunt Superationes*, i.e. omnes articuli vocantur מצח seu Superatio propter radicem suam. *Et quamvis Superatio alia in locum alium sustollatur*, i.e. in Superationem Macroprosopi, quæ est Benevolentia benevolentiarum in locum alio elevatione consistens: *tamen alia dantur Superationes, quæ extenduntur per totum corpus*, i.e. tres articuli Superationis, qui dicuntur מצח מצחים i.e. Superatio & Superationes; item Gloria, quæ sub genere Superationum continetur. *Et propterea die Sabbathi tempore precum pomeridianarum ne excitentur judicia, in Sene Sanctissimo, manifestatur frons ejus, & omnia judicia supprimuntur, & quamvis extent, tamen non operantur. Ab ista fronte dependent viginti quatuor tribunalia*, quæ sunt viginti quatuor variationes nominis אדני: nam quælibet variatio vocatur בית domus, juxta phrasin libri Jezira, ubi dicitur: Duo lapides extruunt duas domus; & quatuor lapides extruunt viginti quatuor domus: unde dicuntur viginti quatuor domus judicii, quia nomen אדני per transpositionem est ראוה judicium. *Pro omnibus illis feroribus in operibus suis, de quibus dicitur Psal. 73. v. 11. Et dixerunt: Quomodo scivit DEUS? estne scientia in excelso?* Ubi intelliguntur athei. Nunc autem objectionem formatdicendo: *Certum quidem est, quod viginti sint*, decem nempe Patris & decem Matris, quæ sunt nomina Elohim infantiæ, quæ in se comprehendunt frontem. *Quare autem adduntur quatuor? nimirum vestella quatuor supplicium à tribunali inferiore dictum soletorum.* Et hæ sunt quatuor literæ Tetragrammati, contra quas, si homo peccat, tali morte quoque reus sit, qualis est natura illius literæ, quam vitiavit. Et hoc nomen continet reliqua nomina, contra quæ homo etiam impingere potest. Hinc dicit: *quatuor supplicia Synedrii inferioris, quæ dependent à superiis. Remanent ergo viginti*, quæ sunt literæ Nominis אהיה (retrogradando scripti, 10:) quæ sunt יהוה per æquipollentiam numerorum, & latium

latium seu vestis Tetragrammati, (eodem modo scripti decem literis, unde 20.) ita ut qui contra illud delinquit, etiam contra hoc delinquat. *Unde etiam neminem supplicio afficiunt, donec major annis sit & natus viginti annos, respectu istorum viginti consistorium. In Traditionibus nostris occultis didicimus,* ista sic statui *respectu viginti quatuor librorum, qui continentur in Lege.*

§. 220. De fronte autem Macroprosopi in Idra parva fol. 140. col. 2. hæc habentur. *Frons, quæ revelatur in Sene Sanctissimo, Benevolentia vocatur. Nam Caput illud supernum occultum, in supernis, quod non cognoscitur extendit* (diadema) *quoddam frontale pulchrum, quod continetur in fronte.* Id est, Laminam lucis, unde facta est lamina frontis: quæ facta est in Macroprosopo ex unione Victoriæ gloriæ & fundamenti, quæ nunquam separantur. *Et quia ipse est benevolentia omnium benevolentiarum, hinc accepit conformationem frontis, quæ manifestatur cum lumine intensissimo. Et cum ista detegitur, beneplacitum beneplacitorum invenitur in omnibus mundis, & omnes preces inferiorum accipiuntur, & illuminatur facies Microprosopi, & omnia in dilectione consistunt. Et quia omnia judicia* (per hanc) occultantur & supprimuntur, hinc in Sabbatho tempore precum pomeridianarum, quod alias tempus est, quo omnia judicia excusitantur; hæc frons detegitur, & omnia judicia subiguntur, & misericordia prævalet. *Hinc Sabbathum abiq, judicio reperitur, tam in superis, quam in inferis: quin etiam ignis gehennæ occultatur suo in loco, & peccatores quietem habent. Et propterea super additur* (nobis) *anima gaudii, die Sabbathi; & homo obligatus est hilaritatis dedere pertria epula Sabbathina: Nam omnis veritas, & tota universitas fidei in eo invenitur.* Id est, tria ista tunc sociantur; Macroprosopus; Pater & Mater; & Microprosopus atque Uxor ejus. *Et hominem oportet instruere mensam suam, ut comedat tribus illis epulis vera fidei, & in eis lætetur. Dixit R. Schimeon: Contestor de me, coram omnibus illis qui hic sunt*: id est; coram animabus illis justorum, quæ accesserunt cum Deo Sanctissimo benedicto & Gloriosa ejus præsentia, de quibus antea dixerat: audiant mansueti & lætentur super his mysteriis, quæ manifestabo. *Quod per omnes dies meos non omisi illa tria epula: & propter illa nihil mihi accidit, cujus causa mihi fuisset jejunandum in Sabbatho: imò & diebus aliis nulla mihi fuit necessitas* (jejunandi;) *multo minus in Sabbatho: qui enim vellet agit circa illa adeptus est veritatem perfectam. Unum epulum est Matronæ*, quæ est Sabbathum, Sponsa Regis. *Et unum est Regis: & unum est Senis Sanctissimi occultissimi omnium occultorum. Et in illo omnia per hæc quis assequi potest gradus illos. Hæc benevolentia cum revelatur, omnia judicia lucida sunt, & flectuntur à contumacia rigore suo.*

Conformatio autem Senis Sanctissimi sit per formam quandam, quæ comprehendit omnes reliquarum formarum, & hæc est Sapientia Summa occulta, synthetica caeterarum omnium. Et hæc vocatur Eden sive Paradisus supernus occultatus omni occultatione: nam, ex una parte occultatur à Regno quod non cognoscitur; & à Macroprosopo occultetur ex altera parte; ideoque vocatur occultata omni occultatione. *Et quia cerebrum Senis Sanctissimi; & hoc cerebrum extenditur in omne latus* in Macroprosopo, quia diffunditur

per omnes formas ejus, & *ab hinc extenditur in Paradisum alium* qui est Pater; quem illa illuminat. *Et ab hoc Eden sculpturas accipit.* Nam bina יי litera אין quæ in אין seu Capite non Ente, quæ est sapientia illa occultata, efficiunt 32. Ibi autem non alia fit divisio nisi in binas has literas יי, quæ irradiant Patrem, ibique producunt triginta duas semitas sapientiæ in partibus actualiter triginta duabus inter se distinctis, quæ sunt decem dicta, & viginti duæ literæ: quæ deinde cum veniunt in Microprosopum ibidem dividuntur in 320. judicia; i. e. 32. per 10. multiplicata.

Sed caput illud occultatum, quod est in Capite Senis, quod non cognoscitur, cum extendit Laminam illam (supra dictam) *per quam illuminationem instituere vult; tunc allidit ad hoc cerebrum* (radiis suis) *& hoc sculpturas accipit* (& impressiones) *& fulget multis luminibus: & prodit & signaturas formas per lumen hoc intensissimum in illa fronte, in qua designatur lumen hoc quod vocatur* רצון *benevolentia. Et hæc benevolentia deorsum extenditur in barbam, usque ad illum locum, ubi residet in barba; & vocatur Benignitas superna.* Et hoc est in Influentia inferiore, quæ continet omnes influentias, & hæc lux ibidem pendet; & abhinc in caput & frontem Microprosopi descendit, qui sub ipsa est; prout traditur Psal. 133. v. 2. *Et hanc benevolentiam, cum detegitur*, intuentur *ministri judiciarii, & flectuntur.* Et hoc est mysterium Bracteæ Sacerdotalis Exod. 28, v. 36. quæ semper applicita erat fronti Aharonis ad excitandam benevolentiam divinam.

§. 221. Oculi Microprosopi duo sunt, quorum alter vocatur dexter, i. e. misericordia, & alter revera sinister est: & non sunt sicut oculi Senis Sanctissimi, qui quamvis sint duo, tamen pro uno saltem habentur; quia eidem nihil sinistri tribui potest; sed oculus ejus est misericordia perfecta. Hinc in Sohar dicitur: Oculus dexter est misericordia; sed alter est misericordia intra misericordiam. Hinc nonnisi sub uno tantùm considerantur conceptu, de quo dicitur: Oculus bonus benedicit. Et Joseph assequebatur inspectionem oculi istius Senioris sicut dicitur Genes. 49. v. 22.

Hinc de Macroprosopo in Idra magna allegatur dictum illud Psal. 33. v. 18. Ecce oculus Domini ad timentes eum sperantes in misericordias ejus. Cui opponitur dictum Zach. 4. v. 10. Illi oculi Domini sunt discurrentes in universam terram. Sed additur, quod nulla sit contrarietas; quia dictum posterius agat de Microprosopo, & prius de Macroprosopo. & nihilominus duo quidem sunt oculi, qui tamen convertuntur in unum: i. e. in unam operationem, unus est albus in albo; & alter tàm albus, ut omne album in se includat. Deinde oculo Microprosopi etiam non tribuitur somnus, vel dormitatio; quia non habet palpebras, quæ somnum causantur: sed est instar oculorum piscium. Quò ipsò indigitatur, quod ab inspectione sua in æternum non cesset. Unde de eo dicitur Psal. 121. v. 4. Ecce non dormitat nec dormit custos Israëlis. Id est, observator Israëlis superni, qui est Microprosopus; quia hunc semper observat, & inspectionem suam ab illo nunquam tollit, juxta mysterium duarum specierum influxûs & copularum, quæ in supernis sunt: quarum una est pro conservatione

tione mundorum; & altera in usum generationis animarum novarum. Sed de Microprosopo dicitur Psal. 44. v. 24. Evigila Domine, quare dormis &c. Quia hîc palpebras habet, quæ causantur somnum, quod est mysterium exilii. Et cùm in ipsum irradiat oculus Macroprosopi, de eo dici potest illud Esth. 6. v. 1. In nocte illa se elongaverat somnus Regis. Hinc in supernis omnia sunt dextra, & nihil est sinistri.

Non ergò dormitat (ut Idra pergit,) nec obdormiscit; nec requirit tegumentum, nihilque est, quod ipsum protegat, sed ipse protegit omnia, & ipse observat omnia; & ab inspectione istius oculi omnia nutriuntur. Traditum enim est, quod si oculus hic vel unicò momentò clauderetur, nihil omninò posset subsistere. Quare etiam vocatur Oculus apertus; Oculus supernus; Oculus sanctus, à quo nullam habent suctionem caterva judiciorum, & immundorum: Oculus providentiæ; Oculus non obdormiscens, nec somnolentiâ captus; Oculus observator omnium; Oculus, qui omnium rerum est subsistentia. Unde etiam de illo dicitur Proverb. 22. v. 9. Oculus bonus יבורך ubi ne legas Benedicetur, sed sine Vav Benedicit. Hic enim vocatur bonitas oculi, qui benedicit omnibus. Traditum quoque est, quod oculus inferior Microprosopi nullò gaudeat lumine, quo lavari queat & superfundi rubedo & nigredo ejus, nisi cùm eundem contuetur lumen hoc album oculi superni, qui vocatur bonitas oculi. Et nemo novit, quando oculus ille supernus atque sanctus affulgeat, oculumque inferiorem Microprosopi lavet sive dealbet. Et justi summi aliquando contemplabuntur Sapientiam istam, sicut scriptum est Jes. 52. v. 8. Oculo ad oculum videbunt, cùm converterit Dominus Zion. Et scriptum est Num. 14. v. 14. Quod oculo ad oculum visus es, tu Domine. Et nisi oculus bonus supernus aspiceret & dealbaret, mundus non posset subsistere vel unicò momentò. Traditum est in occultatione Libri: Inspectio descendit ab oculo inferiore, quando lumen supernum eundem intuetur, & illuminationem illam supernam in inferiorem introducit, à qua omnia splendorem habent. Et huc pertinet dictum illud Num. 14. v. 14. Item Psal. 33. v. 18. Et tamen scriptum est: Oculos Domini discurrere per omnem terram. Nimirum si probi sunt, locum habet illud Psal. 33. v. 18: Oculus Domini super timentes eum; i. e. oculus supernus; si probi non sunt, oculi Domini vagantur per omnem terram. Et hic est oculus inferior. Didicimus enim, quam ob causam Joseph eousque pervenit, ut in eum dominium nullum haberet oculus pravus? Quia dignus erat, quem aspiceret oculus bonus supernus. Hinc scriptum est; filius fructiferæ Joseph super oculum. Quare super oculum? nimirum propter oculum, qui ipsum respiciebat. Item scriptum est: Oculus bonus benedictus erit. Quam ob causam? quia de pane suo dedit pauperi. Id est: quia oculò hilari respexit pauperes, hinc meritus fuit, ut bonus ille Oculus eum aspiceret, in quo nonnisi benignitas & misericordia. Quare vocatur unus? Ubi quæstio movetur, quare non & ibi de pluribus sermo sit, cum duo sint Macroprosopo: Et respondetur. Veni, Vide! In oculis inferioribus alter dicitur dexter, & alter sinister; nimirum in Microprosopo duo sunt duorum colorum: unus enim

merum est judicium, & in eo est nigrum & rubrum; sed hic in oculo Macroprosopi alter non est siniſter, sed ambo sunt albi, in benignitate & misericordia; & ambo in unum ascendunt gradum: quia ambo eandem operantur operationem, i.e. operationem misericordiæ. Et omnia sunt dextra: atque hinc unus est oculus, & non duo. Et didicimus: Oculus iſte Macroprosopi, qui est Oculus providentiæ, qui inſpectionem habet in mundum, semper apertus est, nec unquam claudit: quia nunquam dormit, neque parum neque multum: hinc appellatur oculus apertus, qui non obdormiscit. Et semper rident & deorsum vident inſpectione admirabili: quia cùm Iſraelitæ probi sunt, providentia ejus magna est, ut quaſi lacte dealbet & lavet oculos Microprosopi; donec hi, qui tres habent colores se invicem ambientes, rubrum, nigrum, & albumen, modo quod siniſter nigrior sit & rubicundior; dealbentur. Et oculi Macroprosopi semper hilares sunt: quia benignitas causa est lætitiæ: & judicium meorum causatur & gemitum. Scriptum est: Et Er primogenitus Jehuda malus erat in oculis Domini. Item scriptum est: Et Salomo faciebat malum in oculis Domini. Quia corruptela eousque pertingebat. Cùm autem oculi Microprosopi dicuntur rubri, nigri, & albi, adeo quæ trium colorum: color ruber primò nominatur, juxta illud: Color niger est ruber, modò quod debilitatus sit. Hi oculi etiam non semper sunt aperti; quia tempore exilii dormire dicitur, atque tunc cerebra Microprosopo adimuntur. Idque causantur pili palpebrarum, qui ad somnum concurrunt. Et sunt conſtructi è quinque duplicibus כנגד quæ sunt severitates descendentes à Matre superna in ipsum; ubi siunt pili palpebrarum. Et hinc tempore somni oculi ejus claudi dicuntur, nec deorsum respicere. Atque hinc dicitur: Expergiſcere Domine, quare dormis. Et alibi: Aperi oculos tuos & vide. Unde patet, quod tempora quædam dentur, quibus non aperiat oculos suos, ita ut orare oporteat pro apertione oculorum. Sed Oculus Macroprosopi vocatur Oculus apertus. Cùm autem Microprosopus oculos aperit, cuidam aperit in bonum; & cuidam in malum, sive non in bonum; cui væ dicitur. Et oculus misericordiæ rubedine & rubedo videtur præ cæteris, & contegit oculum. Quaſi dicat: colorem rubrum prævalere, & reliquis coloribus superinduci. Quis ergò putat à judicio? qui revera in metrum rigoris tunc dominium habet. Sed in Sene dierum optima pars Oculi est album intra album, album quod continet omne album. Beatus ille, quem unà tantùm albedine respicit: hinc verò dicitur: quod Oculus bonus benedicat. Et scriptum est Ieſ. 2. v. 5: Domus Jacob adeſte, & ambulemus in lumine Domini, ut nempe luceant oculi Macroprosopi.

§. 221. Oculi Microprosopi radicem suam habent à decem Tetragrammatis, quorum numerus est 260. Et quinque ex illis sunt benignitates, in oculo dextro; quinq; autem severitates cum punctis Elohim in siniſtro, qui efficiunt 130, juxta numerum vocis פלא Oculus.

§. 223. De oculis Microprosopi porrò in Idra magna hæc traduntur. *Oculi capitis diverſi sunt ab aliis oculis. Pili*, (qui fucari soleant) *in supercilijs ſuper oculis*, (tanta) *nigredine infecti* (& quaſi fucati) *sunt*, ut omnes oculi nigredine (ab iis) fucen-

fucentur (id est judiciis obruantur.) *Pendent enim ex ciliis* (crispi) *ſuper aggeribus pilorum & ſunt eadem formæ, quæ* (etiam in capite nigro apparent) *ſuper oculis; in principio frontis.* Id est, à pilis superciliorum procedit color nigredinis, quæ generatur à capillis capitis. *Et ambobus adhærent*, i.e. amborum oculorum superciliis applicantur virtute pilorum istorum, *ſeptingenta millia Domini Inſpectionis, qui ſuper ciliis oculorum* (resident) id est, super pilis superciliorum: & hi originem habent à septem numerationibus Microprosopi mundi Inanitionis, constantes è decadibus, & decadum decadibus, unde siunt 200. & in supernis iterum è chiliadibus, unde septingenta millia, qui sunt ministri Inspectionis supernæ; nempe Angeli & præfecti, quibus demandata est Inspectio in opera hominum, quique describunt gressus viri, sive in malum tendant, sive in bonum; & cogitationes hominis & consilia ejus. *In tegmento oculorum*, qui sunt pilli ipsum oculum contegentes, *ſtammant mille & quadringenta myriades, qui adhærent palpebris, & ſunt tegumentum* (oculos claudens.) Numerus iſte autem provenit è literis duplicibus כנגד, quæ sunt quinque severitates, quarum numerus est 280. quæ multiplicatæ per quinque, quia ſingulæ in ſingulis continentur, efficiunt numerum 1400; quæ myriades dicuntur ob ſublimitatem; & in palpebris resident, sunt que juſtitiarii rigoroſiſſimi. *Et inſpectio oculi Senis dierum ſuper ipſis eſt*, ut demulceantur dum ascendunt ut roſtur accipiant, prout accidit tempore sacrificii pomeridiani Sabbathici: (vel potius ut desistant ab ista oculorum contectione, & oculi aperiti queant.) Hinc pergit: *Illo tempore cum ſeſe levant iſti conſtitores, idem ſit ac ſi quis expergiſceretur è ſomno ſuo.* Id est: Microprosopus similis est homini qui expergesit. *Et oculi ejus aperiuntur, & reſpiciunt ad oculum apertum, & lavantur ſive imbuuntur albedine quadam oculi boni. Quod innuitur per dictum illud* Cant. 5, v. 12. *Loti lacte. Quid hoc eſt, lacte? albedine* ſcilicet *excelſa primitiva. Et eadem hora reperitur inſpectio miſericordiæ: & propterea precatio Iſraelitarum aſcendit*; quia est tempus benevolentiæ: *quoniam aperti fuerunt oculi ejus & deliberi illa albedine. Quo pertinet illud* Pſalm. 44. v. 24. *Evigila, quare dormis, Domine; expergiſcere. Quotiescunque verò oculi ejus non aperti ſunt, omnes miniſtri judiciarii Iſraelitas ſupprimunt, & reliqui populi ipſis dominantur. Sed quando oculi ejus aperiuntur & perfunduntur* (lumine) *oculi boni, miſericordia verſatur ſuper Iſraëlitis, & circumvertitur oculus & exercet vindictam in cæteros populos. Quod innuitur verbis illis* Pſalm. 35, v. 23. *Evigila, & expergiſcere.* Id est, *evigila, ut dealberis illo candore: & expergiſcere, ut ultionem ſumas de iis, qui ſupprimunt nos.*

Oculi ejus cum aperiuntur, apparent pulchri ſicut columbarum; colore albo, & nigro & rubro & flavo. Albedo autem oculi non manifeſtatur, niſi illo tempore cum reſpicit in oculum bonum, & omnes iſti colores albeſcunt illa albedine. Excurrunt autem colores: quoniam detegunturſeptem oculi inſpectionis, qui prodeunt è nigredine oculorum ejus, ſicut dicitur Zach. 3, v. 9. Super uno lapide ſeptem oculi. Quis est lapis iste unus? nigredo oculi, unde prodeunt inspectores illi. Deinde *è rubedine oculorum prodeunt ſeptem curſores*,

qui

qui celeres sunt in functione Inspectionis hujus supernæ : *& hi deflectunt in latus sinistrum, & emittunt flammas ignis lateri septentrionali*, qui rutilat è Gloria Matris in latere sinistro & septentrionali Microprosopi ; *ibique applicantur ut emittantur in mundum, ad detegendas vias impiorum*, qui opera sua in tenebris faciunt. istosque puniunt. *Quod innuitur dicto illo* Zach. 4. v. 9. *Septem isti oculi Domini peragrant universam terram. E colore flavo oculorum Microprosopi prodeunt septem lumina*, quæ illuminant mundum ceu colore quodam mixtô & temperatô, *quæ relegata sunt ad latus meridionale, ibidemque applicantur, ut emittantur in mundum ad detegenda opera hominum*, & infra in palatiis ex istis prodeunt turmæ Angelicæ, & nomina, quæ operantur secundum naturam suam. *Sicut scriptum est : Quia oculi ejus super vias viri, ut sciant omnes homines opus ipsius.* Job. 34. v. 21. *& Job. 37. v. 6. Et cùm dealbantur albedine* à Macroprosopo, *tunc id agunt, ut intueantur studiosos veritatis.* i. e. justos, *mundoque benefaciant propter istos : & omnis inspectio bona est* illô tempore pro Israelitis : colore autem rubrô intuetur illos, qui hos coarctant, sicut dicitur Exod. 3. v. 7. Videndô vidi afflictionem populi mei, nimirum videndo, ut benefacerem illis, Vidi, ut ultionem sumerem ab afflictoribus eorum. Et hoc pertinet Psal. 44. v. 24. ubidicitur: Evigila, & expergiscere, quæ sunt duæ inspectiones : duo oculi Microprosopi aperti, duo bona, quæ hinc emergunt pro Israelitis ; nimirum Misericordia ex oculo uno ; & ultio inimicorum ex parte oculi sinistri.

Quamvis autem dixerimus : In oculis Microprosopi dari colorem rubrum, nigrum, album & flavum : nihilominus tamen, cum influxum accipit ab oculo aperto Macroprosopi, omnia convertuntur in albedinem ; prout Idra in sequentibus dicit : *Cùm albedo circumfulget, & Oculus albescit, omnes illi colores, sedantur & submergantur in unum : ruber, flavus, niger non apparet, excepto solô albô, qui fulget à Sene dierum ; & ab illo splendorem accipiunt omnes inferiores, nec ullus color apparet, præter solum hunc album. Et propterea submoventur omnes Dominis albedinis & nigredinis, qui sunt gemelli*, & vicini & fratres, nec à se invicem separantur ; & ambo sunt judicium, ideoque cum ambo apparet, Oculus Macroprosopi lucem albedinis suæ non demittit. Symbolum autem cognationis duorum istorum colorum latet in voce אש ignis, cujus literæ denotant voces אדום & שחור rubrum & nigrum. *Et hoc pertinet ad Cantici quartô versu* 2 ; *Quæ ascendunt ex ablutione* : i. e. *ex illa dealbatione oculi boni sancti superni. Omnes enim gemella simul juncta. At verò textus loquitur de dentibus, qui similes sint gregi tonsarum* : quicquid autem tondetur, separatum assumitur à socio suo : tunc igittur dicis, quod omnes sint bini sive gemelli ? Nimirum, quod de gemellis dicit textus, sensum tantùm habet, quod omnes assequantur perfectionem & bonitatem illam ad protegendos Israelitas : quod dici potest de quo'libet colore seorsim. Et hoc innuit Idra cum dicit : *Textus respicit albedinem eorum, qua sit sicut albedo oculorum, cùm dealbantur albedine oculi superni. Et hoc scitum sunt justi, & visuri per Spiritum Sapientiæ*, quodnam lumen ex oculis Microprosopi occidat, & quodnam vivificet ; & prædicti erunt scientiâ, per quam admiranda operari queant, deducendo lucem Senioris in sese ad protegendos Israelitas, & ad puniendos hostes eorum. *Sicut scriptum est Jes. 52. v. 8. Quia oculo ad oculum videbunt. Quando ? cùm reduxerit Dominus Zionem. Et scriptum est Num. 14. v. 14. Cui oculo ad oculum visus es, tu Domine. Et tunc apertio oculorum in bonum est* pro Israelitis. *Alia enim apertio oculorum est in bonum, & alia in malum* pro hostibus illorum. *In bonum juxta Dan. 9. v. 18. & in malum juxta Jes. 33. v. 20. Qui locus tam in bonum quàm in malum intelligendus est, quia unum non fit sine altero.* Oculi enim denotant misericordiam & judicium. Oculus dexter est misericordia ; & oculus sinister est judicium ; & Hierosolyma est uxor Microprosopi, è qua Dominus extirpabit omnem nexum corticum, & malos ex illa excutiet, atque tum oculus Senis respiciet in oculum Microprosopi, & specjatim in oculum sinistrum, ut eundem mitiget, juxta illud : Oculo ad oculum videris tu Domine i. e. Microprosope, qui per Tetragrammaton simpliciter positum semper intelligitur.

Et in libro Zeniutha dicitur : Quid hoc est, Oculi tui videbunt habitationem quietam : ergóne Hierusalem est habitatio quieta ; annon eadem est Uxor Microprosopi, & omnis exuscitatio bellorum & judiciorum est in manu ejus ; unde sanè non tranquilla est & quieta, quia judicia nunquam quieta & tranquilla sunt ? Verum enim verò illô tempore cùm debilitantur & mitigantur à benignitatibus, quiescere coguntur. Sed objicitur locus Jes. 1. v. 21. Justitia habitat in ea. Num Uxor vocatur judicium justitiæ. Ubicunque igitur locum habet justitia, ibi nihil est tranquilli & quieti ? Sed respondetur : locum illum intelligendum esse de Sene dierum, cum aspiciet illos oculos. Quoniam ipse est Oculus quietus & tranquillus, Oculus misericordiæ ; Oculus, qui non subsultat ab objecto hoc in objectum illud. Et propterea dicitur עני defectivè & sine Jod, ut indicetur oculus in singulari, nimirum Senioris. In Microprosopo enim duo sunt oculi : Hic autem sermo est de aspectu superno, quo oculi ejus dealbandi sunt à rubedine & nigredine. *Quare autem loquitur de Jerusalem, & non de Zion.* Zion enim est fundamentum Matris, & יסוד per æquipollentiam numerorum est יוסף justus, qui pertinet ad fundamentum Microprosopi. Nimirum sic necessarium erat ad supprimendum judicium, quod in ea reperitur, & ad exhibendam ipsi misericordiam. Alibi didicimus : Scriptum est Deut. 11. v. 12. Oculi Domini Dei tui in illa ab initio anni usque ad finem anni. Hoc ipsum est, quod dicitur justitia pernoctat in ea. In ea enim judicia reperiuntur plura, quàm aliis in locis omnibus : Hinc dicitur Oculi, nimirum Microprosopi, qui sunt judicium. Item Oculi Domini Dei tui : ubi expresse connotantur ambo Oculi. Futurô autem tempore locum habebit oculus unus misericordiæ, Oculus Senis Senum. Unde scriptum est Jes. 54. v. 7. Miserationibus magnis congregabo te. Ubi cùm dicat miserationibus, quare superaddit magnis ? nimirum duæ sunt miserationum species, quarum alia minor, alia major est. Id est : Misericordia Senioris Seniorum dicitur Misericordia magna : &

Misericordia Microprosopi dicitur Misericordia simpliciter, quia in hoc est dextrum & sinistrum, judicium & commiseratio. Cum ergo dicitur miserationibus magnis congregabo te, intelligitur misericordia Senis dierum.

Didicimus. In istis oculis & duobus ipsorum Coloribus rubro & nigro duæ existunt lachrymæ : Lachrymæ autem sunt salsæ, & denotant judicium. Et cum DEUS Sanctissimus, qui benedictus sit ! misericordiam exhibere vult populo Israëlitico, dum has demittit lachrymas, ut temperentur in mari magno. Quid est mare magnum? mare Sapientiæ supernæ. Sicut dicitur : Et plena est terra Cognitione Domini, sicut aquæ mare contegunt. Digitum ergo intendit ad mare Sapientiæ Capitis Non entis, quod est in Seniore. Nimirum ut Juventur in flumine fontis, quod effluit è Sapientia magna, & per illas miseretur populi Israëlitici.

In Idra parva autem de Oculis Microprosopi habentur sequentia. *Oculi Capitis sunt Oculi, à quibus non oculantur peccatores : Oculi qui dormiunt & non dormiunt.* Id est : Cùm Israëlitæ faciunt voluntatem Dei altissimi, oculus ille apertus despicit & dealbat oculos istos, eosque aperit, ut accipiant Lucem supernam. Sed cùm Israëlitæ non faciunt voluntatem Dei altissimi, somnum causantur in Microprosopo, & ab ipso tolluntur Cerebra. *Hinc oculi ejus vocantur sicut columbæ* Cant. 5. v. 12, ubi dicitur : Oculi ejus sicut columbæ juxta torrentes aquarum, lavantes se in lacte. Quid est יונים ? (estne à יונה columba ? Non ita : sed) *sicut scriptum est* Lev. 26, v. 17. לא תונו *Non decipietis unusquisque proximum suum.* Nam Dolosus cum defraudat socium suum oculos ipsi quasi obcæcat, ut fraudem non videat, nec sibi cavere possit ab illa deceptione : Si enim alter cavere posset, hic sane eum non deciperet. Et sic etiam hic est occæcatio & occlusio oculorum. *Et hinc scriptum est* Psalm. 94. v. 7. *Et dixerunt : non videbit Dominus ; & non intelliget Deus Jacobb.* Eadem igitur mensura judicantur impii, ut occæcentur. Væ illis ! quia oculum supernum apertum tollunt ab inferioribus. *Et scriptum est :* Psalm. 94 v. 9. *An plantans aurem, non audiet ? an formans oculum non aspiciet ?* Summa omnium huc redit ; dari tempora, quibus non videat Microprosopus ; tempore nimirum somni, id est, exilii ; donec eum illuminet oculus apertus, eumque excitet è somno suo.

§. 224. Nasus Microprosopi & decor totius faciei ; & sunt judicia effluta è spiritu narium ejus : & huc pertinet locus Psalm. 18, v. 8. 9. & commota sunt, quia furor fuit ei ; ascendit fumus in naso ejus, & ignis ex ore ejus consumsit, &c. quia totus est ira & æstus ignis. Nomen אלהים enim plenè scriptum per Jodin habet numerum vocis אש ignis, adjecto integro. Et dicitur Num. 12, v. 9. & iratus est nasus Domini in eos, & abiit. אף enim est nasus. Hinc de hoc naso dicitur in Idra magna ; quod fumus hinc exeat : *& in hoc fumo continentur ignis & carbones ignitii : quia non est fumus sine igne ; nec est ignis sine fumo : omnia vero accendentur & exardescent à naso ejus*, id est Microprosopi. *Et cujus fumus sese associat igni & carbonibus.*

In Severitate enim tres sunt Triades, sicut in omnibus personis, quo pertinent tria genera Ignis, quæ sunt tria nomina אלהים quæ descendunt in jugulum ; quoniam nomen אלהים ter sumtum per æquipollentiam numerorum cum integro est גרון guttur, sive jugulum. Et hæ sunt tres illæ venæ quæ in collo ; quæ denotant judicia, & tempus illud cum Microprosopus est in infantia, quia tunc mundum gubernat per judicia. Et cum hæc comprehenduntur in naso, tunc judicia prodeunt & vindictam exercent in illum, qui causa est, quod judicia dominentur. *Et tunc vocantur* אף *ira* ; & חימות *furor* ; & משחית *perditio.* Hinc *dicitur :* Deut, 9, v. 19. *Quia timui ab* אף *ira*, & חימות *furore*, quò efferbuit Dominus super vos, ad disperdendum vos. *Nomen* משחית *autem desumitur è* Gen. 13, v. 10. *antequam* שחת *perderet Dominus Sodomam & Gomorrham ; igne scilicet ardente.* Et in gehenna tres isti gradus iræ, furoris & perditionis influxum accipiunt ab hoc judicio rigoroso.

Et didicimus : *Quinque Severitates sunt in hoc Microprosopo, & ascendunt in summam mille & quadringentarum severitatum, quæ extenduntur in nasum, & in os, & in brachia, & in manus, & in digitos.* Quod est mysterium quinque judiciorum, quinque literarum duplicium מכפ"ך, quæ vocantur בריצינה רקורינותה lumen nigredinis seu fuliginosum. Hinc magis corroborantur in quinque locis istis : & è singulis prodeunt sub numero literarum מנצפ"ך quinquies sumto, unde exurgit summa 1400. judiciorum : quæ sunt severitates. *Et propterea scriptum est :* Psalm. 106. v. 20. *Quis enarrabit Severitates Domini ? Ubi de severitatibus dicitur, numero plurali. Sed* 1. Paral. 29, v. 11. *dicitur : Tibi magnificentia & severitas ; ubi est numerus singularis ; unde colligi queat, unam tantum esse severitatem. Verum sic didicimus : quod cum coadunantur omnes illi rigores, tum dicatur Severitas una in singulari. Omnes autem rigores incipiunt descendere à Naso ejus : & ab illo dependent millies mille, & quadringenta myriades ; nimirum à singulis illorum. Et ab illo fumo, qui procedit de naso ejus dependent millies mille myriades, & quadringenti & quinque : qui ad istam Severitatem pertinent. Et omnes severitates dependent ab isto naso.* Unde scriptum est Psalm. 145, v. 4. *De generatione in generationem laudabunt opera tua, & severitates tuas annunciabunt. Et cum prodeunt severitates sive rigores è naso hoc, rebur acquirunt omnia judicia, inferiora, & sunt sicut gladius acutus & flammando micans, donec descendant in* locum Metatronis & corticis, qui Nogah, sive splendor dicitur, qui vocantur *lamina micans gladii versatilis.* Nam Metatron est Sapientia mundi formativi, & in ea sunt triginta duo Nomina אלהים ; nam 32. per 10. multiplicata efficiunt numerum vocis נער puer ; quod est cognomen Metatronis, qui mutatur è puero in Senem, luna deficiente ; & è Sene in puerum, luna iterum innovata. Et quando justi in mundo sunt Negah illis convertitur è serpente in baculum ; & cum nulli justi in mundo sunt, eadem è baculo convertitur in serpentem. Et sic Metatron baculo Dei, qui in manu ejus, serpentem percutit, qui sunt populi mundani. Item si quis indignus est, qui ingrediatur in Paradisum, idem pariter punitur per hæc judicia, &

inflammatur à gladio versatili, quo custoditur via arboris vitæ, ne illuc intret, qui ascendere non meretur. Sed tempore beneplaciti, cum Israëlitæ faciunt voluntatem Dei altissimi, afflatur Spiritus Nasi Macroprosopi è duabus naribus ejus: è nare una, vita; & è nare altera, Vita Vitarum: & nasus Microprosopi illum suscipit, & omnia judicia istius nasi mitescunt.

Scriptum est Gen. 19, 13. Quoniam nos perdemus locum hunc. Et scriptum est Gen. 19. v. 24. Et Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham. Et scriptum est Gen. 13. v. 10: antequam Dominus perderet Sodomam & Gomorrham. Quomodo igitur possibile est, quod perditio veniat à Nomine Tetragrammato, quod est metrum misericordiæ? *Verum sic didicimus: Non est judex super impios &c. sed ipsimet sunt metrum misericordiæ in metrum judicii. Quomodo autem conveniunt? atqui scriptum est, Ego Dominus, & non mutor.* Malach. 3. v. 6. Nec etiam possibile est, ut mutari queat operatio Nominis Tetragrammati. *Nimirum, quandoquidem Senex Senierum, Caput illud album, detegit benevolentiam benevolentiarum, misericordia magna ubique locum habet.* Hoc est caput Macroprosopi, quod in se continet duo cognata; unde vocatur Senior Seniorum: cum hic revelat frontem suam, ut lumen demittat in nasum istum; misericordia descendit ad nasum Microprosopi, & mitescunt omnia judicia, per magnas illas miserationes. Et Nomen אלהים plenè scriptum per Jodin, per æquipollentiam numerorum est מרחמים in miserationibus. Sed quando Israëlitæ non faciunt voluntatem Dei altissimi, lux Macroprosopi non manifestatur in Naso Microprosopi, & omnia judicia Microprosopi parata adsunt: adeoque ut ita dicam, Misericordia exercet illud judicium; nimirum quia Senex ille annosissimus occultat lucem suam nec deorsum radiat, tunc judicia robur acquirunt, & judicium exsuscitant. *Quis est causa istius judicii? Benevolentia benevolentiarum, quia non revelatur. Et propterea Impii misericordiam convertunt in judicium.* Quod autem dicitur Genes. 19. v. 24. Tetragrammaton pluere fecit ignem &c. à Tetragrammato è cœlis; idem est ac si diceretur à Microprosopo. Unde colligitur hoc? quia scriptum est de cœlo, ut per vocem שמים denotetur אשומים ignis & aqua (in pluvia illa demissa) nam Microprosopus est misericordia in judicio in antithesin illius, in quo nullum planè est judicium, qui est Macroprosopus. Cùm iste deorsum radiat in nasum Microprosopi, tunc vocatur longitudo naforum, i. e duorum naforum, quorum unus irradiat alterum. Vel etiam dicitur אך אפים è significatione sanandi, Juxta illud Jerem. 33. v. 6. Ecce ego procuro ei ארכה sanitatem: quia hic est sanitas & curatio omnium faciem inferiorum.

Et huc pertinet etiam traditio illa, quare inter duo Tetragrammata Exod. 34. v. 6. accentus interceedat: prout & interacclamationes Abraham; Abraham; Jacob, Jacob: Schmuel Schmuel: ubi semper interpositus est accentus: excepto casu, ubi dicitur Moscheh Moscheh, ubi nullus intercedit accentus. Ratio autem hæc est, quod posterius nomen majorem perfectionem denotet. Nam quoad primum nomen Abraham nondum erat perfectus, quia nondum perstiterat in decem tentationibus; sed secundum nomen

nomen posterius perfectus erat, quia eas dem sustinuerat omnes. Sic & Jacob quoad nomen primum perfectus non erat: sed quoad posterius erat perfectus, quia post nuntium de vita Josephi in ipso iterum quiescebat præsentia Dei gloriosa, jamque genuerat duodecim tribus, quarum antitypus est in supernis ceu arbor sancta duodecim terminis inclusa, quæ sunt duodecim variationes Tetragrammati: & septuaginta ramos habens, quæ sunt septuaginta coronæ Capitis Macroprosopi, quæ radiant in Caput Microprosopi: unde in hoc exurgunt septuaginta formæ. Et sic Samuel quoad posterius nomen Prophetæ declaratur; qualis juxta prius nondum erat. Moses autem jam ab infantia sua perfectus erat, sicut scriptum est Exod. 2. v. 2. Et sic duo hæc Tetragrammata accentu distincta denotant, quod posterius sit perfectus, tredecim metris misericordiæ Microprosopi, quas deduxerat Moses pro remissione peccati illius: cùm antea Microprosopus fuisset iratus in populum. Nam cum Senior ille detegitur erga Microprosopum, nasus istius sedatur, juxta Es. 48. v. 9. Futurò autem tempore Spiritus Sanctus descendet super unctum Domini à naso hoc per Seniorem Sanctissimum: sicut dicitur Jes. 11. v. 3. Et odorari faciet eum in timore Domini.

§. 225. Aures Microprosopi sunt duæ dextra & sinistra. Datur enim auditus bonus in aure dextra, sicut dicitur: Quoniam audit egenos Dominus. Et in aure sinistra malus: juxta illud: Et audivit Dominus, & exarsit ira ejus. Et aures Microprosopi curvaturas habent, ut audire queant bonum & malum. Et hæc auris forinsecus clausa est, & curvatura intrat intra foramen illud: unde desillationes fiunt à cerebro: ut introducat vocem introrsum, eademque servata sit & occultata ex omni parte; atque hinc dicitur mysterium, quæ intrare quidem debent sed egredi.

Ab illa curvatura, quæ intra aures dependent omnes illi Dominia larum, de quibus scriptum est: Quia avis cœli adducit vocem &c. Et isti præconia & voces cœlitùs emissas in mundum deducunt, & Santalphon præfectus illorum est. Isti autem alati, qui circumvolitant per mundum, ut notificent decreta divina, dicuntur ascendere ad numerum sexcentorum millium myriadum: ob mysterium literæ Vav Tetragrammati מה Alephati. In Microprosopo autem foramen quoddam est in cervice, unde transmittitur influxus ad Uxorem ejus, quæ à tergo ipsius assistit. Unde necessum est, ut capilli ibidem dependeant ad contegendum foramen hoc cervicis, ne cortices aliquid exinde participent. Aures autem vacuæ esse debent à capillis, ne istæ impediantur ab exauditione precum nostrarum: unde de his dicitur: Inclina aurem tuam. Sed aures Senis Sanctissimi mera sunt misericordia: nec ibi sinistrum datur. Ubi autem occurrunt duo nomina Tetragrammaton & Elohim; Tetragrammaton denotat Senem Sanctissimum; & Elohim Microprosopum, qui respectu illius judicium est.

§. 226. Barba Microprosopi fit ex novem Numerationibus, Sapientia, Intelligentia, Cognitione, Benignitate, Severitate, Pulchritudine, Victoria, Gloria & Fundamento Fundamenti Macroprosopi, quæ ingrediuntur per novem triades Victoriæ, Gloriæ & Fundamenti Matris, in quibus semper existunt Victoria, Gloria & Fundamentum

Patris: & intrant in novem Numerationes ipsius Microprosopi: & ex illis quoque fiunt novem partes barbæ sanctæ Microprosopi. De hac Barba in Idra magna fol. 139. col. 1. sic dicitur. *Hæc Barba est perfectio facies, & pulchritudo Microprosopi. Et conformatur novem partibus, & cum irradiat Barba venerabilis Senioris Seniorum*, id est, Macroprosopi, qui cum dicitur Senior Seniorum, quasi à tribus Capitibus denominatur, ita ut Senior sit unum, & Seniores duo, quia numerus pluralis ad minimum duo denotat. Illius Barba dicitur perfectio omnium, quia ipse Microprosopo & omnibus personis inferioribus perfectionem membrorum largitur. Quoniam Microprosopus tantùm quasi puer parvulus est, antequam accipiat Cerebra: hic autem eundem magnum reddit, ut vocetur vir, utque accipiat Barbam & Caput magnum, & membra grandia, & convertatur in misericordiam.

Et cùm Macroprosopus lumen suum demittit in Microprosopum, tredecim scaturigines olei superni promanant in hanc Barbam; & in ea inveniuntur viginti duæ formæ, i.e. tredecim Macroprosopi, & novem Microprosopi: *& exinde emanant viginti duæ litteræ Legis.* Et cum Microprosopus adhuc quatuor formas à Macroprosopo accipit, tunc & ipse tredecim partes habet, sicuti Macroprosopus: sed istæ eidem tribuuntur juxta Alphabetum inversum, ut supra dictum est.

Hæc Barba prodit ab auribus, & descendit & ascendit, & superintegit areolas aromaticas. Quid intelligitur per areolas aromaticas? Id quod dicit Canticum cap. 5. v. 13. Sicut pulvinus aromatis; & non pulvini. Sensus est: barbam ascendendo & descendendo ab auribus contegere genas, prout in homine, juxta illud Hiobi: In carne mea videbo DEUM. Sed omnia ibidem lumina sunt, & literæ lucidæ, & nomina, quæ in supernis configurantur in figura hominis.

§. 226. Conformationes Microprosopi sunt novem, easdemque recitat David Psalm. 118. v. 4. quippe à quibus dependebat fortitudo ejus, ita ut per illas vinceret hostes: quoniam post illas novem formas Microprosopi statim subjicit: Omnes gentes circundederunt me: sed in nomine Tetragrammati exscindam eos. Sunt autem sequentes: De angustiis inclamavi Jah; hæc est prima. Exaudivit me in latitudine Jah; secunda.

Tetragrammaton mihi non timebo; tertia.

Tetragrammaton mihi inter auxiliatores meos; quarta.

Melius sperare in Tetragrammato: quinta.

Melius confidere in Tetragrammato; sexta.

Ettres sequentes, in quibus occurrit mentio nominis אדם homo, nempe cùm dicitur: Dominus mihi, non timebo, quid faciat mihi homo. Prima. Melius confidere in Tetragrammato, quàm confidere in homine. Secunda. Melius confidere in Tetragrammato, quàm sperare in Principibus. Tertia. Ubicunque enim in istis versiculis occurrit mentio nominis אדם, ibi subinnuitur unio Tetragrammati; juxta illud: masculum & fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum אדם. Ubi intelligitur Microprosopus, nempe nomen אדם æquipollet Tetragrammato מה, id est 45: cujus plenitudo refert numerum 19, qui est in voce חוה Eva: quibus junctis ut generare queant, homo est integer in membris suis.

De his in Idra magna sequentia extant. *Dixit R. Schimeon ad R. Eleasar filium suum: Surge mi fili sancte, explica conformationem barbæ juxta istas partes suas.* Surgensque R. Eleasar dixit Textum illum Psal. 118. jamjam allegatum. Et porrò subinnuit, quod duæ sint partes in Microprosopo, quæ vocentur מצרים angustiæ in angulis barbæ & capitis. Quoniam finis pilorum Capitis pone aures est initium duorum angulorum barbæ circa duo tempora faciei. Suntque duo nomina אל è nomine Elohim: quoniam אלהים i. e. angulus per æquipollentiam numerorum est אלהים. Suntque judicia juxta illud Psal. 7. v. 12. אל Deus indignans omni die. Accedit autem temperatura in forma prima, quæ vocatur אל: quæ irradiat partem hanc primam Barbæ Microprosopicæ, i. e. duos hos angulos. Et in ea sunt cincinni pilorum, juxta nomen אל. Et quilibet cincinnus pilos habet 390, quibus temperantur judicia Microprosopi & capillorum ejus, qui vocantur שמים sive cœlum juxta numerum 390 pilorum, quibus subiguntur omnia judicia inferiora. Hoc igitur nomen אל è nomine Elohim extat in duobus timporibus faciei, quæ sunt duo nomina יה. Datur autem triplex nomen אל in dicta illa syllaba אל comprehensa: quæ sunt אל שדי & אל ארני & אל ידוד quæ continentur in duobus angulis faciei, qui vocantur angustia. De his enim loquitur R. Eleasar, cum inquit: Exangustia clamavi ad Jah; Exaudivit me in latitudine Jah. Unde patet, quod duo nomina יה sint in duabus partibus angulorum, & quodlibet eorum in se habet tria illa nomina אל: unde consunt sex nomina אל ad dextram & sinistram. Et nomen יה plenè scriptum hôc modô: יוד הא junctô integrô per æquipollentiam numerorum est אל. Eôdemque modô duo nomina יה efficiunt אל cum numero totius. Unde patet, quod adsint sex nomina Jah, à quibus prodeunt sex nomina אל. Hinc R. Eleasar numerat sex nomina Divina, & tria nomina אדם, quod est Tetragrammaton מה. Nam nomen מה ter sumtum efficit אדם. Et sic etiam è tribus יה anguli sinistri efficitur nomen alterum אדם, & unum est in medio. Et ista nomina אל vocantur מצרים עליונים Ægyptus superna. Sed & in guttur Microprosopi descendunt sex ista nomina אל supradicta; ubi nimirum est angustia gutturis; eaque fiunt è sex Cerebris infantiæ, quorum tria sunt à Patre & tria à Matre, & vocantur מצרים תחתונים Ægyptus inferior; illa autem quæ in Macroprosopo vocantur Ægyptus superior. Judicia autem non abolentur nisi per radicem suam: i. e. si illa nomina Macroprosopi irradient istæ Microprosopicæ. Et huc pertinet illud Jes. 19. v. 2. Et cum misceebo Ægyptum cum Ægypto, i. e. superiorem cum inferiore, & tunc tollentur cortices, qui adhærent Ægypto inferiori, i. e. duobus angulis Microprosopi.

§. 227. Forma prima Barbæ Microprosopi prodit ante aperturam aurium ejus sub cincinnis capillitii, qui pendent super auribus: & descendunt pili sibi invicem impositi,

positi, ita ut radix unius sit sub capite alterius usque ad locum ubi initium habet os. De his porrò ita dicit Idra magna. *Omnes illi pili Barbæ duriores & rigidiores sunt pilis & cincinnis Capitis.* Suprà enim diximus in Macroprosopo, quod pili Sapientum in Capite sint lenes sive flexiles & in barba rigidi. Sic etiam hôc locò: In Capite Microprosopi pili sunt molliores; sed in barba sunt rigidiores & duriores: juxta illud: Judicia Masculi rigida sunt sub initium & remissa sub finem. Quoniam fiunt à judiciis incipientibus à severitatibus Matris, quæ proveniunt è mysterio Cerebri Matris.

Porrò ibidem subjungitur: *Quandocunque pili albi Senis dierum, qui sunt tredecim cincinni Capitis albi, exporriguntur in Caput Microprosopi, tunc locum habet illud Proverb. 1. v. 10. Sapientia in platea sive foris prædicabunt.* Sensus est hic. Cum descendunt duo cerebra Patris & Matris; & duæ coronæ à Macroprosopo, omnia descendunt per Jisraelem Senem & Intelligentiam specialem: & Sapientia Patris descendit in Sapientiam Jisraelis Senis; unde patet, quod sint Sapientiæ duæ in Jisraele Sene; & duæ Intelligentiæ in Intelligentia speciali. Atque hinc dicit textus: Sapientiæ foris prædicabunt: id est, extra Macroprosopum, quia eas accipit Microprosopus, qui foris extat. Et sic etiam dicitur Jes. 27, v. 11. quia non est populus Intelligentiarum. Ubi etiam commemorantur Intelligentiæ duæ; una Matris, & altera Intelligentiæ specialis. Suntque tria cum pertingunt ad Victoriam Gloriam & fundamentum Jisraelis Senis & Intelligentiæ specialis: antea autem erant quatuor; nimirum duo cerebra, & duæ coronæ, fiuntque tria, in Victoriâ, Gloriâ & fundamento eorum; Et quia Phylacteria sunt typus istorum, hinc ש in phylacteriis datur trium capitum & quatuor capitum. Unde dixerunt Sapientes nostri b. m. Deum Sanctissimum, qui benedictus sit; id est Microprosopum, applicare phylacteria. Ubi sensus est, illum in capite suô applicare illa lumina.

Pergit autem Idra: *Quid est foris? in hoc Microprosopo. Et inveniuntur in tribus cavitatibus cranii capitis.* Quæ sunt, Sapientia Intelligentia & Cognitio Microprosopi: quia descendunt duo cerebra & duæ coronæ & fiunt tria in Sapientia, Intelligentia & cognitione: quoniam in illa subintrant Victoria, Gloria & fundamentum Jisraelis Senis & Intelligentiæ specialis. Et deinde descendunt in Cognitionem, quæ comprehendit cerebra & coronas, & fiunt unum. Quapropter theca est unica, quæ continet quatuor Textus Phylacteriorum. Hinc R. Schimeon Jochaides in Idra subjungit.

Et unum cerebrum quieseit in statu consummato, quod continet omnia tria cerebra: & ab eo producuntur productiones. Id est: Deinde descendunt Benignitates & Severitates in membra reliqua & faciunt novem Numerationes & novem formas barbæ Microprosopi. Et è Sapientia, Intelligentia & cognitione fiunt Cincinni, pili longi, & crines: quin etiam pili barbæ. Et hinc dicit: producuntur ab eo productiones.

Et pergit. *Implicita illa, qua librantur* (i. e. formam bilancis generalioris accipiunt) *in capillis albis, in hoc Microprosopo continentur in tribus cerebris; in quibus extant*

extant quatuor cerebra istius Microprosopi. Hinc assurgit numerus perfectus quatuor textuum, in Phylacteriis scriptorum, in quibus continetur Nomen Sanctum Senii dierum, Senioris Seniorum; & Microprosopi. Nam hic est consummatio Nominis Sanctis, de quo scriptum est. Deut. 28, v. 10. *Et videbunt omnes populi terræ, quod Nomen Tetragrammaton invocetur super te, & timebunt te. Ubi revera intelligitur Tetragrammaton*; quæ sunt quatuor literæ, sub mysterio duorum cerebrorum & duarum Coronarum; *quæ sunt quatuor receptacula, thecæ* (scilicet *phylacteriorum. Et propterea dicitur: Sapientia foris prædicabunt: quia scilicet hoc loco inveniuntur.* Id est perillas literas ingrediuntur in Microprosopum; & in illis eædem inveniuntur. Nam quia Sapientia Macroprosopi istius, in quo occultatur Caput Non ens, nempe in cerebro ejus occultato, abstrusior & occultior est; hinc illa non ingreditur in Microprosopum: unde necesse est ut Sapientia alia, quæ constat è duobus, intret in Microprosopum, loco Sapientiæ ejus. Quinimò ne quidem in loco Patris & Matris non ingrediuntur; sed in loco Jisraelis Senis & Intelligentiæ specialis. Quare textus Idræ inquit: quod hic inveniantur, id est, quod ab extra & infra fiat prædicatio; ut iste hæc possit sufferre. *Sanè enim Senior Seniorum occultus inter occultos*, ibidem *non inventur*, in Microprosopo, ut ipse immittat cerebra in eum: *quia est absconditus ab omnibus, nec dividitur nec manifestatur. Et quia uniuntur quatuor cerebra* in cerebro *hoc Microprosopi*, id est, in Cognitione ejus; *hinc quatuor fontes ab illo effluunt in quatuor latera* sive tractus; *& dispergunt se ex una Scaturigine, quæ prodit ab omnibus* (scilicet supernis.) Id est, fundamentum Patris, quod vocatur Scaturigo Sapientiæ; & occultatur in fundamento Matris; veniuntque in Cognitionem Microprosopi, qui est primogenitus & accipit duas portiones à Patre suo, cerebra & coronas.

Ibidem porrò additur: *quod lux abinde prodeat, & producat capillos, cui aggeres super aggeribus, quorum non sit numerus & computus: sicut dicitur* Cant. 5. v. 12. *Cincinni ejus* תלתלים *crispatura.* Hæc sunt decem Nomina אלהים, quorum numerus æquipollet voci תלתל crispaturæ; & quinquaginta eorum literæ, supplent syllabam ים. Quod autem in loco hoc citato additur שחורות כערב nigri ut corvus: ibi per literas istarum vocum initiales indicatur numerus שך id est 320 judiciorum, quæ sunt 32 Nomina אלהים decies sumta; quæ proveniunt à Patre.

Et multa myriades excrescunt influxuum ab iis accipiunt, quæ sunt aggeres super aggeribus. Et omnes sunt duri & rigidi, ut perfringant, per illam rupem durissimam (i. e. cranium) *donec faciant foramina & fontes sub crinibus: & promanant fontes rapidissimi quaquaversum. Et quia capilli illi nigri sunt & obscuri, hinc scribitur Job. 12, v. 22. Revelat profunda de tenebris, & educit ad lucem umbram mortis.* Ubi intelligitur judicia & cortices, qui è longinquo suctionem habent ab illis crinibus. Nam cortex vocatur צל מות, umbra mortis. Et vox צל repræsentat 120. אלהים, seu metathesis istius Nominis.

Deinde quæritur, quare pili Microprosopi sint tam rigidi & duri & quasi inflexiles: & an hoc forte exhinc proveniat, quod omnes sint judicia? Quod negat: quia

sub istis formis inveniuntur miserationes & judicia. Nam etiam quinque Tetragrammata punctata punctis אלהים efficiunt numerum vocis תלמוד: in Talmude autem tàm concessa reperiuntur quàm prohibita; tàm recta quàm rejecta; tàm pura quàm impura. Capilli etiam Microprosopi dividuntur in partem dextram & sinistram. Sed pilos Barbæ Microprosopi oportet esse duros ob duas causas: si enim mundus opus habet misericordia, miserationes has oportet esse validas, ut vincere queant judicium: & quando judicium requiritur, rigor judicii vincit misericordiam: adeoque quicquid prævalet, validitatem requirit. Omnia autem dependent ab operibus inferiorum, quibus concessum est liberum arbitrium. Cùm autem hanc barbam irradiat Lux Barbæ Macroprosopi, quæ alba est, tunc idem fit, ac si lavaretur flumine profundo, & pili fiunt albi, & metrum misericordiæ prævalet, & judicia temperantur, nec amplius apparent, quamdiu Israëlitæ faciunt voluntatem Dei.

Et cùm Moses precatur Num. 14. v. 18. In casu exploratorum, novem tantum metra commemorat, quod nempe Tetragrammatos sit longanimus, & multæ benignitatis &c. De Veritate autem nihil subjungit, quia istæ formæ non semper sunt in Microprosopo, prout semper inveniuntur in Macroprosopo. Et novem istæ formæ veniunt è fundamento Senioris, & sunt novem metra misericordiæ à Seniore in Microprosopum defluentia. Tempore igitur vituli Moses mentionem faciebat omnium tredecim partium Barbæ Macroprosopi, easque deducebat in Microprosopum: quia hoc erat peccatum primum, quod committebant, ubi adhuc digni manebant, ut in terram ingrederentur cum ipso; & metrum judicii nondum usque adeò prævaluerat. Sed in peccato exploratorum judicia prævalebant, & Moses plures non deducere poterat formas quàm novem, quia ipsis peccatum hoc non remittebatur, sed illis moriendum erat in deserto: & decretum non penitus rescindebatur, sed eousque tantum, quod ipsis moriendum non esset intra quadraginta dies, & dies prolongaretur in annum. Unde tum temporis novem tantum descendebant formæ, quæ sunt istæ.

Tetragrammatos יהוה prima.
Longus ארך secunda.
Narium, אפים tertia.
Et multus ורב quarta.
Benignitate וחסד quinta.
Portans נשא sexta.
Iniquitatem עון septima.
Et prævaricationem, ופשע octava.
Et mundando, ונקה nona.

Et propterea veritas dependet à Seniore ejusq; hôc locô non fit mentio.

Et

Et quia Cerebrum Microprosopi habet tres Cavitates, quæ illuminantur à Cerebro occultato; hinc de eo dicitur, quod emanet & prodeat: & in eo sunt 320 judicia, de quibus dicitur Esth. 2. v. 1. כשך juxta quiescere furorem Regis; ubi numerus iste includitur in voce שך: adeoque judicia extenduntur. Sed in Macroprosopo judicia tranquilla sunt & quiescunt, sicut vinum bonum, quod residet super fæcibus suis. Sic enim habet Traditio: Nemo novit Cerebrum ejus præter ipsum; quoniam cognitio ejus & Cerebrum ejus occultata sunt. Sed de Cerebro Microprosopi dicitur Jobi 28. v. 23. Elohim novit viam ejus, i. e. Mater superna, quæ vocatur אלהים חיים Deus vivens. Idque totum propterea, quia Sapientia Microprosopi aperta est, & lumina deorsum transmittit; quod ita non facit Sapientia Macroprosopi; utpote quæ omni ex parte clausa est, nec ullibi aperitur, nisi violenter translucendo per membranam Cerebri.

§. 228. Formâ secundâ prodeunt pili è linea recta, quâ contegunt genas, perguntque secundum latitudinem ab illo loco, ubi incipit os Microprosopi usque ad latus sinistrum illius oris: descendunt que subter os, donec perveniant ad latus sinistrum. Sicut enim os circumdatur suprà; sic pili etiam os circumdant infrà: & pili supra os vocantur mystax, ita ut hac formâ os Microprosopi tam supra quàm infra circundetur, quasi pilus supercimmissus sit pilo formâ elegante & pulchra. Hæc est mens verborum, Idræ, in qua R. Abba jubetur perorare, qui exorsus inquit: *Cum hæc forma Barbæ Regis formatur, tanquam heros robustus est, robustusque & spectabilis &c. Sicut scriptum est: Magnus Dominus noster, & multæ potentiæ.* Id est: antequam illuminatio à Macroprosopo descendit, ipse magnus est virtute judiciorum: si enim nomen דין quinquies sumatur, hinc oriuntur 320 judicia nominis אדנ"י: & quinque Alephin nominis אדנ"י eadem temperant. Nomen autem אדנ"י Dominus noster plurale est, & denotat nomen hoc quinquies sumtum, quæ sunt judicia magna, quæ extenduntur & plena fiunt, & veniunt ab infantia. Deinde in ipso quoque sunt רב כח multa potentia, i. e. 32 Elohim decies sumta: ita ut se habeat ad instar Regis fortissimi, qui exercitus habet in gentes pugnacissimos. Sed quando mitescit per formam Barbæ venerabilis Macroprosopi, tunc dicitur: Deus misericors. Juxta hanc igitur secundam formam, vocatur רב חסד multæ benignitatis, quia judicia illa dicti prioris Psal. 147. v. 5. mitigata sunt, & miserationes prævalent. Et huc pertinet illud Jes. 42. v. 13. Tetragrammaton est Microprosopus, sicut heros egredietur. Id est: Non sub mero robore heroico, sed sicut vir bellicosus suscitabit zelum: vociferabitur etiam jubilabit, super inimicos suos prævalebit. Non tamen planè bellicosus est, quia judicia temperata sunt.

§. 229. Forma tertia Barbæ Microprosopi locum habet sub duabus naribus, ubi est semita paululum depressa ex utroque latere, quæ pertingit usque ad os, & in ea sunt pili parvi quidem sed rigidi, qui prævalent in semita ista: & pili isti sunt judicia rigorosissima, quæ impediunt, ne os dicat: Condonavi: adeoque influxum cohibent, ne procedat à naso ad os. Et propterea non dicitur: Ferens iniquitatem, & transiens

super prævaricationem sive פשע utinde fiat שפע i. e. influentia : quia pili ibidem nunquam amoventur. Unde si quis minari vult cuidam, ut cum respectu & veneratione se gerat, hanc semitam bis digitò percutit. In Seniore enim semita ista de pilis est, ut influentia ad os usque transire queat. Sed in Microprosopo semita hæc denotat judicia gravissima, quæ usque ad os ipsum descendunt : hinc dicitur Cant. 5. v. 13. Labia ejus rosæ, rubra stillicet ut Rosa. Hinc non dicitur ; Ferens iniquitatem, & transiens super prævaricationem, nisi influentiam accipiat à formis aliis, ut judicia ejus temperentur. Sensus ergò illorum, quæ in Idra dicuntur talis est ; quod Forma secunda meritò vocari deberet Ferens iniquitatem ; & Forma tertia transiens super iniquitatem : sed quia semita hæc judiciis duris repleta est : ipsum autem metrum, quod dicitur Transiens super prævaricationem, valdè occultum est ; hinc duæ illæ Formæ non descendunt, ut operentur in Microprosopo : adeoque Forma tertia istius dicitur : Et multus benignitate.

Pergit autem : *Trecenta & septuaginta quinque benignitates continentur in Sene dierum.* Hæ autem fiunt è plenitudine nominis יהוה, cujus numerus est 26 i. e. 37 : quò denotatur halitus oris Microprosopi. Iste numerus autem decies sumtus efficit 370, & cum quinque benignitatibus descendentibus, hinc efficiuntur 375 benignitates, quæ descendunt à Forma sexta Macroprosopi : unde hic locus vocatur multus benignitate. Et illæ 375 Benignitates Senis dierum vocantur benignitates primitivæ, sed Benignitas Microprosopi vocatur benignitas seculi. Et *in* Libro Zeniutha Benignitas primitiva Senioris vocatur רב חסד multitudo benignitatis : sed in Microprosopo tantùm benignitas simpliciter nominatur.

§. 230. Forma quarta Microprosopi sunt duæ areolæ aromaticæ, quæ contegunt genas : suntque pili Barbæ, quæ descendunt secundum longitudinem ex utraque parte faciei. Et de hac Forma in Idra dicitur, quod sit elegans & pulchra aspectu, & nominetur הוד והדר decus & gloria ; quia nimirum in eam extenduntur Gloria Patris & Gloria Matris. Nam Gloria Matris intelligitur per nomen הוד quæ in Targum dicitur שופרא : & est pulchritudo Barbæ, adeoque pulchritudo & decor faciei. Gloria Patris autem vocatur הדרא, in qua plures adhuc species Pulchritudinis insunt Idque totum exinde provenit, quod Pater & Mater contineantur in Victoria & Gloria Intelligentiæ specialis. Et hæc radiat pars quarta Capitis Macroprosopi, quæ vocatur membrana pellucida, quæ est Pulchritudo Regni, quod ignoratur : quæ consistit in medio, & lumen suum dispertitur in duo latera genarum, & in duas partes Barbæ, dextram & sinistram : & cum Pulchritudo hæc formam hanc quartam Microprosopi illuminat, judicia ejus, i. e. pili dividuntur, & temperantur : atque tunc in latere dextro dicitur Ferens iniquitatem ; & in latere sinistro ; Transiens super prævaricationem, ut משע mutetur in שפע seu prævaricatio in influxum, & judicia in duas partes dispescantur, nec nimium cumulentur unò in loco. De hac Forma

Forma in Idra magna traduntur sequentia. Gloria superna prodit & circumit, & emanat, ut applicetur genis ejus, & vocatur decus Barbæ : & hinc dependent הוד והדר vestes nimirum illæ quibus vestitur : quæ sunt purpura magnifica, de qua scriptum est Psal. 104. v. 1 : Gloriam & decorem induisti. Et hic quoque radicem habent literæ כנצפך bis sumtæ, quibus æquipollet vox פרפר, quâ denotatur purpura supradicta.

Et ad hanc Formam etiam pertinet Forma nona, quæ quasi filum quoddam est, quod Barbam circumcirca ambit, & incipit pone aures, ut proportionem det omnibus, ne ulterius extendantur ad contegendam faciem ex utraque parte ; & sic quoque jugulum : idemque dicendum de duabus spicis Barbæ deorsum dependentibus, ne ulteriùs extendantur. Et quia Forma hæc genas vestit : hinc vocatur vestimentum.

Porrò ibidem allegatur dictum Proverb. 20. v. 29 : Et decus juvenum robur eorum, quia juxta hanc Pulchritudinem ascendit è statu pueri in statum juvenis & adolescentiæ, ubi in ipso apparet Barba parva respectu Senioris, qui multò habet majorem, atque albam, quæ Dan. 7. vocatur vestimentum ejus ad instar nivis candidum, quoniam contegit dimidium corpus ejus usque ad scrobiculum pectoris, eâdemque vestiuntur Pater & Mater. Barba autem Microprosopi multò brevior est, nimirum usque ad initium viscerum pertingens. Pilique Capitis & Barbæ nigri sunt corvi instar, & dealbantur per pilos Barbæ & Capitis Senis dierum tempore beneplaciti. Vox autem בחור id est electus sive juvenis Cant. 5. v. 15. per æquipollentiam numerorum est ארזים Leo, i. e. 216, sive nomen חסד i. e. benignitas, ter sumtum. Tandem autem subjungit : *Et cum trutinantur ad instar bilancis, in idem redeunt.* Id est, forma quarta & nona unum & idem sunt : quoniam filum illud, quod proportionem dat pilis, eosque circundat, incipit in loco areolarum aromaticarum, pergitque usque ad infimam partem circa Barbam.

§. 231. Forma quinta Barbæ Microprosopicæ sunt duo poma faciei ejus, in gena dextra & sinistra, ubi deficiunt pili, & genas non amplius tegunt : & hæc poma sunt rubra & alba : sicut dicitur Proverb. 25. v. 11. Poma aurea, quæ sunt symbolum judicii in thecis argenti : quò denotatur Benignitas. Forma igitur ista in hoc potissimum consistit, quod pili ulterius non procedant in genis, nec contegant faciem : hinc ordinariò non sunt alba sed rubra, nec deorsum fulgent, nisi cum facies Macroprosopi illuminat Microprosopi faciem ; & duo poma sancta videntur. De his pomis sic dicitur in Idra magna : quod rubra sint ut rosa rubra, & flammas emittant in 270 mundos, qui expositi sunt in formis Macroprosopi. Et cùm duo hæc poma illuminantur à pomis Macroprosopi, rubedo dilnitur, & albedo immiscetur, i. e. Benignitas admiscetur. Et cùm facies illa Macroprosopi hæc poma irradiat per Sacerdotes, qui manus suas attollunt super

populum, ut eidem benedicant ; tunc locum habet illud : Illuminet Dominus vultum suum super te, & misereatur tui : nam cùm illa poma lucent, mundo benedicitur. Cùm autem tollitur rubor, i. e. cùm rubedo faciei cessat, & judicium atque ira sedatur, quæ vocatur פני facies, juxta illud Ezechiel. 14. v. 8. Et dabo faciem meam, i. e. iram meam, in virum istum : quando nimirum tempore beneplaciti Caput hoc album lumen suum demittit : tunc scriptum est : Attollat Dominus faciem suam super te : quasi dicat : auferat iram, ut nulla reperiatur in mundo. Omnia ergò lumina Senioris Sanctissimi vocantur benignitates primitivæ, sicut dicitur Psalm. 89. v. 50. Ubi sunt misericordiæ tuæ primitivæ, Domine. Lumina autem Microprosopi vocantur benignitates seculi, quoniam iste vocatur Benignitas externa.

§. 232. Formâ sextâ Barbæ Microprosopi prodeunt pili ad instar fili, ut fiat distinctio inter crines, qui genas contegunt, & non vocantur anguli Barbæ, & illos, qui extant in duabus angultiis, usque ad pilos per latitudinem extensos supra labium superius & inferius ; quibus locis anguli Barbæ denominantur, duo nimirum supra circa Barbæ initium, & duo circa os, quibus accedunt pili, qui contegunt guttur, & à mento dependent, qui est angulus quintus Barbæ : & sunt quinque Benignitates, quæ demittuntur à Macroprosopo in quinque angulos Barbæ Microprosopi. Quare DEUS prohibuit, ne anguli Barbæ penitus abraderentur, sive novaculâ sive forfice ? ne scilicet perdatur Barba Microprosopi, nec in eam influere possint quinque benignitates supernæ.

§. 233. Forma septima barbæ Microprosopi in hoc consistit, quod nulli pili dependeant super os, & os vacuum est undiquaque : quoniam per pilos intelliguntur judicia. Sciendum enim, quod omnia creata sint per elocutionem decem dictorum Geneseos, juxta Psalm. 33. v. 6. & sic etiam ore hoc proferuntur verba Legis, & variæ proclamari jubentur, & voces de cœlo emittuntur, & animæ novæ creantur tam hominum quam angelorum per hoc eloquium, cum scilicet copulantur vox & elocutio, id est Microprosopus & uxor ejus. Quod si igitur pili labii superni longius dependerent, elocutio hæc impediretur. Quare licitum est pilos labii præcidere, in quantum comestionem impediunt. Et sensus eorum quæ de forma hac dicuntur in Idra magna, hic est : quod inter angelos alii consistant ad dextram Dei Sanctissimi, qui benedictus sit, qui vocantur קדישין Sancti : qui verò ad sinistram consistunt, vocantur עירין vigiles : sicut dicitur : vidi Dominum sedentem super thronо excelso, & omnis exercitus cœlorum penes eum stabant à dextris & à sinistris. Illi enim qui à dextris bene merita attendunt & vocantur sancti : qui verò à sinistris ad peccata hominum attendunt, & vocantur Gregori sive vigiles. Unde etiam dicitur Dan. 4, v. 11. Et ecce vigil & sanctus de cœlo descendens &c. quo indicatur, quod rigores temperati sint per benignitates. Nam עיר vigil habet numerum מצפץ id est 280. quæ sunt quinque

quinque severitates cerebri Severitatis, è duobus cerebris Patris & matris. Sancti autem sunt benignitates, nimirum quinque Tetragrammata benignitatum quarum numerus assurgit ad 130, quæ temperant 280. Severitates : uterque autem numerus ascendit ad summam vocis קדוש ideſt 410. Unde patet, quod os factum sit è benignitatibus & severitatibus Patris & matris, quæ sunt duo cerebra : & omnia dependent à duabus coronis quæ descendunt à Seniore.

Hæc igitur forma continet omnes sex formas superiores, quia in se habet Benignitates & severitates.

§. 234. Forma octava in hoc consistit, quod contegatur foramen cervicis in Microprosopo, quod extat in loco ossiculi Lus, ne cortices participare queant à foramine illo cervicis. Hic enim applicitus erat פרעה Pharao Rex Ægypti, quod nomen per metathesin est הערב cervix. Hâc igitur forma impeditur, ne hic applicari queant cortices, nec è cervice influentia emanet pro illis. Hinc necesse est, ut cervix neutiquam appareat. In Idra magna igitur de hac forma hæc traduntur : Formâ octavâ pili descendunt sub Barba, qui contegunt cervicem, (quæ aliàs transpareret in spirituali hac diaphaneitate;) ne videatur. Sic enim habet Traditio : in supernis nec cervix est, nec lassitudo, i. e. nec conatus, nec defatigatio, quia sub onere flectenda est cervix, ne vacillet : sed omnia fiunt per operationem literarum Divinorum nominum, quæ operationes istas edunt per influxum Macroprosopi. Et tempore belli, quando Microprosopo pugnandum est cum potestatibus immundis, sicut exempli gratiâ cum Pharaone ; si cervix apparet, hoc saltem fit, ut ostendatur severitas. Sic enim traditum est : Mille mundi applicantur illi, sicut scriptum est Cant 4, v. 4. Mille clypei pendent ab ea, omnia scuta potentium &c. nimirum severitates Microprosopi temperantur per descensum benignitatum Macroprosopi. Et in collo hoc est dextrum & sinistrum : & hinc prodit illuminatio humerorum dextri & sinistri. In כתף seu humero autem sunt 500. lumina : humerus enim dexter sit è quinque benignitatibus, quæ singulæ constant è decade, & è decadis decade, unde 500, juxta numerum כתף : & sic humerus sinister è totidem severitatibus constat : unde fiunt mille, atque hinc prodeunt mille mundi desiderabiles pro justis in mundo venturo. Suntque mille clypei, qui proveniunt è tribus nominibus אל descendentibus è temporibus Capitis, qui numero suo exhibent vocem מגן clypeus, inter quæ est אל שדי, quod in plenitudine sua junctò numerò integri exhibet 1000, quod nomen Microprosopus accipit à Matre superna, quæ vocatur אל שדי.

§. 235. Forma nona est, quod pili æqualiter dependeant, & ne unicus quidem longior sit alterò ; & pili simul sint juncti inseparabiliter, & dependeant usque ad initium viscerum, non verò usque ad præcordia, sicut Barba Macroprosopi. Et hæc forma sit à pulchritudine Senioris, quæ est circa præcordia ejus, & vestitur per Pulchritudinem Patris & Matris, quoniam ibi incipit Microprosopus. Et in

Idra

Idra magna forma hæc ita describitur, quod pili dependeant æquilibriò plenò usque ad illos, qui omnes in æquilibrio pulchro dependent. Per quos intelliguntur illi, qui sub labio inferiore demittuntur usque ad eos, qui à mento dependent: qui simul juncti vocantur forma una: unde insignis oritur pulchritudo viri fortis & bellicosi. Quo pertinet dictum Proverb. 20. v. 29. Decus juvenum robur eorum. Quare etiam in mari rubro apparuit ut juvenis pulcher.

§. 236. Et hæc etiam de Microprosopo sufficiant: ex quibus reliqua facilius jam poterunt intelligi.

Soli Deo Gloria!



PAR-

PARTIS SECVNDÆ
TRACTATUS QVINTUS

Qui continet

TRES TRACTATUS INITIALES LIBRI SOHAR

qui in Editione Mantuana referuntur ad Præfationem; cum textu originario, pro majori exercitio Tyronum, non punctato, sed cum versione tamen, & commentariis, partim è Libro Sohare Chammah; partim è Manuscriptis à R. Chajim Vital juxta tradita R. Jizchak Lorja Germani editis.

Discursus I.

§. 1.

רבי חזקיה פתח כתיב כשושנה בין החוחים. מאי שושנה דא כנסת ישראל בנין דאית שושנה ואית שושנה.

R. Chiskijah exorsus est: (a) scriptum est Cant. 2, 2. Sicuti rosa inter spinas. Quid est שושנה sive rosa? Est Ecclesia Israëlis, (*sive gradus infimus Regni*;) quia duplex est rosa. (b)

ANNOTATIONES.

(a) *In Sohar Cantici Canticorum dicitur: Juxta eos Eliæ decisum est. Non autem: Exorsus est Eliæ. Quod anima Eliæ naturâ suâ erat angelus, tantarum non erat virium, ut novas explicationes in Legem edere posset; quod nullis angelorum concessum est. Sed si quid jam decisum esset in Academia cœlesti, id per eundem saltem manifestabatur in terra. Sed R. Schimeon ben Jochai & Socii ejus, incipiebant, id est, ipsi primo rem sic explicabant, & detegebant arcana, quæ nondum fuerant manifestata, nec supra nec infra. Et hinc dicit solet: Hic vel ille exorsus est.*

(b) *Objectionem formato: cum dicendum fuisset: Sicut rosa; sic amica mea: quare addat, inter spinas? Et respondet; dari Rosam aliam, quæ est Mater intelligendi, sicut dicitur in Tikkun. fol. 69; cui non competant ea, quæ de hac Basilia dicuntur.*

מה שושנה דאיהי בין החוחים איהי כנסת ישראל בין סומק וחיור אף כנסת ישראל את בה דין ורחמי.

§. 2. Quomodo se habet rosa, quæ est inter spinas? (d) in illa est rubrum & album; (e) Sic etiam in congregatione Israëlis est judicium & misericordia.

ANNOTATIONES.

(d) *Id est inter Cortices; præsertim tempore exilii, sicut dicitur in Tikkun. fol. 36.*

(e) *Id est, rubrum inclinans ad album: vel quod radices foliorum albæ sint, & ratera rubra. Vel quod aqua ex illa destillata sit alba, & ipsa in sese rubra. Præmittit autem rubrum, quia in Basilia prævalet judicium, & in illa tantum occultatur misericordia: quod ita non est in gradu pulchro, qui misericordia est manifesta.*

מה שושנה את בת תליסר עלין אוף כנסת ישראל את בה תליסר מכילין דרחמי דסחרין לה מכל סטרהא.

§. 3. Quid (porrò in) Rosa? in illa sunt tredecim folia: Etiam in congregatione Israëlis sunt tredecim metra (f) misericordiæ, quæ eam circundant, ex omni latere.

ANNOTATIO.

(f) *Sunt sex extremitates numerata ab imo sursum, & à summo deorsum, quæ sunt 2. & potentia media, quæ omnes sustinet; unde tredecim. Quæ addit, quod eandem circundent ex omni latere. Hæ autem vocat metra misericordiarum, à potiori; quamvis inter ea quoque reperiatur judicium. [Nisi forte innuantur tredecim formæ Barbæ Macroprosopi, quæ per Microprosopum lumen demittunt in Uxorem.)*

אף אלהים דהכא משעתא דאדכר אפיק תליסר תיבין לסחרא לכנסת ישראל ולנטורא לה ולבתי אדכי ומנא אחרא.

§. 4. Sic etiam Nomen אלהים istius loci se habet: (g) hoc enim postquàm primò illius facta est mentio (*Gen. 1. v. 1.*) producit tredecim voces, (h) quæ circundent Congregationem Israël, & custodiant illam, (i) & postea commemoratur vice alterâ.

ANNOTATIONES.

(g) *Id est Mater intelligendi: quoniam omnia triginta duo nomina אלהים quorum mentio fit in Opere Creationis, pertinent ad Intelligentiam. Hinc addit, hujus loci.*

(h) *quæ sunt &c.* את השמים *usque ad vocem* ורוח *quæ sunt 13. voces, quæ subindicant 13. metra suprædicta. Sensus ergo est hic: Sicut in Basilia, quæ est mundus fœminus, sunt tredecim metra, quæ eandem circundant ex omni parte: sic Mater intelligendi eadem producit pro mundo masculino.*

(i) *ab adhæsione Corticum: sic enim masculus custodit fœminam.*

אמאי אדכר ומנא אחרא לאפקא חמש עלין הקיפין דסחרין לשושנה ואינן חמש אקרון ישועות ואקרון חמש תרעין. ועל דא כתיב כוס ישועות אשא.

§. 5. Quare nominatur vice alterâ? ut producat quinque folia crassiora (k) [viridia illa,] quæ circundant Rosam; & illa quinq; vocantur salutes: & appellantur quinque portæ, (l) & de hoc mysterio scriptum est Psal. 116. Poculum salutum (m) sumam.

ANNOTATIONES.

(k) *Id est; ad productionem tredecim metrorum necessaria erat commemoratio una. Et ad productionem quinq, foliorum è dextra, quæ vocantur ישועות salutes, opus erat commemoratione secundâ. Quinq, autem folia sunt quinq, voces, &c.* מרחבת על *usq, ad* ואמר *de quibus etiam dicitur Sectione Pinchas fol. 233. Et sunt quinque numerationes; singulæ constantes è decade, quæ sunt 50. portæ: sicut dicitur in Tikkunim: Mater superna usq, ad Gloriam extenditur. Sensus igitur est hic: quod præter conceptum defectum extremitatibus, (quæ sunt, duo brachia, duo crura, corpus & fœdus; sive Benignitas, Severitas, Pulchritudo, Victoria, Gloria & Fundamentum:) alius hic occurrat conceptus, de quinq, Numerationibus, qui rosam, id est, Basilium circundent; eamq, salvent ab omnibus hostibus suis. Hinc dicit, quinq, illa vocantur salutes. Et hinc altera vice opus fuit quinq, hæc folia producere è parte dextra: quia omnis salvatio provenit à parte dextra: sicut dicitur Sectione Trumah fol. 169. Vocantur ergo salutes; quia eripiunt & liberant eam.*

(l) *Portæ autem vocantur respectu 50 portarum Matris intelligendi.*

(m) *Poculum Salvationum dicitur, quia est salvata & liberata per illas salvationes.*

דא כוס של ברכה : כוס של ברכה
אצטריך למהוי על חמש אצבען ולא
יתיר כוונא דשושנה דיתבא על
חמש עלין תקיפין דיגמא דחמש
אצבען.

§. 6. Hoc est poculum benedictionis; poculum benedictionis necessariò tenendum est quinque digitis nec pluribus (n) ad instar Rosæ, quæ residet super quinque foliis crassis, quæ sunt typus quinque digitorum.

Annotatio.

(n) *Nimirum manus dextræ: Sicut dicunt Sapientes nostri b.m. accipiunt illud ambabus manibus, & tradunt in dextram. Et hæ sunt quinque benignitates.*

ושושנה דא איהי כוס של ברכה·
מאלדים תיניא עד אלדים
תריתאה חמש תיבין.

b. 7 Et Rosa hæc est poculum benedictionis. (o) Nim ab אלהים secundo (*Gen.* 1, 2.) usque ad אלהים tertium (*v.* 3.) sunt quinque voces. [מרחפת על פני המים ויאמר.]

Annotatio.

(o) *Id est, Basilia per se vocatur calix benedictionis: quod autem à Scriptura vocatur poculum Salvationum; id propterea fit, quia eandem salvant quinque illa salutes supradictæ.*

סבאן ולהלאה אור דאתברי
ואגנז וכליל בכרית הדוא
דשלם בשושנה ואפיקבה
זרעא ודא אקרי עץ עשה פרי
אשר זרע בו והדוא זרע
קיימא באותו ברית ממש

§. 8. Exinde & postmodum (describitur) lux, (p) quæ creata est, & occultata & comprehenditur in fœdere illo (q) [Circumcisionis, quod est quasi membrum virile, numeratio scil. nona] quod ingreditur in rosam (r) [Basilicam, quasi membrum fœmininum, dum conjunguntur gradus יסוד & סלהורת] & producit in illa semen, & hoc vocatur lignum faciens fructus, cujus semen in eo, & hoc semen revera manet in signo fœderis. (s)

Annotationes.

(p) *Quia dicitur: fiat Lux. Ubi indigitatur semen, quod provenit per gradum Fundamenti. Et hæ petiolus & fundamentum Rosæ, à quo omnia sustinentur folia. Vel etiam per lucem illam creatam intelligitur gradus benignitatis: qua occultata dicitur pro justis. Et fortè huc pertinent ea, qua dicuntur sectione Trumah fol.* 127. *Cum dicat: fiat Lux, quare iterum dicit, & facta est Lux? nimirum illa lux produxit lucem aliam &c.*

(q) *Id est, illa lux occultata, qua est Benignitas, occultata est in membro fœderis.*

(r) *Sectione Pinchas; hæ dicuntur de vocula* אחר *lectionis Audi Israel: quæ fundamentum & radix rosæ, unde influxum accipit rosa. Et è petiolo hoc prodeunt & semina & granata rosæ.*

(s) *Id est: non est sicut semen humanum, quod non manet in membro, sed prodit: Non luxista, qua influit in Basiliam, etiam in fundamento manet.*

§. 9.

ומה דרזוקא דבריה
אדרע בארבעין ותרין זווגין
הוא זרעא כך אדרע שמה
גליפא מפרש בסוד אתון
כשבורא דבראשית.

§. 9. Et sicut forma fœderis seminificat post quadragintà duas junctiones semen suum: ita seminatur nomen sculptum, expositum XLII literis in opere Creationis. (t)

Annotatio.

(t) *Triginta duæ semitæ, sive Nomina* אלהים, *quæ commemorantur in opere Creationis: & decem elocationes, quæ ad Sapientiam pertinent: quondam ubicunque dicitur* ויאמר *& dixit, sensus est, quasi Pater ad Matrem* אלהים *dixerit, &c. efficiunt* 42. *[Alias etiam* 42. *literæ numerantur ab initio* בראשית *usque ad vocem* את: *unde per transpositionem literarum exurgit nomen* 42 *literarum.]*

Commentarius in Discursum hunc è Manuscripto R. Chajim Vital juxta tradita R. Jizchak Lorjensis.

§. 1. Sicut Rosa inter spinas, &c. Quid intelligitur per hanc Rosam? Congregatio Israëlis. Et sectione, &c. sectione Vajechi R. Schimeon ben Jochai inquit: Quando ipsa adhæret Regi per illa oscula, tunc vocatur Rosa: quia scriptum est; Labia ejus rosæ Cant. 5. v. 13. Unde patet, hôc locô intelligi Tetragrammaton. Cùm verò ipsa adhæret marito suo, hôc ipso lucratur ab eo, & ipsa hoc nomen. Hinc eandem vocat Congregationem Israëlis; quoniam à Rege, qui est Israël maritus ejus, hoc accipit ut sit rosa.

§. 2. Ratio autem hujus appellationis in hoc consistit, quia illa est judicium; & ille est misericordia: Cum igitur adhæret ipsi per oscula illa, ut spiritus jungatur spiritui; tunc hoc ab ipso acquirit, ut fiat etiam ipsa misericordiæ metrum: Rubra scilicet & alba sicut rosa, & ille suscipit judicium, ut etiam fiat ruber, adeoque simul ruber & candidus sicut rosa. Duo autem labia ejus sunt Victoria & Gloria. Ipse igitur applicatur Gloriæ, & ipsa applicatur Victoriæ.

§. 3. Cum igitur dicitur Rosam simpliciter dictam esse Congregationem Israëlis; tunc intelligitur Basilia, quatenus in supernis est in sinu amici sui Israëlis, qui venit us que ad cogitationem: & tunc vocatur hoc nomine. Et juxta hanc notionem Moses cum illa unitus fuit: quare etiam dicitur Num. 12. v. 8. Oread os loquor cum eo. Et huc pertinet quod dicit R. Abba Sectione Vajikra: Moscheh est Congregatio Israëlis: & hæc est Schechinah seu præsentia Divina superior, de qua mentio fit in Tikkunim: & vocatur Binah seu informatrix, illô conceptu quo dicitur os. Hinc dicitur Binah seu Informatrix, quando gradus isti sunt in sinu Matris. Hinc dicitur. Moses unitum fuisse cum Bina seu informatrice; quia unitus fuit cum Basilia, quatenus hæc sursum est in Bina seu Intelligentia, in quantum hæc vocatur os, & sub mysterio osculorum.

§. 4. Sed datur Rosa etiam alia, quatenus ipsa est inferius : & hæc dicitur existere inter spinas. Hæc autem est Schechinah sive præsentia inferior.

§. 5. Sensus ergo dicti hujus est talis : Sicut rosa inter spinas, i. e. sicut se habet præsentia inferior : sic amica mea, i. e. Schechinah sive præsentia superior, quæ vocatur amica, nimirum in Binah seu Informatrice : est inter filias.

§. 6. Hinc textus dicit : Quid intelligitur per hanc Rosam ? Congregatio Israëlis, quæ est præsentia superior. De præsentia inferiore autem dicitur, quod sit inter spinas, quia Schechinah inferior est inter cortices.

§. 7. In illa est rubrum & album. Id est, necessario in ipsa est judicium, quando est inferius apud cortices unà cùm misericordia : sic etiam Congregatio Israëlis, i. e. Præsentia superior in se habet judicium & misericordiam. Infra enim colores locum habent : hinc loquitur de rubro & albo : sed superius colores locum non habent ; hinc loquitur de judicio & misericordia.

§. 8. Quomodo se habet rosa ? In illa sunt tredecim folia. Sic in Congregatione Israëlis sunt tredecim metra miserationum, quæ eandem ambiunt ex omni latere. Sensus est hic : quod Schechinah inferior stet super duodecim tauris, quibus impositum est mare, unde fiunt tredecim : & hæc sunt tredecim illius folia. Sic etiam in Congregatione Israëlis, quæ est Schechinah sive Præsentia superior sub symbolo oris repræsentata in se habet tredecim metra miserationum : quæ sunt tredecim conformationes Barbæ, quæ circumdant os ex omni latere : hinc textus dicit : quæ eandem ambiunt ex omni latere.

§. 9. Sic etiam nomen Elohim hujus loci, i. e. Mater superna, producit tredecim voces, quæ ambiant Ecclesiam Israëlis, eamque custodiant. Sensus est hic, quod per rosam sive Congregationem Israëlis intelligatur notio illa, quæ vocatur costa, & est punctum Jod : & dicitur sponsa Mosis. Sicut enim datur Daath sive Cognitio ab intra sub nomine Mosis ; Israël autem & gradus pulchri ab extra sub nomine Jacobi : sic Sponsa Mosis datur ab intra, & hæc est Congregatio Israëlis ; & Basilia est ab extra sub nomine Rachelis, quæ est Uxor Jacobi.

§. 10. Hinc dicitur : per Rosam unam intelligi congregationem Israëlis : quod est punctum internum. Sed datur Rosa & alia ab extra, & hæc est inter spinas, quæ est Rosa inferior. Sic amica mea : i. e. Binah seu informatrix Rosa superior, quæ vocatur amica sive socia, juxta naturam supernorum : quoniam præsentia superior refertur ad Binah seu Informatricem, ut, sicut est Mater, ita quoque sit filia repræsentata sub puncto hoc interno. Et juxta conceptum istum dicitur, quod Moses unitus fuerit cum Binah seu Informatrice, quia merebatur copulari cum notione hac Interna, quæ dicitur sponsa Mosis.

§. 11. Quomodo se habet Rosa, quæ est inter spinas ? &c. In Rosa externa videntur colores, ibidemque rubrum & album appellare convenit. Sed de notione hac interna prædicari non possunt colores ; quoniam occultata est ab oculis omnis viventis : unde eidem saltem tribuitur judicium & misericordia. Hinc textus dicit : Quomodo se habet

habet Rosa illa, quæ est inter spinas, & quæ est externa ? In illa est rubrum & album : sic etiam in Congregatione Israëlis, quæ est punctum internum, datur judicium & misericordia.

§. 12. Quomodo se habet Rosa ? In illa sunt tredecim folia. Id est, in Rosa inferiore, quæ consistit super duodecim tauros, quibus ipsa est superimposita, unde efficiuntur tredecim. Et hæc sunt tredecim ejus folia. Vocantur autem folia, quia similitudinem corticum habent ipsius respectu. Non enim sunt de mundo Emanationis, sed infra Emanationem. Sic etiam Congregatio Israëlis, i. e. rosa interior, habet tredecim metra miserationum, quæ sunt sex extremitates ipsius masculi, & sex extremitates ipsius fœminæ, quæ unà cum generalitate sua efficiunt tredecim metra : quorum ipsa est anima ab intra, illa autem eandem circumdant. Et hoc est mysterium tredecim attributorum, quorum mentionem faciebat Moses hic infra versus locum Sponsæ suæ : quoniam à Seniore Sanctissimo eandem deducebat usque ad locum Sponsæ suæ : quæ est punctum hoc internum.

§. 13. Et hoc punctum æquale penitus est gradui pulchro, ita ut nec iste major istô : hinc eam vocat sororem suam, sociam suam, columbam suam, perfectam suam, gemellam suam. Verum secunda à tergo ejus prodit inter duo brachia ipsius : hæc interna autem ab ipso includitur, & ipse ab illa repletur : ita ut ipsa tredecim metra miserationum habeat in sex extremis ejus masculinis : Unde etiam dicitur, quod eam circumdent ex omni latere, i. e. in omnibus membris & extremitatibus ejus. Quare etiam ipsa vocatur collectio Israël, quia intra ipsum ingreditur, & in se colligit sive comprehendit, quicquid est mariti sui Israëlis.

§. 14. Nihilominus tamen, quamvis ipsa sit æqualis gradui pulchro, non tamen est æqualis gradui cognitionis, quippe qui eâdem multò est altior, imò quanta est distantia cœli à terra, quæ est Rosa inferior. Sed gradus pulcher, qui ab extra consistit, & rosa hæc interna, omninò æquales sunt. Et de istis dictum est : eam dixisse, fieri non posse, ut duo Reges, qui sunt gradus pulcher & punctum hoc internum, utantur coronâ unicâ : quoniam planè sunt æquales. Unde dictum sit ipsi : Abito, & diminuere, ut vestiri queas corpore : quæ est Basilia exterior, quæ prodit à tergo masculi inter duo ipsius brachia.

§. 15. Sic etiam nomen Elohim hujus loci, &c. Sensus est hic, quod innuere velit tredecim illa metra in ipsam derivari è sex extremitatibus supernis, quæ sunt in Sapientia, & singula continent suam sociam : unde fiunt tredecim.

§. 16. Vel etiam per nomen Elohim hujus loci denotatur Mater superna, quæ producere dicitur tredecim voces è sex extremitatibus de genere judicii, ad custodiendum punctum hoc internum, ne aliquid ab ipso hauriant Cortices. Hinc textus dicit : Ad circumdandum Congregationem Israëlis, & ad custodiendum illam.

§. 17. Huc pertinent, quæ circa hanc materiam dicuntur in libro Numerorum his verbis. Quodnam testimonium perhibet vox שושן sive Rosa ? Rosa testatur de opere Creationis, & de Congregatione Israëlis ; & de Israële, & de unione. Quia Rosa habet tredecim folia, quæ omnia consistunt in petiolo unico. Eadem quo-

que

que habet quinque folia extrinsecus crassiora, quæ eandem circumdant, &c. Et omnia mysteria Sapientiæ designant. Tredecim folia sunt tredecim metra miserationum, quæ congregatio Israëlis adipiscitur è supernis: & omnia continentur in fundamento unico, quod est fœdus: fœderis enim antitypus est fundamentum omnium. Quinque autem folia crassa, quæ eandem circumdant sunt quingenti anni arboris Vitæ, per quos hæc porrigitur. De opere Creationis autem ita testatur, nam totum opus Creationis, & omnes voces ejus requirunt contemplationem, & consistunt in numero. Nomen Elohim in opere Creationis, quale est supra, tale est infra. Supra est in mysterio mundi venturi, & infra est sub mysterio congregationis Jisraëlis, & Rosæ: quæ de his testatur, omnia ista symbola habet. Cùm enim dicitur: In principio creavit Elohim: hoc nomen est Rosæ, tredecim ejus folia sunt tredecim voces usque ad Elohim secundum, mirum &c. ארת השמים cum sequentibus, quæ sunt duodecim folia Rosæ. Sed quinque folia crassa, quæ eandem circumdant, sunt voces istæ מרחפת על פני המים ויאמר hæc sunt quinque folia alia. Deinde sequuntur hæc: יהי אור ויהי אור hic est petiolus & radix arboris, quâ omnia sustinentur. Testimonium de unione autem in hoc consistit, quod quinque folia crassa constituant radicem ad uniendum, in qua continentur tredecim folia reliqua. Folia autem crassa sunt hæc: שמע ישראל יהוה אלהינו אחד hæc sunt quinque folia Rosæ. Vox אחד est petiolus & radix, in qua omnia continentur. Mysterium autem numeri tredecim latet in numero sigilli Regis. Veni, vide, in Rosa etiam sunt Jisraelitæ. Nam Rosa inter spinas est populus Jisrael inter populos mundanos, qui majores sunt illô.

§. 18. Deinde nomen hoc commemoratur alterâ vice. Sensus est hic: quod Mater superna producat adhuc quinq; severitates, quæ sunt mysterium literarum duplicium: מבצפך Ad custodiendam Rosam inferiorem, quæ prodit à tergo ejus. Et hæc sunt quinque folia crassa, quæ proveniunt à 320 supernis, quæ singula resolvuntur in decadem, juxta mysterium nominum Elohim. Et propterea vocantur Rigores & Judicia.

§. 19. Et sunt quinque portæ singulæ constantes è decade, & vocantur Salvationes, quia salvant & eripiunt puellam, ne eidem prævaleat alienus, & ne ab alienigenis abripiatur.

§. 20. Omnes quinque hæ severitates autem continentur in puncto medio Rosæ hujus externæ, quod vocatur punctum Zion, cujus mentio fit in Idra parva. Et quinque Severitates illæ sunt mysterium Rosæ illius, quæ constituitur à tergo ejus inter duo brachia. Et hæ sunt quinque numerationes istæ: Pulchritudo, Victoria, Gloria, Fundamentum & Regnum: quæ, quando ipsa eas dem accipit à tergo ejus, vocantur Severitates, ob naturam tergi, ubi locum habet judicium, ut notum est. Et omnes continentur in puncto Zion, quod est Fundamentum. Hinc dicitur: Rosa hæc est calix benedictionis. Et quinque Severitates illæ sunt literæ מבצפך: quæ propterea sunt duplices, quia reperiuntur in mare & fœmina sibi invicem oppositis.

§. 21. Et poculum benedictionis elevandum est quinque Severitatibus istis, ut ipsa

ipsa elevetur ad radicem suam, nempe ad locum vini lætificantis, ut ipsa mitescat. Et isti sunt quinque digiti manûs dextræ: quia mitiganda sunt judicia hæc per manum dexteram, ut vinum illud sit vinum lætificans, & non vinum inebrians, de genere rigoris valentissimi. Vox כוס seu poculum autem per æquipollentiam numerorum refert nomen אלהים, à quo severitates istæ derivantur. Et propterea ipsum vocatur poculum salvationum, & poculum benedictionis, quatenus tenetur in manu dextera, ut per illam mitescat.

§. 22. Deinde sequitur Lux &c. Nam postquam quinq; Severitates illæ demittuntur, omnes continentur in mysterio literæ ה, quod est punctum Zion, unde producitur in ea semen sanctũ, quod derivatur à cerebro, id est, Sapientia, ad producendum in mundum animas novas. Et Lux ista, cujus hîc fit mentio, analoga est quinq; benignitatibus. Hæc Lux autem dicitur occultari, quia benignitas superna proveniens à Seniore sanctissimo manifesta est citra omnem vestem, & per sex extremitates tantum transit tanquam per sex fenestras, ita ut diminuatur ratione distantiæ, & non quasi transiisset per sex vela. Unde etiam dicitur: quod Lux hæc radios emiserit, ab uno mundi extremo in alterum: quia per omnes sex partes corporis transit citra obvolutionem. Ne autem impii benignitate hâc apertâ, quâ ipsi indigni sunt, abutantur, & animam quandam sanctissimam immittant intra cortices; hinc eadem absconditur intra justum, qui est fundamentum Regni: & hi sunt justi.

§. 23. Hæc autem Benignitas superna in fœdere sancto adhuc est aperta, nec vestitur, donec egrediatur per orificium membri superni in orificium inferius non impurum. Quam primum autem egreditur, vestitur quinque Severitatibus, adeoque prodit judicium rigorosissimum.

§. 24. Et sicut forma fœderis seminificat &c. Per formam fœderis intelligitur punctum Zion, quod constat è quinque Severitatibus: sicut fœdus constat è quinque Benignitatibus. Hoc autem punctum Zion semen habet, id est, aquas fœmininas, quæ fiunt per quadraginta duas copulas. Et hoc est nomen quadraginta duarum literarum, quod provenit è genere Severitatum, & sunt aquæ fœmininæ, quia nulla gutta descendit, nisi abyssus abyssum vocet. Ratio autem nominis hujus peti potest à septem duplicibus vel septem infusoriis, Zach. 4. v. 2. vel septem supernis, vel septem puellis ejus, si scilicet singulis tribuantur sex extrema; hinc fiunt 42 junctura, nempe quadraginta duæ masculinæ, & quadraginta duæ fœmininæ. Et aquæ inferiores seminantur ab ipsa per quadraginta duas has junctiuras.

§. 25. Nomen autem expositum duarum & quadraginta literarum in opere Creationis sumitur ab initio textûs Biblici, usque ad literam ב vocis ברא, quæ sunt 42 literæ. Cum quibus conveniunt 32 semitæ Sapientiæ, & decem effata. Triginta duæ autem semitæ promanant à Sapientia ceu cerebro, quod sese exerit per semitas has trans medullã spinalem, transitque in omnes decem Numerationes masculi, quarum vires deducit usque ad signum fœderis sancti, quod est extremum corporis: ubi semen hoc deinde intrat in punctum Zion, & in illo fermentat per nomen quadraginta duarum literarum,

cujus mentio fit in opere Creationis: ibique formatur animam sanctam mediante hôc nomine quadraginta binario. Hinc etiam anima singulis noctibus ascensura, ascendere nequit, nisi per nomen hoc quadraginta binarium.

§. 26. Aliter hæc etiam exponi possunt de Chanoch. Nam in nomine חֲנוֹךְ latet numerus 84, juxta numerum 42 illorum parium, quæ efficiunt 84. Hinc ista mensura ultima etiam vocatur spelunca duplex, quia duplicatur in juncturis, ut supra sint 42 & infra 42, quæ sunt 84. Juxta hunc igitur sensum per formam fœderis intelligi posset Chanoch, qui refertur ad Fundamentum, & nomine suo repræsentat 42. illa paria. Si autem mulier non primò elevet aquas fœmininas, mas supernus non fementat. Et hoc pertinet illud Psal. 55. v. 19. פָּדָה בשָׁלוֹם נַפְשִׁי Redimet in pace animam meam. Ubi notetur פָּדָה quæ sunt 84. fœmininæ. Per vocem autem בְּשָׁלוֹם in pace intelliguntur masculini.

Discursus II.

בראשית ר׳ שמעון פתח הנצנים נראו בארץ. הנצנים הא עיבורא דכר אשית נראו בארץ אימתי ביום השלישי דכתיב ותוצא הארץ דשן ותראו בארץ.

עת חמיר הגיע הא יום רביעי דיומם ביה זמיר עירים. מאירת חסר

וקול התור הא ביום חמישי דכתיב ישרצו המים וגו׳ למעבד תולדות.

נעשה הא יום ששי דכתיב נעשה אדם בדמותי. עתיד למקום עשיתיה לשמיעה. כתיב הכא נעשה אדם. וכתיב התם נעשה ונשמע.

בארצנו הא יום שבת דאחזו דוגמת ארץ החיים שהוא עולם הבא. עולם הנשמות עולם הנחמות.

הנצנים אלין אבהן דעאלו במחשבותיה ועאלו בעלמא ואתגלו תמן ונחמן נפקו בגויה

§. 1. בראשית R. Schimeon cepit: Cant. 2. v. 12. *Flores visi sunt in terra.* Flores, hoc est opus creationis. *Visi sunt in terra.* Quando? die tertio; ubi scriptum est: *Et producat terra*; tunc in terra visi sunt.

§. 2. *Tempus excisionis appropinquavit*, hic est dies quartus, in quo fit excisio tyrannorum (*Esa.* 25. v. 5.) Unde hoc scio? Vox מארות defectivè scribitur.

§. 3. *Vox turturis*; hoc pertinet ad diem quintum, ubi scriptum: *Reptare faciant aquæ*, &c. ad faciendas generationes.

§. 4. *Audita est*; hic est dies sextus, ubi scriptum est; *faciamus hominem*: quia factio aliquando præcedere debebat auditionem. Scriptum enim est hîc: *Faciamus hominem*; & scriptum est alibi (Exod. 24, 7.) *Quæcunque Dominus jusserit, faciemus & audiemus.*

§. 5. *In terra nostra.* Hic est dies Sabbathi. Ille enim est figura terræ viventium, quod est seculum futurum, mundus animarum, mundus consolationis.

§. 6. *Flores.* Isti sunt Patriarchæ, qui ingressi sunt in cogitationem & ingressi sunt in mundum venturum, & occultati sunt in illos &

ואטמירו גו נביאי קשוט׳

אתליד יוסף ואטמירו ביה עאל יוסף בארעא קדישא ונציב לון תמן וכדין נראו בארץ ואתגלו תמן׳

ואימתי ארת חזון בשעתא דאתגלי קשת בעלמא דהא בשעתא דקשת אתחזי כדין אתגליין אינון ובהדיא שעתא ארת הומיר הגיע ערן לקצץ חיבין מעלמא׳

אמאי אשתכוחו בגין דנצני נראו בארץ ואלמלא דנראו לא אשתארן בעלמא ועלמא לא אתקיים׳

ומאן מקיי עלמ׳ וגרים לאבהן דאתגליין קל יונקי דלשאן באוריתא ובגין אינון רביון דעלמא עלמא אשת זיו: לקבליהון תהד תורי זהב נעשה לך אלין אינון יונקי רבין עלמין דכתיב ועשית שנים כרובי זהב׳

Commentarius in Discursum hunc è Manuscripto R. Chajim Vital juxta tradita R. Jizchak Lorjensis.

§. 1. Flores sunt opus Creationis. Hic intelliguntur sex extrema sive membra superna, quæ proveniunt à Binah seu Informatrice, quæ vocatur בראשית.

§. 2. Visi sunt in terra. Quando? die tertio. Quia scriptum est: Prodeat terra ורין נראה בארץ Et judicium apparet in terra. Ubi sensus est, quod non manifestatæ sint sex extremitates terræ supernæ, sive quod manifestata sit Uxor Microprosopi usque ad diem tertium, per quem intelligitur gradus pulchri.

§. 3. Tempus excisionis appropinquabit. Hic est dies quartus, in quo erant violenti, ut luminaria defectiva. Sensus est: quod excisi sint Cortices & judicia, quæ sunt violenta. Cùm enim Lux superna procul distaret à metro ultimo: judicia prævalebant; & ipsa valde minuebatur præ Miseratore. Et propterea vox מארת defectivè scripta est.

Et hoc fiebat die quarto; ad quem pertinet Domus Regni, quia post gradum pulchrum sequitur Regnum. Et quia diminuebatur, & deorsum descendebat à fundamento, hinc Lux superna ab illa procul amovebatur, & judicia prævalebant, quæ eandem circundant: & in ipsa nascebantur cortices, ita ut illis vestiretur, ne ab ipsa suctionem haberent judicia. Quare dicitur, creatos esse Cortices supra medullam.

§. 4. Sciendum autem, quod, sicut sponsa Mosis, quæ est punctum internum est nomen totius Pulchritudinis; ita Basilia pertinet tantùm ad Pulchritudinem Pulchritudinis. De ambabus autem intelligendum est illud: Non posse duos Reges uti Coronâ unicâ. Cùm ergò diminueretur interna, descendebat in locum externæ: & externa descendebat infra fundamentum, ita ut tres mensuræ inter ipsam & ipsum intercederent.

§. 5. Et vox turturis &c. Hic est dies quintus, de quo scriptum est: Reptare faciant aquæ &c. ad faciendum generationes. Hinc ipsa vocatur turtur sive ordo. Et huc pertinet etiam locus Cant. 1. v. 11. de ordine auri. Dicitur autem vox turturis, & non turtures, quia aquæ supernæ, quamvis congregentur in Victoriam & Gloriam f. fundamentum suum tamen habent in Victoria, quæ est de genere Pulchritudinis: & species aquarum inferiorum pertinent ad gloriam, quæ in sinistra est de genere Regni. Dies ergò quintus refertur ad Victoriam & Gloriam in Victoria contentam: quia duo hæc invicem unita sunt, nec separantur, quia sunt duæ medietates corporis, sicut notum est.

§. 6. Audita est: hic est dies sextus, de quo scriptum est: Faciamus hominem: quia aliquando factio præcessura erat auditionem. Ubi notandum, quòd Factio pertineat ad Binah seu Informationem, juxta illud: Factio ad Informatricem, & auditio ad Regnum pertinet. Et Angelorum radix est Binah sive Informatrix, quoniam hinc vitam suam habent, & è copula Sapientiæ & Intelligentiæ facti sunt: quare etiam, cùm sanctificeant Dominum, hoc tantùm dicunt: Benedictus Dominus, de loco suo. Ubi indigitatur copula Sapientiæ & Intelligentiæ. Hinc Factio præcedit auditionem, quoniam à Factione superna prodierunt. Et cum Israelitæ exirent ex Ægypto, tempus ipsorum erant dies quinquaginta juxta mysterium Jubilæi: atque tunc adhærebant gradui Intelligentiæ Informatricis, ubi est locus vitæ supernæ: tunc etiam præcedebat factio auditionem. Hinc tunc exiisse dicitur vox de cœlo, quæ diceret: Quis manifestavit mysterium hoc hominibus. Id est, gradus ille qui vocatur מי sive quis. Et tota generatio deserti pertinebat ad latus Jubilæi. Dies ergo sextus est fœdus sanctum: nam postquam semen insertum est duobus testibus, juxta illud: Et vox turturis: deinde prodit per fœdus sanctum in punctum Zion. Et quamvis auditio, quæ aliàs ad Regnum pertinet, vocetur dies sextus, juxta vocem משמע audita est, tamen fundamentum continetur in Regno, & dies hic denominationem habet ab ipsa, quo denotetur, eam prædominari. Unde sectione Chukkath dicitur, quòd ipsa ascendat utque ad infinitum. Quare etiam in figura literæ ה forma ה altior est quàm litera ו intra hanc latens, vel altior quàm litera ו interna. Quare cum fundamentum vocatur phrasi auditionis, innuitur,

tur, quod prædominetur Basilia, dum ascendit ad factionem in locum suum originarium, imò usque in infinitum: ita ut Angeli ignorent locum ejus, utpote qui multis modis ipsis est sublimior. Hinc tantum commemorant copulam Sapientiæ & Intelligentiæ, unde prodierunt: & factionem præmittunt auditioni, quia auditio occultata est ab ipsis: unde dicunt: Benedicta sit Gloria Domini, i. e. Præsentia superior, quæ est Binah seu Informatrix. Et superaddunt de loco suo, i. e. Præsentia inferior, sive Basilia.

§. 7. Terra nostra est dies Sabbathi. Die sexta enim ascendit Basilia in ulteriora sublimitatis, ut inde deducat lucem supernam è tota Emanatione, & à principio graduum, usque ad finem illorum. Hinc in descriptione diei sextæ, dicitur ששי superadditâ literâ ה, ut ostendatur, diem hunc converti versus omnes gradus per literam ה, quasi intelligendum sit de omnibus, cùm dicitur: Faciamus hominem.

§. 8. Flores sunt Patres, &c. Sciendum est, quod Microprosopus, dum lateret in sinu Matris suæ, haberet sex membra sua sub mysterio literæ ו inclusæ in litera ה: cùm autem prodiit ex illa, proprium ipsi formatum est Caput ad instar literæ ו, quæ caput habet supra se. Et hoc est mysticum illud, quod Patres, i. e. Benignitas, Severitas & Pulchritudo, ascenderint & ingressi sint in cogitationem, & in mundum venturum; i. e. in Sapientiam & Intelligentiam, ibique hæreditatem acceperint de loco suo, ipsique fecerint caput è tribus cerebris, quæ sunt tria Cerebra Microprosopica. Et hoc est mysticum illud, quod Textus dicit: Patres ascendisse in cogitationem & in mundum venturum, ibique occultatos esse. Quò indicatur, quod ibidem è tribus his gradibus, qui sunt Benignitas, Severitas & Pulchritudo, facti sint in eo tres gradus sublimiores, Sapientia, Intelligentia & Cognitio. Superatio autem & Gloria ejus conversæ sunt in Benignitatem & Severitatem. Unde in textu dicitur: Et inde prodierunt occultatæ, & reconditæ sunt in Prophetis veritatis, i. e. in Victoria & Gloria, quæ conversæ sunt in Benignitatem & Severitatem. Deinde enatum est in eo fœdus sanctum, sed supernum & occultum, nec manifestatum, quia tantùm sermo est de Daath seu Cognitione superna. De hoc etiam dicitur ad locum: Et lucem appellabat diem, his verbis: Intrat dextra in columnam perfectam mediam, & comprehenditur in mysterio sinistræ ascenditque sursum usque ad punctum primum, ibique influxum accipit, & adhæret: & circumcisio est in tribus punctis Cholem, Schurek, Chirek, quæ sunt semen sanctum. Quoniam non est semen, quod seminetur nisi in mysterio hoc, ut uniantur omnia in columna media, in qua producitur fundamentum in mundum. Atque hinc istud vocatur omne, quia applicatur omnibus in lumine. Hæc ibi. Ibidem etiam habentur sequentia: Fundamentum applicatur ad columnam mediam ex illo lumine, quod inipso fuerat. Quando autem columna illa media perfecta est, ut perfecta faciat omnia latera, tunc in eam infunditur lumen è supernis ex omni latere, quia species omnium in ea. Et ex illo additamento gaudii prodit fundamentum, fundamentum mundi. Et hinc prodeunt omnes exercitus inferiores sub mysterio, Tetragrammaton Zebaoth; i. e. Dominus exercituum. Hæc ibi. Quia igitur copula inferior, i. e. Microprosopi cum uxore sua dependet à benignitate, quam etiam Benignitatem vocat Sectione Achare mot: hinc istò in loco exponit, quomodo illa fiat per Be-

nignitatem. Dicitque: quod incipiat supra dextram, i. e. benignitatem in columna tertia media, quæ est pulchritudo per Severitatem: quæ omnes tres ascendant usque ad Sapientiam sub mysterio Cerebri. Quod autem dicit eas ascendere; sensum habet, quod uniantur & in Cerebro contineantur, hinc utitur voce Ascendit, numerô singulari. Nimirum cùm Benignitas ascendit, cæteræ continentur in ea. Ascendunt autem usque ad Cerebrum, ut inde educant guttam seminalem, i. e. fluxum guttæ, constantem è tribus guttis, sub mysterio Cholem, Schurek & Chirek; quæ sunt tres illæ guttæ, quæ effluunt è cerebro, & proveniunt à tribus Cerebris, Sapientiâ, Intelligentia, & Cognitione, sicut traditur in Idra magna. Eædemque etiam subindicantur in litera *Jod*, in qua datur apex supetior, apex inferior, & pars intermedia. Et istæ vocantur radix, & stylus, & semita in Sectione Schlach lecha. Suntque Cholem punctum superum, Schurek punctum medium, & Chirek punctum infimum. Eædem quoque continentur in litera ℵ in qua datur punctum superum & punctum inferum, & pars media. Et hoc est semen: quoniam guttæ istæ sunt extractum Cerebrorum superiorum, & finis ipsarum consistit in Basilia Cerebrorum, i. e. in Basilia Sapientiæ, in Basilia Intelligentiæ, & in Basilia Cognitionis: hinc dicit, quod circumcisio sit in tribus punctis: nam Basilia vocatur circumcisio. Et juxta tres has notiones ipsa interdum est Corona mariti sui sub mysterio Cholem; interdum unitur cum ipso sub mysterio Schurek; interdum est Thronus ejus locô inferiore sub mysterio Chirek; Sicut traditur in Tikkunim. Hinc hoc in textu dicitur: Circumcisio est in tribus punctis. Et Basilia infima accipit illa tria, & abillis eadem acquirit tres istos conceptus modò dictos: quia tres isti spiritus omnes sunt in Sapientia, & puncta descendunt à Sapientia: quare etiam vocantur tria puncta. Et omne semen sanctum provenit à Sapientia, quæ sancta dici solet, ut notum est. Et à tribus istis punctis proveniunt à Sapientia Mens, Spiritus & Psyche, quæ sine illis descendere nequeunt: unde etiam dicitur, quod nullum semen sementetur præterquam ab hoc arcano. Et tria puncta hæc uniuntur in Pulchritudine sub mysterio medullæ spinalis, per quam gutta seminalis descendit è cerebro superno. Hoc autem non fit, nisi cùm gradus pulcher est penes consortem suam: tunc enim ascendit Benignitas in se continens Pulchritudinem & Severitatem, ut ista abinde deducat. Hinc primâ vice dicit de columna perfectâ & mediâ: i. e. non aliô tempore, quam cùm gradus hic est perfectus sociatus compari suæ. Cùm autem tria hæc puncta perveniunt in medullam spinalem, tunc excitatur fœdus sanctum, juxta mysticum illud: Et fœdus meum erigam. Et manifestatur membrum sanctum, & præparatur ad Cognitionem, quæ descendit per medullam spinalem. Et hinc dicitur: Et producit fundamentum in mundum. Et hinc etiam intelligi potest illud, quod alibi dicitur. Non factum esse membrum sanctum, donec generatus sit Abraham. Quoniam per Benignitatem manifestatur membrum sanctum, & hoc est mysterium syllabæ אב quæ denotat membrum è voce אברהם. Et per membrum hoc manifestatur Benignitas superna, quæ deducitur per Benignitatem inferiorem, quatenus hæc sursum ascendit, ut illam deorsum deducat. Et quando tres illæ guttæ descendunt in Fundamentum, non diminuitur

nuitur Lux earum à fulgore suo, nec etiam involvitur ulli involucro; sed omnes prout sunt adveniunt sub mysterio perfectionis, Luce nimirum fulgentissima. Et propterea Fundamentum vocatur omne: quia omnia in illud veniunt in perfectione citra omnem defectum eorum quæ antea fuerant. Et propterea dicitur, quod applicetur ad omnia in lumine. Quia luci illi nihil deest, propter distantiam illius Lucis. Non enim manifestatur membrum sanctum, donec gradus pulcher sit perfectus cum consorte sua, & in eodem existant Benignitas & Severitas tàm suæ sive masculinæ, quàm etiam Benignitas & Severitas Uxoris. Quin etiam in ipso existere debent Superatio & Gloria ipsius proprix & Victoria & Gloria Uxoris, ita ut ipse medium locum obtineat inter omnes. Hinc dicitur: quando columna media perfecta est, & perfecta facit omne latus, tunc elevatur, & vocatur Jisraël, & Jeschurun, quia participat ambas lineas, & accipit additamentum lucis ipsorum: atq; tunc idoneus est accipere lucem supernam ab excelsis à copula interna superiore, quæ vocatur gaudium omnium, & accipit duas Coronas è Thesauro Patris & Matris à Cerebro Senioris, in quo continentur: fiuntque in illo quatuor Cerebra sub mysterio phylacteriorum Capitis, & tunc vocatur Daath sive Cognitio. Et in hoc consistit illud augmentum fuminis, quod superadditur Columnæ mediæ. Et ex additamento hoc, quod provenit à vita superna, membrum mortuum fit vivum juxta nomen mysticum, quô vocatur vivens in secula. Et hinc intelligi potest, quare dicatur fundamentum applicari ad columnam mediam ex illo augmento, quod acceperat.

§. 9. Et hinc intelligitur id, quod dicitur: Jisraelem ascendere in Cogitationem, & elevari ut sit in Patre suo & Matre sua: Ubi Sapientia, Intelligentia & Cognitio ejus æquales sunt Patri & Matri, & Influentiæ, quæ illos in se comprehendit: & Benignitas, Severitas & Pulchritudo ejus existunt in loco Sapientiæ, Intelligentiæ & Cognitionis ejus priorum: & Superatio atque Gloria ejus existunt in loco Benignitatis, Severitatis & Pulchritudinis. Unde patet, quod Fundamentum fiat gradus pulcher. Et hoc est additamentum Sabbathicum. Et tunc copula est perfectior, quàm Angelorum, ubi copulantur Sapientia & Intelligentia: item perfectior quàm Spirituum & animarum, quæ sunt per mysterium copulæ Pulchritudinis & Regni ordinariè. Et vocatur Tetragrammaton Zebaoth, nomine scilicet, quô etiam appellatur gradus pulcher, quia fundamentum occupat locum istius. Hinc corpus & fœdus habentur pro uno. Et huc pertinet illud: Sanctus, Sanctus, Sanctus, quarum acclamationum prima pertinet ad elevationem Sapientiæ & Intelligentiæ in locum Patris & Matris: secunda ad elevationem Benignitatis, Severitatis & Pulchritudinis in locum Sapientiæ, Intelligentiæ & Cognitionis priorum: & tertia ad elevationem Superationis, Gloriæ & fundamenti in locum Benignitatis, Severitatis & Pulchritudinis. Et tunc vocatur Tetragrammaton Exercituum: sicut etiam dicitur in Textu sacro: Sanctus Dominus Exercituum. Quia hinc prodeunt copiæ variæ & Spiritus & animæ ad implendam terram hanc supernam & laudatissimam, Basiliam scilicet. In quæ etiam Sapientia & Intelligentia, quæ antea æquales erant Benignitati, Severitati & Pulchritudini masculi, jam existunt in loco Sapientiæ & Intelligentiæ priorum masculi: unde nos dicimus: Benedicta sit Gloria Domini. Et

ni. Et Benignitas, Severitas & Pulchritudo fœminæ, quæ antea erant in loco Benignitatis, Severitatis & Pulchritudinis masculi ascenderunt in locum Superationis, Gloriæ & Fundamenti masculi, unde nos dicimus: Regnabit Dominus in seculum. Quia nimirum quod antea fuerat Benignitas, Severitas & Pulchritudo, jam est Superatio, Gloria & Fundamentum: ita ut hoc in loco sint omnes sex extremitates, quæ ascenderunt. Quamvis enim superna ad superiora ascendant, natura tamen illorum ibidem relinquitur. Unde patet, quod Basilia adhæreat sex extremitatibus, quæ ascenderunt. Et hic est sensus verborum illorum; Regnabit Dominus in seculum.

§. 10. Hæ igitur sic erant in principio emanationis eorum: ita ut sicut Microprosopus tantum similis erat literæ ו quæ est intra literam ה; ita Uxor Microprosopi tantùm similis erat literæ ה quæ est nota quaternarii, quoniam gradum pulchrum & fundamentum non habebat, utpote quæ sunt arcana masculina. Cùm autem autor Emanationis altissimus secum statueret Microprosopum producere per tres gradus alios, quos faciebat è Benignitate, Severitate & Pulchritudine ejus, ut supra descripsi: tunc Fundamentum producebat in sex extremitates. Et hic est sensus verborum illorum: Nascebatur Joseph, & accipiebat sex simul. Nam superatio, Gloria & Fundamentum masculi naturam istam suam non amplius habebant, quia ascenderant in gradum Severitatis, Benignitatis & Pulchritudinis, ita ut masculus Superationem, Gloriam & Fundamentum planè non haberet, quoniam omnes sex extremitates ascenderant. Donec Emanationis autor celsissimus sibi proponeret fundamento superaddere potentiam trium metrorum aliorum: idq; quatenus delitesceret in utero Matris supernæ per mysterium imprægnationis: quoniam ipsa est Mater filiorum. Cùm ergò nasceretur Fundamentum, prodiretque ex utero Matris, quæ est Mater superna, hæc se demittebat usque ad Gloriam more solitò, ut influxum daret, quo fundamentum prolongaretur per tria metra. Unde etiam masculus accipiebat tria metra superna, & Benignitas, Severitas & Pulchritudo influxum accipiebant pro necessitate fœminæ, quo & ipsa acciperet caput: hoc enim loco erat receptaculum ejus, quoniam prodit à tergo ejus inter duo brachia, è regione gradus pulchri, qui erat fundamentum, Patres igitur influxum accipiebant, ut continere possent cerebra uxoris. Et hic est sensus verborum illorum: Nascebatur Joseph, & occultabantur in eo. Et cum Joseph ingrederetur in terram sanctam, constituebat eos & faciebat benignitatem & Severitatem in Sapientiam & Intelligentiam: hæc enim Cerebra Uxoris ibidem fiebant per Patres, qui illuc plantabantur per statum adolescentiæ, & fiebant Sapientia & Intelligentia ejus. Et tunc manifestabantur in terra, quoniam erant Cerebra ejus.

§. 11. Sed adhuc alia datur istorum explicatio, quæ desumta est è deductione trium guttarum cerebri superni pro necessitate copulæ; juxta id quod supra jam explicuimus ad verba illa: Intrat dextra in columnam perfectam mediam, & comprehenditur in mysterio similtræ. Isti sunt tres Patres, qui ascendunt in cogitationem, quæ est punctum primum, & in mundum venturum, i. e. in Intelligentiam: ibidemque reconduntur, ut obtineant guttas, easq; deorsum deducant in abdito medullæ spinalis. Ubi deinde reconduntur intra Pro-

Prophetas veritatis, quatenus isti denotant duos testiculos masculinos, qui suscipiunt semen, illudque excoquunt. Unde deinde indurescit fœtus, & manifestatur. Et hoc est illud: Natus est Joseph. Et intrat in punctum Zion, quod est in Basilia, & introducit guttas illas, quæ sunt Patres superni, qui radix sunt inferiorum.

§. 12. Porrò etiam in usum Basiliæ Patres supernos ascendere oportet in locum Sapientiæ & Intelligentiæ, ut hæc abinde accipiat ad ditamentum luminis. Quoniam & in illa magna est à Luce superna distantia, si nimirum descendatur ad Basilian ipsam, ubi gradus fuerunt in statu suo primo. Pro imo enim illo loco commodius simile dari non potest quàm à luce valdè exigua, quæ illabitur per fenestram aliquam: ista enim cum ad ulteriora pergit, insigniter diminuitur à splendore suo radicali. Si autem Lux ab initio magna est, etiamsi deinde in magnam distantiam eradiet, satis tamen adhuc luminis retinet pro usu necessario. Basilia ergò prodiit à tergo Microprosopi circa locum Pulchritudinis ejus, & ibi facta sunt Cerebra ejus in loco Superationis & Gloriæ masculinæ. Benignitas igitur, Severitas & Pulchritudo Uxoris, qui sunt Patres ejus, nihil habebant, cui applicarentur, quia jam omnia sex membra masculi sublimiorem locum acceperant. Autor ergò Emanationis volebat elevare Patres hos in Sapientiam & Intelligentiam, ut majus incrementum caperent. Atque sic constituebantur sub notione Sapientiæ & Intelligentiæ è regione Superationis & Gloriæ masculi, ita ut Patres isti haberent lumen Cerebrorum. Sed Superatio & Victoria ejus primi status sui nullum omninò habebant lumen, sicut nec Patres in statu priore lumen habebant, quia nihil erat cui applicarentur: cùm nunc applicari possent ad Superationem & Gloriam masculi in statu novo constitutas. Imò deinde ulteriùs ascendebant hi gradus Sapientiæ & Intelligentiæ, qui fuerant Patres Uxoris, ut constituerentur è regione Patrum masculinorum. Hinc intelligi potest illud, quod dicitur in textu: Joseph intrabat in terram sanctam, illosque stabiliebat, ut plantarentur, & augerentur, quoniam Patres fiebant gradus illi, qui antea in ea fuerant, Superatio & Gloria. Atque tunc flores apparebant in terra. Et hæ sunt illæ animæ, quæ primò tàm tenues erant, ut cornua locustarum, deinde autem majus acceperunt incrementum. Statuit autem Sapientia Autoris Emanationum, ut Cerebra hæc in ea perficerentur successu temporis & non ab initio, quia quicquid factum est ab initio in Emanatione, nullum patitur defectum. Sed Cerebra ista, quæ aliquando manifesta fiunt & in quibus lumen accipiunt Patres ascensu suo, non semper persistunt in lumine suo, sed illud tantùm accipiunt per opera inferiorum & per Josephum: aliàs defectum patiuntur. Cùm autem lumen ipsorum deficit, judiciis replentur propter opera inferiorum. Cùm ergò sunt in loco judiciorum, in profundo Corticum, tunc Patres ascendunt in cogitationem, & in mundum venturum, ut augeatur lux ipsorum. Cumque perveniunt ad fundamentum, tunc Patres lumen copiosum immittunt in Basiliam, & eripiuntur inferiores.

§. 13. Et hinc intelligi potest allegoria de Iride, quæ est symbolum fundamenti, propter quam liberentur inferiores. Et hoc est illud, quod textus dicit: Quando liberantur, cum flores apparent in terra &c. Et quis conservat mundum &c. Hic notan-

dum, quod conservatio mundi fiat per Legem. Quin etiam studium puerorum, in quibus nondum locum habet peccatum, elevare potest Basilian in locum, ubi Cortices non dominantur, & ubi manifestantur Patres superni in Cerebris duobusque brachiis & corpore Uxoris.

§. 14. Antitypus autem puerorum istorum in supernis sunt gradus Superationis & Gloriæ, in quas extenditur Mater superna, ad Gloriam usque nimirum, prout notum est. Et isti sunt liberi mundi, id est, Informatricis sive Intelligentiæ, quæ est domus Sapientiæ. Illuc enim sicut in totam Emanationem non pertingit peccatum vel corruptio. Et hi inferiores excitant superiores illos, ut attrahant Patres in Cerebra & brachia Uxoris. Et hi gradus Superationis & Gloriæ sunt duo Cherubim respectu Matris supernæ, quæ dicitur aurum: & isti duo Cherubim sunt in visceribus ejus. Et sic etiam Basilia duos habet Cherubim, qui excitare possunt Patres. Omnia enim per gradus fiunt, & primò excitantur Cherubini inferiores, & postea demum superiores.

Discursus III.

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ

§. 1. בראשית, R. Eleasar (F. R. Schimeonis) incepit (Es. 40, 26.) Attollite in altum oculos vestros, & videte, מי creavit ista.

שאו מרום עיניכם לאן אתר לאתר וכל עיניין תליאן ליה ומאן אזדו פתח עיני ותכן תנרעין דהאי סתים עתיק דקיימא לשאלה׃

§. 2. Attollite in altum oculos vestros: in quem locum? (a) in locum; è quo suspensi sunt omnes oculi, (id est, quo continuò spectant): (b) Et quis iste est? Ostium oculorum (Genes. 38, 14.) Et inde cognoscetis, quod iste sit occultus ille Senex, ubi locum habet interrogatio.

ברא אלהים ומאן איתו מי הוא דאקרי מקצה השמים לעילא דכלא קיימא ברשותיה ועל דקיימא לשאלה ואיהו מארח סתים ולא אתגלי

§. 3. Creavit ista: & quis est ille מי? ille qui vocatur Extremitas cœlorum Deut. 4. v. 32. superior, à cujus permissione omnia existunt, & quia ibi locum habet interrogatio, & ipse est

Annotationes
è
Splendore Solis.

(a) *Quærit in quam gradum dirigi debeat contemplatio, cùm attolluntur oculi; quia id Scriptura non exprimat.*

(b) *Quasi diceret: Non opus fuisse, ut Scriptura id exprimeret; cùm notum jam sit quem locum respiciunt oculi contemplantium; nimirum in Regnum; quod vocatur ostium oculorum. Per visionem autem intelligitur speculatio Intellectus.*

אקרי מי׳

דהא לעילא ית תמן שלד׳ ואי קצה השמים אקרי מי ואית אחרא לתתא ואקרי מה׃

§. 4. Certè enim superius non est interrogatio. Et ista extremitas cœlorum appellatur מי, & est alia (extremitas) inferiùs, & appellatur מה.

מה בן האי להאי אלא קדמא סתימאה דאקרי מי קיימא לשאלה כין רשאל בר נש ומפשפש לאסתכלא ולמנדע מדגא לדרגא עד סוף כל דרגין׃

§. 5. Quid differentiæ est inter hanc & illam? Nimirum prior occulta, quæ vocatur מי, jubet interrogare: nam cùm interrogat filius hominis, sese extendit (alii legunt; & scrutatur) ad contemplandum, & ad cognoscendum de gradu in gradum, usque ad finem omnium graduum.

כיון דמטי תמן מה׳ מה ודערי מי אסתכלתא מה בשפשתא דא כלא סתים כדקדמיתא׃

§. 6. Cùm pertingit (eò), ibi (invenit) מה. Quid cognovisti? Quid speculatus es? Quid considerasti? Certè omnia abscondita sunt sicut priora.

תל הוא ודא כתיב מה אעירך ומה ארמה לך׃

§. 7. Et de mysterio hoc nostro (מה) scriptum est (Thren. 2. 13.) מה Quid testificabor tibi, & מה cui assimilabo te? (vel potius gradui, מה, seu Basiliæ assimilabo te.)

Commentarius è Manuscripto R. Chajim Vital juxta tradita R. Jizchak Lorjensis.

§. 1. Videte, quis creaverit ista. Hic intelligitur Basilia sive Regnum, quæ est janua illa, in quam sperant omnia inferiora, ut ab illa accipiant influentiam. Et illa vocatur altum; quia oculi eandem respiciunt, ut ab ipsa influxum accipiant. Hinc porrò inquit: Hinc cognoscetis occultatum illum Senem, ubi nonnisi interrogare licet. Iste creavit illa, id est, sex membra, quæ emanâsse dicuntur in Sapientia; creata esse in intelligentia; formata esse in gradu pulchro, & facta esse in Regno. Quapropter hic dicit; gradus מי creavit illa, ut denotetur conceptus Creativus: nam in Basilia per factionem aucta sunt & creverunt: quoniam ibidem manifestata sunt sex membra manifestatione insigni, sub conceptu factionis. Sensus ergò est, quod de Binah seu Informatrice hic sermo sit, quæ vocatur מי, id est, quis: quodque sex membra considerentur sub conceptu creandi.

§. 2. Jam verò omnes tres supernæ vocantur Senes: & Binah seu Informatrix vocatur Senex ille, penes quem saltem interrogare licet, ut cognoscatur nomen sex membrorum, quæ ab ipsa creata dicuntur: sed non ut cognoscatur ipsa eorum essentia, quoniam hæc occulta ibi admodum est. Et respectu sex istorum membrorum ipsa vocatur מי seu quis.

§. 3. Et vocatur Extremitas cœlorum superior, in cujus potestate consistunt omnia. Nam initium Microprosopi, qui vocatur cœlum, ibidem incipit, & sex membra ipsius in Binah seu Informatione hæc existunt: unde ipsa est superior cœli extremitas. Nam caput Microprosopi, id est, Sapientia, Intelligentia & Cognitio ejus sunt Benignitas, Severitas & Pulchritudo, quæ in Intelligentia: & duo brachia ejus, sunt Superatio & Gloria, quæ in Intelligentia: utpote quæ extenditur usque ad Gloriam, prout dictum est. Et huc pertinet illud: Coaptavit cœlos per Intelligentiam; quoniam per hanc constituitur Microprosopus. Et ista sex membra vocantur dies priores Deut. 4. v. 32. ubi dicitur: Nam interroga nunc dies priores: & appellantur לְמִי. quis? Et ille gradus, qui vocatur לְמִי, creavit illos. In ipso autem gradu pulchro, dantur sex membra sub alio conceptu: & sub conceptu adhuc alio sex ista dantur in Basilia; quæ sunt cerebra hujus & duo brachia, quæ à Microprosopo proveniunt. Sex autem membra quæ in Intelligentia, non sunt hæc membra ipsa, sed notiones tantùm ubi gradus pulcher vestitur, illam nempe Cerebra & brachia & corpus ejus. Hinc dicitur: quod fas tem interrogare liceat; quodque hæc ibi sint viâ saltem occultâ & non manifesta; cum tantum situs insertionis denotetur, quo loco à Gradu pulchro ea contegatur.

§. 4. Sed sex membra Gradus Pulchri, quæ vestiuntur à Basilia, nempe à Cerebris & brachiis & corpore hujus, vocantur מִי, quid? Et hæc etiam sunt occulta, & vestiuntur ab ea: & illa sunt hujus anima. Unde patet, quod omnia sint occultata, & unum amiciatur ab altero. Hinc etiam dicit textus: Omnia sunt occultata ut prius.

§. 5. De sex autem membris gradûs pulchri, qui vestiuntur à Basilia, intelligenda est vox speculandi: quia sex illa membra speculationi ibidem proxima sunt. Eidem loco etiam convenit vox considerandi, quia in Basilia res magis considerari & apprehendi possunt, quàm in supernis in mundo masculino.

§. 6. Et de hoc mysterio dicitur: gradui מִי similem te testabor &c. Nam cum Sanctuarium nostrum adhuc staret, & Israëlitæ intrarent in templum istud, tunc illud simile erat Regno in supernis, ejusdemque typus quoad sacrificia sua & cultum suum, & in eo influxum accipiebant sex membra cœtus Israëlitici, nimirum Capita eorum, judices eorum, seniores eorum, præfecti eorum, liberi eorum, & uxores eorum: quæ sunt sex. Sic etiam in supernis sex membra gradus pulchri ingrediuntur in Basiliam, quatenus vocatur מה: inque ea vestiuntur, ut eandem illuminent in caligine sua.

Pergit Sohar.

כד אתחריב בי מקדשא נפק קלא ואמר דאמה אעידך בכל ומא ויומא הא אסהדות בך מיומין קדמאין דכתי הערותי בכם היום את השמי ואת הארץ.

§. 8. Cùm desolata est domus Sanctuarii: egressa est vox, & dixit hoc: *Quid testificabor tibi?* certè singulis diebus testificatus sum erga te à diebus prioribus: alii legunt: (exivit vox & dixit: quid testificari faciam tibi; & quid similitudo tua erit. Quid testificari faciam tibi; quoad Illud, quod tibi testatus sum sin-

singulis diebus; & ita testatus sum ab olim, Sicut scriptum est:) scriptum enim est: (Deut. 30. v. 19.) *Testificor super vos hodie cœlos & terram.*

§. 9. *Et cui assimilabo te?* eodem revera modô coronavi te coronis sanctis; feci tibi dominationem super mundum; scriptum enim est (Thren. 2. v. 15.) Hæccine est civitas, quam dicebant perfectam, &c? Vocavimus te Jerusalem ædificatam in civitatem, in qua conventus fiunt (Psal. 122. v. 3.)

§. 10. תֹּךְ מִי assimilo te: (i. e. Gradui Regni, quod pariter ita devastatum est, uti tu hic;) eodem modo, quo tu sedes; sic est, si ita dicere fas est, & supra: sicuti non ingreditur nunc in te populus sanctus, in ordinibus sanctis, sic dico ei (תֹּךְ מִי) quod ego non ingredior superius, donec ingredientur in te turbæ tuæ.

§. 11. Et hæc est consolatio tua; quoniam gradus iste similis est tibi in omnibus. Et nunc cum tu sic es, magnæ sicut mare (מלכות) est fractura tua (Thr. 2. v. 13.)

§. 12. Et si diceres, quod nulla tibi stabilitas & salus; gradus לְמִי sanabit te.

§. 13. Certè hic est gradus occultus supremus, in quo omnia stabiliuntur, medebitur tibi, & eriget te.

§. 14. מִי est Extremitas cœlorum superior, & (deinde pergitur) ad extremitatem cœlorum inferiorem; לְמִי autem est extremitas cœlorum inferior. Et has attingit Jacob, ille enim medius est inter utramque extremitatem; interextremitatem priorem, quæ est gradus לְמִי seu quis, & inter extremitatem posteriorem, quæ est לְמִי; quia consistit in medio: (nam Jacob est תִּפְאֶרֶת;) & propterea dicitur gradus לְמִי creavit ista.

Commentarius Lorjensis.

§. 7. Cùm autem destrueretur Sanctuarium inferius propter peccata, auferebantur sex membra masculi, quæ vestiebantur per Cerebrum & brachia atque corpus uxoris, ita ut utriusque numerus efficiat duodecim: quibus junguntur Superatio, Gloria & Fundamentum Uxoris, unde fiunt quindecim. Et quia ista sunt testimonium [præsentiæ & absentiæ Divinæ] hinc dicit: gradum מֵרֵי testificari faciam tibi, ne ulteriorem ablationem causeris, post ablata sex membra masculi superioris quæ vocantur testimonium. Et hoc est illud: Testari feci vobis hodie cœlum & terram. Quia per vos & per cultum vestrum amicta sunt sex membra gradûs pulchrii in Basilia: quare etiam additur; & terram. Et per peccata vestra sublata sunt omnia, & passi estis duplicem jacturam, quare etiam additur Deut. 4. v. 26. Quia pereundo peribitis.

§. 8. Et gradui מֵרֵי similem te dicam. Quia demisi lucem sex membrorum deorsum in Sanctuarium inferius, eodem modò, prout fuit in Sanctuario superiore. Et hæ sunt Coronæ illæ sanctæ, quarum hoc locò fit mentio, per quas ipsa dominium habebat in omnia sex membra inferiora, quæ sunt mundus. Hinc dicitur: Fecit te regnare super mundum, juxta illud Psalm. 103. v. 19. Regnum ipsius in omnibus dominatur. Et hoc est mysterium illud, quod Basiliæ subjecti fuerint Cortices & naturæ externæ, ita ut similis fuerit Matri supernæ, ad quam non pertingunt Cortices, sicut notum est: ita ut sicut Mater, talis esset filia. Et hoc est quod dicitur Psalm. 122. v. 3. Jeruschalaim ædificata est, ut civitas, quæ juncta est in unam; quod nempe similis fuerit Matri supernæ. Eôdemque modò hinc infra in mundo hoc imo populus Israëliticus dominium habebat super populos, qui ipsi subjecti erant, eratque consummatio Pulchritudinis Thren. 2. v. 15. sub mysterio duarum Coronarum. Hoc etiam similis erat Hierosolymæ supernæ in his omnibus: quod intelligitur per verba illa; sicut civitas, in qua junctio sit in unum, quia à supernis provenit lux inferiorum similis, ut notum est. Sicut igitur Hierosolyma inferior propter peccatum illius generationis à gradu isto amota est; sic etiam Hierosolyma superior à Rege superno deserta est, ita ut ille non ingressurus sit in Hierosolymam supernam, donec rædificetur Hierosolyma inferior. Usq; adeò amota sunt sex membra à tentorio ejus, ut remanserit columba muta. Et hinc intelligitur illud: Sic dico, quod non ingressurus sim supra, donec ingrediantur in te, &c. Et hæc est consolatio Hierosolymæ inferioris, quod Hierosolyma superior eidem sit similis. Et hoc est illud: Gradui מֵרֵי similem faciam te in tui solatium.

§. 9. Nunc autem cùm tu hîc sis in imo profundo Corticum, quod est mysterium exilii Divinæ præsentiæ, magna ut mare est fractura tua; ubi subinnuitur allegoria fluctuum marinorum qui sunt Cortices, qui minantur inundationem, ut devastent mundum. Mare enim est mundus Formativus, qui est Caput Factivi, qui propterea dicitur ם מרי mare finale, i. e. finis omnium graduum.

§. 10. Quod

§. 10. Quod si autem dicas, te nullam habere salutem: gradus מֵרֵי sanabit te. Nam quando gradus מֵרֵי irradiat gradum pulchrum, cerebris, brachiis, & corpore suô; gradus pulcher irradiat cerebra, brachia & corpus uxoris. Hinc dicit: hunc esse gradum, in quo consistant omnia. Nam quando gradus מֵרֵי vestiuntur à pulchritudine, gradus מה vestiuntur à Basilia. Hinc repetit allegoriam de extremo cœli. Et huc pertinet symbolum Jacobi, quatenus est vehiculum sex membrorum, à quibus vestiuntur gradus מֵרֵי; & sex membrorum quæ vestiuntur à Basilia, quæ vocatur מֵרֵי, ita ut quasi vestis extendatur ab uno extremo usque ad alterum: quoniam consistit in medio, inter Macroprosopum, & inter Uxorem Microprosopi; & sit vestis sex membrorum supernorum, & anima sex inferiorum, quæ in Regno. Sed & alium hic habet conceptum sub mysterio Daath sive Cognitionis, per quem ascendit in sex membra superna quæ in Intelligentia, præter sex membra gradûs pulchrii inferiora; & ambo hi explicandi modi locum habere possunt. Nam sex membra quæ in Intelligentia, sub conceptu cognitionis, sunt anima gradûs pulchri ab intra in capite ejus, & in duobus brachiis & corpore ipsius: & cum illis unitus fuit Moscheh. Sed sex membra, quæ in gradu pulchro ab extra sunt anima pro cerebris, duobus brachiis & corpore Uxoris. Et si accuratè res examinatur, patet, quod Superatio, Gloria & Fundamentum, quæ in Intelligentia, vestiantur à Benignitate, Severitate & Pulchritudine, quæ in Basilia. Sex ista membra autem utriusque generis unà cum Superatione, Gloria, & Fundamento, efficiunt יה 15. Et huc pertinet locus ille Psalm. 122. v. 4. Tribus יה testimonium Israëli. Nam dum Benignitas, Severitas, Pulchritudo, quæ in Intelligentia, vestiuntur intra Sapientiam, Intelligentiam & Cognitionem ipsius gradûs pulchri, jam prodit senarius unus: & dum Superatio, Gloria & Victoria, quæ in Intelligentia vestitur à Benignitate, Severitate & Pulchritudine ipsius gradûs pulchri: hinc prodit senarius secundus. Adeoque mysterium literæ ו latet in Matre superna, quod ipsius sit anima in sex membris ejus, prout dixi. Quapropter ipse est in medio, quatenus sex membra Intelligentiæ vestiuntur à gradu pulchro, & in eo occultantur & absconduntur, inque ipso faciunt apocrypsin illam, quæ vocatur congregatio Israëlis, & consistit in sex his occultatis gradibus Intelligentiæ intra sex membra gradûs pulchri. Et duodecim hæc membra sunt duodecim tribus in mundo superno Jubilæi: & duodecim inferiora sunt in mundo inferiore. Sed Superatio, Gloria, & Fundamentum gradûs pulchri, nihil habent, cui applicentur in mundo superno, adeoque manent solitaria: & abhinc ad istum locum applicari possunt Cortices externi. Quo pertinet mysticum illud Gen. 32. v. 25. Et tetigit curvaturam femoris ejus, & movit se curvatura femoris Jacob. Unde necesse est, ut Patres sursum ascendant in cogitationem mundi venturi, quo etiam gradus hi, Superationis, Gloriæ & Fundamenti, ascendant, locumque suum accipiant. Et hoc ipsum est, quod supra dictum: Et illi Patres ascendunt in cogitationem, & in mundum venturum, & ibidem occultantur. Et cùm Patres iterum redeunt in locum suum, influentiam secum deducunt, & vestiuntur intra Superationem, Gloriam & Fundamentum, ut gradus hos irradient per lucem, quam in supernis acceperunt. Unde Basilia quoque lumen accipit

pit in gradibus Benignitatis, Severitatis & Pulchritudinis ejus, quatenus scilicet isti gradus fœminini vestiunt gradus Superationis, Gloriæ & Fundamenti, ut hac ratione fiant brachia & corpus Uxori è loco Patrum supernorum.

Pergit Sohar.

אמר ר"ש אלעזר בני פתוק מילך וייתגלי סתימא דהוא עלאה דבני עלמא לא ידעין.

§.15. Dixit R. Schimeon: Mi fili cefli à sermone tuo, nam revelas occultum quidem mysterio superno, quod filii mundi non cognoscunt.

שתיק רבי אלעזר בכה רבי שמעון וקאים דהוה (נא שעתא) חדא.

§.16. Tacuit R. Eleasar: flevit R. Schimeon, & stetit per momentum (alii legunt horam unam.

אז אלעזר מאי אלה אי תימא ככבייא ומזלי דא חתחזן תמן תדיר ונמה אתבריאו כלא בדבר יי שמים נעשו.

§.17. Dixit R. Schimeon: Quid est אֵלֶּה, id est, illa? Si dices: Stellæ & Planetæ; certè istæ apparent ibi semper, & per מִדַּת creatæ sunt, sicut dictum est (Psalm. 33. v. 6.) *Verbo Domini cœli facti sunt.*

אי על מלין סתימי לא לכתוב אלה דהא אתגליא אידו אלא.

§.18. Sin de rebus occultis (τὸ אֵלֶּה intelligendum,) non scribenda erant אֵלֶּה illa; certè enim manifestata sunt, quæ vocantur אֵלֶּה sive illa.

רזא דא לא אתגליא בר יומא חד דתיניא על כיף ימא ואתא אליהו ואמר ליה ר' ודרש מה הוא ברא אלהי.

§.19. Hoc autem mysterium non revelatum est, excepto die unô, cùm essem ad litus maris, & venit Elias, & dixit mihi, Rabbi, scisne quid sit בָּרָא אֱלֹהִים creavit illa?

אמר ליה אלין שמיא ויחידאין עובדא דקב"ה דאית ליה לבר נש לאסתכלא בהו ולברכא ליה דכתיב כי אראה שמיך מעשה אצבעותיך וגו' אדנינו מה אדיר שמך בכל הארץ.

§.20. Dixi ipsi: Illi cœli & exercitus eorum, opus Sancti illius, Benedictus sit ille! quæ contemplanda sunt homini, ut benedicat ei; quia scriptum est (Psal. 8. v. 4.) *Quia videbo cœlos opus digitorum tuorum, &c. Domine Dominus noster, quam magnificum est nomen tuum in universa terra!*

Commentarius Lorjensis.

§. 11. Si de illis occultis sermo est, non scribendum fuisset אֵלֶּה ista, quia hæc vocula denotat res manifestas. Particula אֵלֶּה enim dupliciter exponitur: vel de animabus & Angelis, quæ in fundamento sunt, & intrant in Basiliam, ut formentur: nam fundamentum dicitur firmamentum, in quo sunt Stellæ & Planetæ, quorum radices sunt animæ & Angeli, qui in Basilia formantur, ut foràs egrediantur. Quoniam ab illa evolant animæ ut notum est. Et istæ intelliguntur per stellas & planetas. Vel secundo de sex membris in Intelligentia latentibus, quatenus amiciuntur à gradu pulchro: vel etiam de sex membris gradus pulchri, quæ vocantur Congregatio Israëlis. Ambos hos exponendi modos negat procedere. Quod enim de stellis fixis & errantibus dictum hoc Scripturæ non intelligendum sit; quæ in firmamento cœli apparent, ita ut subintelligeretur fundamentum, quatenus habet cognomen firmamenti & cœli; duæ urgent rationes. Prima est, quod hæ ibidem semper appareant, nec abhinc amoveantur animæ & Spiritus, qui sunt Angeli: quoniam hæ semper splendent & oriuntur, nec unquam cessant: cùm tamen è textu ipso appareat, quod subjectum illud, de quo ibi sermo est, jam nunc quasi creari innuatur. Deinde stellæ etiam semper sunt manifestæ & videntur, ita ut opus non sit oculos attollere in altum, quò videri queant. Et hoc innuunt verba hæc: Apparent ibi. Ratio secunda est hæc: quod stellæ tàm fixæ quàm erraticæ creatæ sint per gradum מַה & non per gradum מִי: cùm tamen textus expressè dicat: Gradus מִי creavit ista.

§. 12. Sensus autem hûc est, quod omnes exercitus tàm superi quàm inferi creati sint à sex membris gradûs pulchri vestitis in Regno, quod vocatur מַה: & progrediantur per Fundamentum, quod est ultimum sex membrorum gradus pulchri: unde fundamentum etiam vocatur Tetragrammaton Exercituum; quia omnes exercitus tam superiores quàm inferiores per illud manifestantur.

§. 13. Sensus ergò dictiillius: Verbo Domini cœli facti sunt; hic est: Quod Regnum, cui tribuitur nomen verbi Domini, sicut notum est, superinvestiat cœlum, quo nomine vocantur sex membra gradûs pulchri, & ista fiant & constituantur per istam superintectionem. Nam omnis Conformatio & constitutio fit per mysterium vestiendi, quia occultatio hîc idem præstat, quod manifestatio (cò quod occultetur luminum nimietas, ut eadem ab inferioribus capi queant in gradu suo diminuto.) Sex autem ista membra, quatenus concipiuntur in Intelligentia, dicuntur esse in Creatione: & quatenus sunt in gradu pulchro, dicuntur esse in formatione: & quatenus vestiuntur à Basilia, dicuntur esse in factione; quatenus manifestantur in ea. Hinc dicitur; *Cœli facti sunt*; ut innuatur mysterium factionis. *Et per spiritum oris ejus.* Hic intelliguntur ipsa sex hæc membra, quatenus sunt anima Basiliæ. Facti sunt *omnes exercitus* tam superi quàm inferi; ut sensus sit: sex membra gradus pulchri vestiri à Basilia, & manifestari per eam, ita ut formatio transeat in factionem: quare de cœlis dicitur: quod facti sint. Sed exercitus superiores & inferiores, inter quos sunt animæ hominum & angelorum, non facti sunt per Basiliam, & ipsius investituram: sed à sex membris ipsis intra Basilian latentibus, quæ sunt anima & spiritus Basiliæ, quæ vocatur מַה, quia sex illa membra vocantur מַה, prout scriptum est supra. Unde patet, quod isti exercitus creati sint per מַה, & non per מִי. Cùm tamen textus propositus dicat: Gradus מִי creavit illa.

§. 14. Porrò scias, quod dictum illud Psal. 33. v. 6. etiam sensu literali possit expo-

ni de cœlis materialibus, quòd facti sint per Verbum Domini, id est, per conceptum externum, & non per internum. Sed omnes exercitus eorum facti sunt ab interno, qui est Spiritus oris ejus: quoniam isti sublimioris sunt naturæ. Unde patet, per particulam אלה intelligi non posse de stellis & planetis.

§. 15. Si igitur assumatur pars altera istius alternativæ, ita ut per particulam אלה intelligi dicantur sex membra, quatenus sunt in Intelligentia: ista sanè sunt occulta: quomodo ergò vocari possunt אלה, id est, ista quæ videntur, & manifesta sunt? Ex quibus omnibus concluditur, quod per particulam hanc אלה nec intelligi possint cerebra, brachia & corpus gradûs pulchri, quatenus amiciunt sex membra Intelligentiæ, eò quod ista occulta sint: nec stellæ & planetæ ob naturam nimis manifestam.

§. 16. Enarrat igitur, hoc mysterium sibi non revelatum esse, nisi die quodam, quòipsum interrogaverit Elias p. m. an verba hæc intelligat: Quis creavit ista? ubi ipse responderit juxta sensum literalem: nimirûm intelligi cœlos materiales, qui contemplandi sint, ut laudetur nomen Domini: prout inquit David: Quoniam videbo cœlos tuos, &c. Ubi subjungit: Tetragrammaton Domine noster, quam magnificum est nomen tuum &c. Et hæc ita quidem enarrantur in discursu hoc, verum enim verò mihi vix videtur credibile, quod R. Schimeon, in quo fuit Spiritus Dei Sanctissimi, Eliæ respondérit ad propositam quæstionem tam simplicis, quæ quilibet etiam tyro respondere potuisset. Hinc mihi videtur, ista non intelligenda esse sensu literali, sed per cœlum & exercitus ejus intelligentur sex membra mundi Creativi, sex gradus Throni. Et hoc est mysterium ה ultimi, quod resolvitur in ר & in ו. Sicut enim ה primum resolvitur in ר & in ו, quibus indigitantur gradus pulcher & Basilia mundi Emanativi: ita ה ultimum resolvitur in רָ֫ i. e. in gradum pulchrum & Basilian mundi Creativi. Et sicut in matre superna formatus est filius, i. e. ו, quod in illa existit: quem deinde etiam produxit tanquam opus suum: sic etiam mater inferior filium intra se formavit sub mysterio literæ existentis in ה ultimo, quod est mysterium sex graduum throni, nempe gradus pulcher, qui est in Creatione, quem ipsa produxit. Et hinc dicitur opus Dei Sanctissimi, qui Benedictus sit i. d est, Matris inferioris, quæ vocatur Deus Sanctissimus benedictus absolutè loquendo. Verba igitur hæc: Cœli illi & exercitus eorum opus Dei sanctissimi, qui benedictus sit; in hunc sensum explicari possunt. Nam sicut datur cœlum & exercitus ejus, opus Matris supernæ, id est, gradus pulcher mundi Emanativi: Sic etiam datur cœlum & exercitus ejus opus Dei sanctissimi benedicti, id est, Matris inferioris Basiliæ. Per copias sive exercitus ejus autem intelligi possunt animæ, quæ prout dici solet, excinduntur è Throno. Sciendum autem, quod in cœlis istis lateat mysterium poculi Benedictionis; quoniam è quinque Severitatibus prodierunt: hinc in Psalmo de iis dicitur, quod sint opus manuum ejus: sicut poculum benedictionis quiescit in quinque digitis, qui sunt quinque Severitates. Et sicut poculum Benedictionis aspiciendum est, prout de eo dici solet: Conjiciat oculos in illum: sic & hi cœli aspiciendi sunt, ut in Textu dicitur. Et sicut necesse est, ut cum devota attentione benedictio

ctio dicatur in poculum Benedictionis, ut benedictio in illud descendat: è scaturigine superna: sic etiam benedicendus est Dominus propter cœlos istos. Et sic etiam in Raja Mehimna dicitur sectione Bo: quod poculum benedictionis sit mysterium sex membrorum mundi Creationis.

§. 17. Et quia Mater superior quoque in mundo Creationis sedem figit, sicut notum est: hinc dici potest, quod gradus מ creaverit cœlos hos. Porrò quoq; notum est, quod quinque Severitates proveniunt ab Intelligentia. Et fortè huc pertinet dictum illud Jes. 45. v. 7. Et creans tenebras: quia mundus Creativus propter mysterium severitatum consideratur ut caligo. Et hinc poculum benedictionum distantiâ palmi elevandum est à terra: terra enim est locus Severitatum rigorosarum, quæ non mitigantur; & est locus corticum. Ut igitur separetur à severitatibus istis: hinc dicitur in Gemara, quod poculum hoc elevandum sit palmum. Et alibi dicitur spithamam. Duæ autem proportiones istæ eodem recidunt. Quò respexisse videtur R. Schimeon ben Jochai in ista responsione sua.

Sequitur in Sohar.

אל"ף מלה סתימא דוכל סתימי קמי קבה וגלי במתיבתא עלא ודא הוא.

§. 21. Dixit mihi: Rabbi, res occulta fuit; sed exurgens Deus sanctissimus, Benedictus sit ille! id manifestavit in schola superna, & hoc illud est: (Ex אלה & מי componitur אלהים: in hoc est arcanum.)

בשעתא דסתימא וכל סתימי בעא לאתגלייא עבר ברישא נקודה חדא ודא סליק למחשבה מחשבה צייר בה כל ציורי חקק בה כל גליפין ואגליף גו בתינא קדישא סתימא גליפו בחד ציורא סתימא קדש קדשין בכינא עמיקא דנפק מנו מחשבה ואקרי שירותא (ראשיתא) לבנינו.

§. 22. Illo tempore cùm occultissimus omnium occultorum voluit manifestari, in principio fecit punctum unum, (id est, Jod,) & hoc ascendit ut esset cogitatio: effiguravit in ea omnes (omnes decem numerationes) figuras, exsculpsit in ea omnes sculpturas, & effiguravit in lumine sancto occulto sculpturam alicujus figuræ occultæ, sanctum sanctorum, ædificium profundum, quod egressum est ex cogitatione; & vocatur principium ad ædificium.

קימ"ל ולא קיים עמיק וכסיה בשמא לא אקרי אלא מי בגא לאתגליא ולא יתקרי בשמא דלא ואתלבש בלבוש זקו דנהיר ובגא אלה וסליק אלה בשמא אתחברן אתון אלין באלין ואשתלי בשמא אלהים.

§. 23. Subsistit & non subsistit, profundum & occultum, nomine non appellatur nisi מ; desiderabat manifestari, & non appellabatur hôc nomine, & vestiebatur vestimentô magnifico, quod fulget: & creabat אלה ista: & elevatum est מ אלה in nomen (Dei): consociabantur enim literæ istæ cum illis, & integrum fiebat nomen אלהים.

תר לך ברא אלה לא סליק
בשמא אלהים.
ואינן דחבו בעגלא על דנא
דכא אמרו אלה אלהיך ישראל.

וכמה דאשתתף מי באלה הכי
אתא שמעא דאשתתף תדיר
וברא דא אתקיים עלמא ופרח
אליהו ולא חמינא ליה.
ומניה ידענא אלה דאוקימנא
על דא וכתרא דיהלה.
אתא רבי אלעזר וכלהו
חבריא ואשתטחו קמיה בכו
ואמרו אלמלא לא אתינא
לעלמא אלא למשמע דא וכו.

§. 24. Sed antequam creavit אלה, non elevatum est in nomen אלהים.

§. 25. Et illi, qui peccarunt cum vitulo de mysterio nostro dixerunt: אלה אלהיך ישראל Exod. 32. 4. Isti sunt Dii tui Israël.

§. 26. Et sicut sociatur vox מי cum voce אלה; ita ipsum nomen hoc sociatur semper (cum gradibus inferioribus;) & in mysterio hoc stabilitur mundus. Et avolavit Elias, nec vidi illum ultra.

§. 27. Et ex ipso scimus rem, quam statuimus de mysterio & arcano ejus.

§. 28. Venit R. Eleasar & omnes socii, & prostrati sunt coram eo, flevernnt & dixerunt: Si non venissemus in mundum nisi ut audiremus hoc, sufficeret.

Sequitur Commentarius Lorjensis.

§. 18. Responsum Eliæ res profundissimas in se continet, quia loquitur de ordine Emanationis ab initio ejus. Nam Sapientia primitiva, quæ in Macroprosopo vocatur occultissimus omnium occultorum, sive gradus occultatus omnibus occultationibus: quoniam ipsa est Cerebrum illud undiquaque clausum, quod non apertum est in triginta duas semitas, sicut Sapientia Microprosopi. Cùm ergò vellet manifestari per conformationes, quæ sunt mysterium vestimentorum, ut capi posset lux ejus; faciebat in capite punctum aliquod. Hoc punctum est mysterium, in quo Pater & Mater occultabantur. Et hoc ascendit ut esset cogitatio. Erat enim finis totius cogitationis supernæ, semita nimirû tenuis descendens è Jod superno: quæ cùm manifestaretur infra, caput accipiebat. & partes sive formas ejus; evadebatq; cogitatio in cogitatione superna. Quod enim finis erat respectu cogitationis, fiebat caput, & jam ascendebat, ut fieret cogitatio.

§. 19. Deinde in illa formabat omnes formas sub mysterio Binah seu Informatricis, à qua prodeunt omnes formæ, juxta mysticam illam vocem ויצר Genes. 2. v. 7. Et formavit.

§. 20. Porrò in illa exsculpebat omnes sculpturas, quæ sunt sex membra, quæ in ipsa effigurata sunt. Et hæc omnia intelligenda sunt de Sapientia superna, quæ est mysterium Patris, in quo existunt decem numerationes supernæ. Intelligentia autem in eo existebat quàm subtilissimè. Cùm igitur autor Emanationis sibi proponeret, quod hæc egredi deberet; ipsa prodibat sub mysterio benignitatis, quæ in Sapientia: & hæc est lucerna sancta occulta: quoniam septem dies vocantur septem lucernæ. Et quia Benignitas, quæ existarum numero est, derivatur à Sapientia, quæ sancta vocari solet: hinc

hinc benignitas hæc vocatur lucerna sancta occultata; eò quod benignitas superna, quæ in Patre est, occultatur sub conceptu omnium reliquarum Benignitatum inferiorum.

§. 21. Mater igitur prodibat vestita per Benignitatem, quæ in Sapientia. Sicut enim Creatio inferior vestitur per Benignitatem lucis primitivæ, sicut dicitur sectione Lech lecha: ita mater cùm prodiret vestita erat benignitate superna, quæ in Sapientia. Quare in Textu dicitur; in lucerna sancta occultata. Patet igitur, quod Intelligentia primò comprehensa fuerit intra Sapientiam, ita ut ipsa & Sapientia unum & idem essent: usque ad Benignitatem, quæ in Sapientia, quippe in qua prodibat Intelligentia per illam vestita. Nam in capite Patris nulla inter eas erat distinctio, quia altera ab altera includebatur. Et hôc respectu ipsa in Idra parva vocatur Synoche omnium. Per brachium autem dextrum manifestabatur, prodibatq; Intelligentia vestita per benignitatem. Et huc pertinet illud Jes. 53. v. 1. Et brachium Domini super gradu מי manifestatur. Ubi notetur particula מי, quæ specialiter juxta modò dicta interpretanda est.

§. 22. Intelligentia autem vocatur Sanctum Sanctorum, ut notum est. Diciturque prodiisse à cogitatione sub mysterio capitis seu Principii: quia Benignitas est caput judiciorum, & ipsa vestita erat benignitate Sapientiæ, quæ vocatur profunditas: hinc dicitur structura profunda: & quidem principium structuræ.

§. 23. Existebat & non existebat: quia etiam in Benignitate non poterat comprehendi lux essentiæ ejus: unde dicitur extitisse & non extitisse, quia ibidem valdè erat abscondita, & status ejus ibidem nullatenus poterat cognosci, nec ulla speculatio eo usque applicari. Et vocabatur מי quis; quia ibidem interrogatio locum habet, & particula מ refertur ad Intelligentiam, quatenus vestita est à Benignitate. Nam per מ denotatur Intelligentia; & per י denotatur benignitas, quatenus provenit à Sapientia, unde oritur nomen מי. Vocaturque profunditas, quia Benignitas superna, quæ in Sapientia, valdè occultata est: quare eandem vestiri oportuit luce primitivâ, quæ est vestis magnifica, fulgidissima, quâ vestitur benignitas, quæ in Sapientia.

§. 24. Patet igitur, quod Intelligentia vestita fuerit per Benignitatem, quæ in Sapientia, & per Benignitatem, quæ in Microprosopo: & hâc ratione creabat אלה sive ista, i. e. sex membra Benignitatis, ut notum est, quæ vocantur אלה ista. Et tunc manifestabatur lux Intelligentiæ, ut vocaretur nomine Elohim.

§. 25. Meritò autem vocatur Elohim, nam מי אלה denotat ordinem descendentem è summis deorsum: ubi Intelligentia est intima, i. e. מ, & Benignitas, quæ in Sapientia, ab extra eandem vestit, & est י, sequunturque membra. Sed Elohim denotat ordinem ascendentem ab imo sursum. Cùm enim intentio esset rei manifestandæ, quod manifestius est, præcedere debebat. Unde primò ponitur אלה i. e. sex membra; deinde Benignitas, i. e. Jod; & tandem Intelligentia, i. e. Mem: ita ut quodlibet horum occultetur intra gradum vicinum: unde etiam Mem clausum est; quò denota-

tur, quod ipsa super forma hac quadrata incubet super liberis, prout traditur sectione Truma.

§.26. Antequam ergò crearentur אלה ista, non eminebat per nomen Elohim: quia nomen Elohim est nomen manifestationis, ita ut etiam gradus externi manifestentur sub isto nomine, sicut notum est. Quamdiu igitur sex membra nondum existerent, in quibus ipsa posset occultari, nondum vocabatur nomine illô: quia impossibile erat, ut reveletur nisi per occultationem intra sex hæc membra, quæ vocantur אלה ista: quoniam ex hac contectione oriebatur ipsius manifestatio.

§.27. Et Jisraelitæ cùm confecissent vitulum, sub hoc mysterio dicebant אלה אלה Hi sunt Dii tui, Jisrael. Volebant enim separare sex membra ab Intelligentia, eademque deducere in Basilian, quæ vocatur ים mare sub mysterio corticum, qui sunt in mundo Factivo. Si enim conjunguntur literæ אלה, quibus denotantur sex membra cum voce ים i. e. mare, inde etiam prodit nomen אלהים. Et hic est sensus verborum illorum Exod. 32. v. 1. Surge fac nobis אלהים i. e. separa, אלה à מי, & compone illa cum ים sive mari. Hoc autem est species truncationis plantarum, cùm separantur sex membra ab Intelligentia, & deducuntur in notionem ultimam, quæ in Regno, cui est nomen ים i. e. mare. Hinc ista dicebant ad Aharonem, qui pertinet ad Benignitatem: quoniam Binah non fecit gradus אלה nisi per benignitatem, quæ amiciebat intelligentiam, tanquam lux primitiva, & faciebat compositum hoc nomine אלהים. Et sic illiquoque volebant gradus hos deducere per hoc idem principium, i. e. Benignitatem sub persona Aharonis.

§.28. Portò subjungitur: Mundus non perstat: ubi intelliguntur sex membra. Nisi per Combinationem gradûs מי, quæ est Mater, cum gradibus אלה, qui sunt liberi ejus, unde exurgit nomen Elohim. Et sicut per combinationem particulæ מי cum particula אלה sub initium Emanationis manifestationis erat exordium: ita hoc semper permanet, ut Mater incubet super liberis, ut illos conservet: qui est sensus verborum illorum, & per mysterium hoc conservatur mundus.

Sequitur in Sohar.

אוֹ שמעון על דא שמיא וחולדון בסודיה אתבריאו דכתיב כי אראה שמיך מעשי אצבעותיך וגו׳.

§.29. Dixit R. Schimeon: Propterea cœli & exercitus eorum per מה creati sunt, quia scriptum est: *Quia videbo cœlos tuos opus digitorum tuorum, &c.* (Ps. 8, 4.)

וכתיב מה אדיר שמך בכל הארץ אשר תנה הודך על השמים בגין דברא נהורא לעטוריהון ואתלבש רא בוא׳.

§.30. Et scriptum est (ibid.) מה *est nomen tuum, magnificum in universa terra, ut edas laudem tuam, propter cœlos.* Quia creavit lucem pro luce sua, & hanc vestivit illâ.

וכלוק בשמא עלאה זעיר דא בראשית ברא אלהים דא אלהים עלעה׳.

§.31. Et elevatum est in nomen sanctum ה supremum; & propterea dicitur בראשית, *creavit sex, creavit* אלהים, hoc est אלהים supremum (בינה).

דהא מה לא הוי הכי דלא אתבני אלה בשעתא דאתמשכן אתון אלין אלה מלעילא לתתא ואמא אדהפך לברתא מנהא וקשיט לה בקשוטה׳.

§.32. Certè enim מה non est sic, & non ædificatur nisi eô tempore, quô ista אלה, è supremis deducuntur deorsum, & mater mutuò dat filiæ vestimenta sua, & ornat eam ornamentô suô.

ואיתי קשיט לה בקשוטא כדקא חזי בשעתא דאתחזן קמיה כל דכור דכתיב את פני האדון יי׳ והא איקרי אדון כדא הכא ארן דבריה אדון כל הארץ.

§.33. Et quando ornat illam ornamentô suô prout decet? Eô tempore cùm apparent coram ea omnes masculi; scriptum est enim (Exod. 23, 17.) Ad faciem dominatoris Domini: nam vocatur אדון (i.e. מלכות) Filia enim ornata esse debet, quando comparent masculi: sicut dictum est (Jos. 3. v. 11.) *Ecce arca fœderis dominator totius terræ.*

כדין נפקת ה ואעילת י ואת קשטת במאי דכורא.

§.34. Tunc egreditur ה, & ingreditur י (tunc fit exמה, מי) & ornatur instrumentis masculi.

Commentarius Lorjensis.

§.29. Dixit R. Schimeon: Propterea cœli & exercitus eorum per gradum מה creati sunt. Jam R. Schimeon explicat, quod per particulam אלה etiam intelligantur cœli & exercitus eorum, quatenus per illos designantur sex gradus Throni, prout suprà expositum. Postquam enim Elias ipsi manifestaverat, quod verba illa מי ברא אלה Gradus quis creavit ista; referenda sint ad mundum Emanativum: jamipse superaddit, quod sex gradus Throni creati sint per gradum מה, & non per mysterium מי. Quamvis enim mater superna nidificare dicatur in tribus summis Numerationibus Systematis Creativi: hoc tamen tunc saltem fit, cùm jam gradus istius creati sunt per מה. Quin etiam ibi hæc proprium locum non habet, sed tantùm nidificat: cùm scilicet incubat liberis inferioribus, quæ sunt animæ, sive Mentes ab ipsa productæ, & descendentes in mundum Creativum, per quem manifestantur, quemadmodum in nidis mundi inferioris pariuntur ova, & excluduntur pulli. Mater Igitur tantùm nidum struit in tribus Numerationibus superioribus, prout dicitur in Tikkunim, sive supplementis Soharisticis. Sed Creatio horum graduum non facta est nisi per gradum מה.

§.30. Hoc autem probat per dictum Psalm. 8. v. 4. Quia videbo cœlos tuos opus digitorum tuorum. Hoc est poculum Benedictionis, quod residet super quinque digitis.

§.31. Et porrò scribitur ibidem מה est magnificum nomen tuum in universa terra. Ubi per מה intelligitur plenitudo Tetragrammati Alephata, hôc modò: יוד הא ואו הא cujus numerus est מה i.e.45: Et decem istæ literæ inseruntur decem Numerationibus mundi Creativi.

§.32. Mater autem superna, quæ vocatur אשר, extenditur usque ad gradum Gloriæ sive Laudis, dum eandem superinduunt sex membra gradûs pulchri, quæ vocantur cœli. Et hinc intelliguntur verba illa אשר תנה הודך על השמים quasi dicatur: Tu gradus אשר dabis metrum gloriæ tuæ propter cœlos. Et tunc vocatur Elohim per istam superinvestituram: Quare etiam in textu dicitur; propter cœlos, scilicet elevatur in nomen. Hinc etiam in textu dicitur: Quia creavit lucem pro luce sua, & hanc vestivit illâ, & elevatum est in nomen sanctum He supremum, i.e. Intelligentia. Quapropter etiam dicitur בראשית Creavit sex, & creavit אלהים; quia per sex membra, quæ intelliguntur per syllabam שית i.e. sex in voce בראשית Creavit אלהים i.e. nomen ejus vocatum est אלהים. Et hoc est nomen אלהים supremum sive mysterium Intelligentiæ, quæ superinvestitur sex membris gradûs pulchri. Nam Mater inferior, quæ vocatur מה, dum superinvestit sex membra ejusdem gradus, nõ vocatur nomine אלהים. Et ratio hæc est, quia Intelligentia non vocatur אלהים, nisi dum sex membra sua vestiuntur sex membris gradûs pulchri. Sed Mater inferior non habet sex membra propria, quibus vestiat pulchritudinem. Hinc in textu dicitur: Gradus מה non est sic.

§.33. Quia etiam sex membra ejus, quæ dicuntur structura, non sunt ipsius. Unde dicitur: Non extruitur nisi per Jisraëlitas, quando veniunt, ut appareant coram ea: tunc illi sex membra superna prolongantur & demittuntur per preces & lachrymas: quia portæ lachrymarum nunquam clauduntur: & descendunt, ut fiant sex membra, sicut sunt in Intelligentia, quæ deinde vestiuntur à Basilia. Sex isti gradus autem dicuntur ornamentum propter Benignitatem supernam; quæ matrem cum cæteris investit, ceu mysterium literæ Jod, quæ est in vocula מי. Per vestimenta autem masculi intelliguntur sex membra masculina, quæ investiunt Intelligentiam, prout supra dictum est.

Sequitur in Sohar.

לקבלידהון דכר בישראל ואתון אחרנין משכן לך ישראל מעילא לגבי אתר דיליך:

אלה אזכרה. אדכרא בפומא ושפיכנא דמעאי ברעו נפשי בגין לאמשכ אתון אלין וכדין אדכם מעילא עד בירת אלהים למהוי אלהים כגוון דילידין:

§.35. Respectu omnium masculorum Jisraël, & aliarum literarum, attrahunt sibi Jisraëlem è supernis ad locum istum.

§.36. אלה *Ista memorabo*, (Psl.42,5.) memorabo ore, & *effundam super me animam meam*; & effundam lachrymas lubenti animâ, propterea, ut attraham literas istas; & tunc *movebo eas*: de supernis usque *ad illum* אלהים, ut sit אלהים ad instar illius.

§.37.

ובכאי בקול רנה והודה המון חוגג.

§.37. Et per quid (movebo)? *per vocem jubili & confessionis cœtus festantis.*

Commentarius Lorjensis.

§.34. Et quia in apparitione illâ festivâ requiritur כל sive omnis (quod est fundamentum masculinum;) & masculus & Jisraël, quæ omnia sunt masculina exsuscitationem in Sanctuario inferiore, quod est typus Basiliæ, facientia, & ibidem apparentia: hinc & in supernis ipsa Basilia accipit istud omne, ita ut ipsa quasi revera fiat masculus, & exornetur instrumentis masculinis, ita ut in ipsa appareat fœdus sanctum, prout in Intelligentia: quæ quamvis sit fœmina, tamen cùm unita est cum masculo, i.e. cum sex membris masculinis, quorum ultimum est fundamentum; tunc ipsa vocatur non בינה; verùm בן יה filius Jah, ita ut ipse & ipsa penitus sint unum. Atque sic idem quoque accidit Basiliæ per exsuscitationem inferiorum supradictam, ut ingrediatur Jod, & egrediatur He, & ipsa fiat בן יה filius Jah. Nam sicut Mater superna manifestatur & vestitur per mysterium benignitatis, quæ in Sapientia, quod est mysterium literæ Jod in particula מי, quod denotat misericordias: sic Mater inferior manifestatur, & vestitur per quinque severitates, quæ proveniunt à Severitate, quæ in gradu pulchro, & porrò deorsum, quæ sunt quinque, nempe litera ה; quia sunt judicium, unde provenit litera ה in particula מה, quâ vestitur מ inferius, tanquam per quinque severitates, quæ sunt quinque portę provenientes è quinque severitatibus latentibus intra quinquaginta portas Intelligentiæ: quo pertinet illud, quod dicitur de poculo Benedictionis, quod licitum est residere in quinq; digitis. Jam igitur per adventum masculi exeunt quinque hæ severitates, & intrat mysterium benignitatis, quæ in Sapientia; eodemque vestitur Mem Matris inferioris, eodem modo ut mater superna. Quin etiam sex membra Intelligentiæ matuò ipsi conceduntur, ita ut vestiat sex membra masculi superni, fiatque masculus, & vocetur אדון Dominus, nimirum propter Dominum ipsum: ubi deinde fit אלהים, sicut mater ita & filia.

§.35. Sciendum enim, quod ab initio ipsi desint quinque Benignitates è quinquaginta portis; quoniam ipsa est judicium. Quare etiam vocatur מה: sed quando est אלהים, sive denarius in ipsam introit, propter accessum quinque benignitatum: & tunc est מי perfecta, juxta omnes quinquaginta portas, secundùm numerum particulæ, מי i.e 50. Hinc Jod illud separabile est à litera Mem, actuque tollitur cum ipsa constatè quinque severitatibus; & accedit, cùm in ea comprehenduntur etiam quinque benignitates, provenientes scilicet à Sapientia, quæ est radix istarum benignitatum.

§.36. Sensus ergò dicti allegati è Psal. 42 v. 5. est hic. Per אלה intelliguntur sex membra, quæ in Intelligentia, quatenus ista vestitur sex membris gradûs pulchri, qui est masculus. Et vox אזכרה recordabor, descendit à radice זכר, quæ etiam habet significationem masculinitatis. Et effundam super me, i.e. superinducam mihi: quasi nimirum loqueretur Mater superna. Vel etiam particula עלי super me idem est ac עלי

i. e. super literam Jod, quæ est in vocula יְ, quæ nimirum deduci debet in Basilian. Et vox אשפכה idem videtur ac אשפיך ה id est, effundam quinque, ut respiciatur illud quod dictum est in textu: Exit He & intrat Jod. *Animam.* Hæc est Psyche Davidis, i. e. gradus Basiliæ. Quando autem hoc fiet? *Quando transibo in numero*; i. e. quando apparebunt numerati sive masculi: quoniam fœminæ non numerantur. *Et tunc movebo te*, & detraham illa deorsum usque ad domum אלהים, quæ est Basilia, quoniam hæc tunc vocatur Elohim.

§. 37. Et huc pertinet illud Psal. 82. v. 6. Ego dixi Divos &c. verè sicut homo moriemini. Nam gradus אני Ego est Basilia, cui tribuitur facultas dicendi, cui similis dicitur populus Israëliticus, ut etiam obtineant nomen Elohim. Cùm autem committerent peccatum vituli, & separarent gradus אלה; tunc remanebat מה, cujus numerus 45. quem etiam conficit vox אדם homo: unde dicitur. Sicut homo moriemini. Quoniam descenderant è loco suo, in quo hactenus fuerant nimirum è mysterio Intelligentiæ, & postmodum opus habebant precibus & lachrymis, ut restituerent nomen אלהים in tribus Festis, ubi ascendere & comparere coram Domino tenebantur omnes masculi. Hinc post historiam de vitulo statim sequuntur præcepta de Festis Exod. 34. v. 17, & 23.

§. 38. Quod etiam hic dicit de effusione lachrymarum, paulò fusius exponendum est; ubi sciendum est, quòd homo inferior similitudo sit superni, ita ut os hujus analogiam habeat cum ore superno, & oculi ejus cum oculis superuis: unde cum excitatur inferior, excitantur etiam superiora. Os igitur repræsentat Intelligentiam, ita ut apertura oris sit Basilia Intelligentiæ: duo labia, Superatio & Gloria ejusdem: Lingua, Fundamentum & Pulchritudo: triginta duo dentes, triginta duæ semitæ Sapientiæ: palatum Sapientia ipsa: maxilla superior & inferior, Benignitas & Severitas; & guttur sit ipsa Intelligentia, quæ in Intelligentia. Unde patet, quâ ratione in ore repræsententur omnes decem Numerationes Matris. Quod autem supra os est, ad Sapientiam spectat. Nasus enim est Basilia Sapientiæ; oculi sunt Superatio & Gloria ejusdem: aures Benignitas & Severitas: frons Intelligentia ejusdem: interstitium quod inter oculos, Pulchritudo ejusdem: cerebrum Sapientia ipsa ejusdem; & cranium tandem Corona illius. E decem ergò Numerationibus Intelligentiæ prodeunt vox & verba s. locutio, i. e. gradus pulcher & Basilia; quoniam Intelligentia est Mater liberorum. Sed à decem Numerationibus Sapientiæ nihil manifestatur, quia ibi nil nisi cogitatio, & omnia sunt occulta.

§. 39. Cùm igitur homo attentè movet labia sua in precibus, ut detegat lumen decem Numerationum Intelligentiæ, illudque deducat ab ore i. e. Basilia superna, quæ in Intelligentia; dubium nullum est, quin septem lucernæ acceptura sint lucem maximam. Nam sicut ipse producit verbum & loquelam per decem partes oris; sic excitantur decem partes oris superni, ut edant vocem & loquelam supernam cum innovatione lucis admirandæ. Sed quando Mater superna claudit portas precum, quæ sunt labia, i. e. Superatio & Gloria Intelligentiæ: tunc è nomine אלהים literæ לך excluduntur, & remanet אם muta, quasi columba muta.

§. 40. Sed

§. 40. Sed Superatio & Gloria, quæ in Sapientia, sunt portæ lachrymarum, nunquam clauduntur; & cùm homo emittit lachrymas, & attentè meditatur, quomodo mitigare queat judicia; tunc Sapientia superna, quæ est mare magnum, eadem temperat, ut dulcescant in mari magno, sicut notum est. Duæ enim lachrymæ sunt radix judiciorum & corticum, locumque habent in Superatione & Gloria Sapientiæ, & descendunt in Sapientiam Intelligentiæ, quæ dicitur mare magnum, ibique mitescunt.

§. 41. N. cesse igitur est, ut Basilia vocetur אלהים ob duas causas: primò ob lachrymas istas, ut sedentur cortices & judicia per Sapientiam: adeoque tollatur ה, & introducatur י Sapientiæ. Et secundò, ut in ipsam deriventur sex membra Intelligentiæ per commemorationem oris, quod analogum est Intelligentiæ, sicut explicuimus.

Sequitur in Sohar.

אָז אִתְעַר שִׁתִּיקָה דִּילֵיהּ בְּגַוָּהּ מִקַּדְשָׁא לְעֵילָא וּבְגַוָּהּ מִקַּדְשָׁא לְתַתָּא׃

§. 38. Dixit R. Eleasar: Silentium de hoc ædificavit Sanctuarium superius, & ædificavit Sanctuarium inferius. (a.)

ANNOT.

(a.) *Id est, Cogitatione meâ intentus sui & meditatus sum mysterium partieulæ* מ, *unde constituitur nomen* אלהים, *quod est Sanctuarium superius: & simul meditatus sum structuram Basiliæ, quomodo & ista facta sit juxta nomen* אלהים.

וּבְרַעֲוָא מִשְׁתּוֹקָא בִּשְׁתִּים וּמִלָּה בְּסִלְעָ׃

§. 39. Et certè verum est (proverbium hoc:) Silentium duobus, vox autem sicio æstimanda est. (b.)

ANNOT.

(b.) *Sic enim & in Gemara, Tract. Megillah, fol. 18. c. 1. ad dictum illud Psal. 65. v. 2.* Tibi silentium laus est; *dicunt. Selectissima herba est silentium. De Deo multa facere, maxima ejus laus est: id quod dixit David Rex his verbis: Silentium tibi laus est. Advenit R. Dime, dixitque: In occidente sive in terra Israëlitica dicere solent: Verbum sicio; silentium duobus.*

מַה דְּאָמְרָא וְאִתְעֲבִיד מִשְׁתּוֹקָא בִּשְׁתֵּי מִדִּין דְּשִׁתּוֹקָא וְאִבְרוֹ חֵרֶשׁ עַלְמָן כְּחָדָא׃

§. 40. Quod (intelligendum de eo) est, quod diximus, & de quo desseruimus: (c.) sed silentium æstimandum est duobus; nam dum tacuimus, creati sunt duo mundi simul. (d.)

ANNOT.

(c.) *Id est. Verbum meum, sive discursus meus, quem supra habui, cùm dixi: Attollite in altum, &c. quem testari faciam de te, &c. fuit æquale sicio uni, id est, respexit gradum Regni.*

(d.) *Idinuit: se locum dedisse Patri suo, ut duos mundos simul conderet: sive de utroque gradu differeret. Aliter hæc etiam sic exponi possunt. Silentem non esse similem muto: quia hic vocatur Lapis & quasi inanimatus: Sed Silentium tunc locum habere, cum aliquis loquitur*

de certa quadam materia; & videt quod aliud novum desuper proponere queat explicationem: & ipse tacet, ut nova hæc audiat.

Commentarius Lorjensis.

§. 42. Dixit R. Eleasar, &c. Exstruxit Sanctuarium superius, quod est Intelligentia, quatenus superinduitur per sex membra gradus pulchri. Et Sanctuarium inferius est Basilia, quatenus ista similis est Intelligentiæ, ut vocetur אלהים sicut illa. Et hoc omne factum est per silentium R. Elieseris.

§. 43. Ista autem, quæ antea dixerat R. Eleasar, intellexerat de Sanctuario inferiore, quod vocari solet siclus.

§. 44. Sensus autem hic est: quod cùm exeunt verba talia ex ore cujusdam præsertim si quis signaturam habeat, & si anima ejus originem habeat de mundo Emanativo; tunc verba ejus Sympathian excitant in supernis pro dignitate animæ ejus, ita ut in ordinem & proportionem redigat Emanationem supernam. Unde si sermo ipsi sit, vel de Oeconomia superna Intelligentiæ, vel de Oeconomia infera Basiliæ; isti gradus secundum verba ejus prolata constituantur, ita ut supra novi creentur cœli & nova terra, prout alibi dicitur in Sohar. Unde intelligi potest, quomodo per verba R. Schimeonis ben Jochai creati sint duo mundi, Intelligentia scilicet & Basilia; quia nimirum ita de illis locutus fuerat, ut fundamentaliter possit intelligi.

Pergit Sohar.

אר שמעון מכאן ולהלאה שלומו דקרא דכתיב המוציא במספר צבאם·

§. 41. Dixit R. Schimeon: Abhinc & porrò perfectè exponi potest versiculus, cum scilicet scriptum est (Esa. 40. v. 26.) educens in numero exercitum eorum.

תרין דרגין אינון דאצטריך למתוי רשים כל חד מניהון חד דא דאתמר מ׳ וחד מ׳ דא עלאה וא תתא·

§. 42. Duo gradus sunt, quorum unumquemque oportet esse designatum (e): unus est ille, qui dicitur מה, & unus dicitur מ׳. Hic superior est, & ille inferior. (f.)

Annotat.

(e.) *Objectionem tacitam diluit: quia videtur dicendum fuisse: Attollite in altum oculos vestros, & videte, nam gradus Quis creavit illa; & producit, &c. cùm unum sit hujus propositionis subjectum: unde quæritur: quare dicat המוציא Ille qui producit, &c? quia videri posset hunc esse alium: Hinc dicit, duos esse gradus, &c. qui sunt Intelligentia & Regnum, qui ambo designari soleant per He emphaticum.*

(f.) *Rationem dat, quare duo illi gradus magis opus habeant He emphatico, quàm cæteris: quia unus est occultus, & unus est manifestus. Unde cùm dicitur המוציא ille qui producit, argumentum est, unum è duobus istis gradibus intelligi, sive occultum sive manifestum: ubi deinde ipsa materia declaratura sit, uter intelligatur. Unde cùm dicitur: Ille qui producit in numero exercitum eorum: ipse sensus te docebit, quod loquatur de Intelligentia, prout colligitur*

colligitur è voce numeri, &c. Sic etiam cùm dicitur: Ille qui producit panem de terra; ipse sensus docet, quod sit gradus terræ.

דא עלאה רשים ואם המוציא במספר צבאם·

§. 43. Hic superior designatur, cum dicitur: המוציא *educens in numero exercitum eorum.*

המוציא ההוא דאשתמודע ולית כוותיה כגונא דא המוציא לחם מן הארץ המוציא ההוא דאשתמודעא דא דרגא תתא וכלא חד·

§. 44. *Educens* est aliquis, qui notus est (ביגה) nec est ipsi similis. Eodem modò in alio loco: המוציא Qui educit panem de terra; ille, qui educit est notus, nempe gradus inferior (מלכות) omnia tamen sunt unum.

במספר שתין רבוא אינון דקיימין כחדא ואפיקו הילין לזניהו הילין לזניהו·

§. 45. *In numero.* Sexaginta myriades sunt, (g) quæ simul extant & producunt copias secundum speciem suam, quarum non est numerus.

Annotatio.

(g) *Sexaginta myriades conceptuum sunt, quos habet Arbor vitæ; gradui pulcher: respectu hujus enim sexaginta myriades fuerunt inter Israelitas.*

לכלם בין אינון שתין בין כל חילין דילהון בשם יקראי

§. 46. *Singula eorum*, id est, tàm illas sexaginta, quàm omnes virtutes illarum, *nomine vocat.*

מאי בשם יקרא אי תימא דקרא לון בשמהתון לאי הכי הוא·

§. 47. Quid hoc est, *nomine vocat?* dicesne, quod illos vocet nominibus suis? Nequaquam sic res se habet.

אלא בזמנא דדרגא דא לא סליק לעילא ואקרי מ׳ לא אוליד ולא אפיק טמירין לזניה אע׳א דכלהו הוו טמירין ביה·

§. 48. Verum (ut conserventur &) illo tempore, cum gradus iste non extollitur sursum, & appellatur מ׳ (&) nō generat nec producit occulta juxta speciem suam, quamvis omnia occulta sint in eo.

כין דברא אלה ואסח ק בשמיה ואקרי אלהים כדין בחולא דשמא דא אפיק לון בשלומו וא הוא בשם יקרא·

§. 49. Cùm autem creat אלה, & elevatur nomine suo, & vocatur אלהים: tunc in virtute nominis hujus deducit illa in perfectionem; & hoc est, *nomine vocat.*

בהדוא שם דילידך קרא ואפיק כל זינא וזינא לארץ קיימא בשלימותיה כגונא דא ארא קראתי בשם אלכנא שמי לאתקיימא בצלאל עד קיום אשלמותיך·

§. 50. Illo nomine suo vocat, & producit singulas species, ut illas stabiliat in perfectione sua, sicut illud (Exod. 31. v. 2.) *Ecce nomine vocavi* memini nominis mei, ad stabiliendum *Bezaleelem* in statu perfectionis suæ.

Commentarius Lorjensis.

§. 45. Dixit R. Schimeon: Abhinc & porrò, &c. Duo gradus hîc ulteriùs exponuntur, nimirum Caput structuræ supernæ & finis ejus: superior ut influat, & inferior ut recipiat: superior occultus, & alter manifestus: superior anima structuræ; & alter anima eorum, quæ infra ipsum sunt. Id quod innuunt verba illa: Hic superior, & ille inferior. Et ambo signantur per He emphaticum, quasi sint notoria & manifesta, unus inter superiora, & alter inter inferiora. Quoniam hic est mundus manifestatus, & alter est mundus occultatus. Ubicunque enim est He emphaticum, ibi denotatur vel He inferius, vel He superius.

§. 46. Cùm ergò dicitur הַמְצַיֵּא ille qui producit in numero exercitum eorum, intelligitur He superius, cui nihil est simile; quoniam illud vivificat omnia.

§. 47. Et hic gradus illa producit in numero: nam in Intelligentia continentur sex membra sub amplitudine generalissima, ita ut è senario appareant sexaginta myriades. Et hoc innuitur, cùm Propheta inquit: Ille qui educit in numero sexaginta myriadum, illa quæ simul ibidem congregantur. Nam omnia consistunt in Intelligentia modò quodam abstrusissimo: & illa eadem producit, deorsumque dimittit juxta varias species in mundo Emanationis, Creationis, Formationis, & Factionis: quæ omnia è supernis derivantur, & vocantur exercitus eorum. Nam è potentia sua in actum descendunt. Et hoc innuitur verbis illis: Et producunt copias secundum speciem suam, quarum non est numerus.

§. 48. Singula autem nomine vocat &c. Ubi notandum, quod post Emanationem producta etiam opus habeant conservatione & sustentatione, quò semper permaneant in illo influxu atque lumine, istudque ab iis nunquam tollatur. Et hoc intelligitur, ubicunque dicitur, aliquid vocari nomine, sicut infra dicitur: Commemoravi nomen meum ad conservandum illum. Unde R. Schimeon expressè dicit: non hanc esse intentionem, quod singulis imponat nomina post egressum suum: sed ad conservandum illa, ut nimirum radicentur post exitum suum, etiam illo tempore, cùm gradus hic non sursum elevatur, ut vocetur מִי; nec producit occulta in speciem suam, quamvis in illo abscondantur.

§. 49. Nam antequam creantur sex membra gradûs pulchri, in quibus occultari queat Intelligentia, etiam non prodeunt sex membra Intelligentiæ, nec possibile est eadem assequi ob naturam suam nimis abditam. Et hoc innuitur per verba illa: Non generat, nec producit occulta. Ubi duo notanda sunt. Nam cùm generat, intelliguntur duæ personæ, gradus pulcher & Basilia, nimirum hæc illum amplectens. Cùm verò dicitur

citur producere occulta in speciem suam, intelliguntur sex membra Intelligentiæ, quæ occultantur in sex membris gradûs pulchri. Nec mirum tibi hoc videatur, quia per אֱלֹהִים ubique hîc intelliguntur sex membra gradus pulchri. Et sensus est hic quamvis valdè profundus; quod Mater superna emanando producat sex membra gradûs pulchri, ut in illis possit occultari. Et hoc innuitur per verba hæc: creavit אֱלֹהִים ista: nam ista in ipsa latebant occultata quam abditissimè sub symbolo literæ ו, quæ includitur in ה superno. Hoc autem Vau intra He delitescens nullum habet caput, quia tantum sex membra sunt. Tunc ergò Intelligentia ascendebat in Sapientiam, ut ab illa acciperet lucem. Et hæc dicitur imprægnatio, quod nimirum ceu mater imprægnata fuerit sex membris istis, ut incrementum acciperent à Sapientia, & ex benignitate severitate, pulchritudine, superatione, Gloria & fundamento, fierent Sapientia, Intelligentia, Cognitio, benignitas, severitas, pulchritudo. Sic litera ו accipiebat caput, & apta nata fiebat, ut esset litera Tetragrammati. Et intra sex hæc membra occultabantur sex membra Intelligentiæ. Hæc est mens verborum illorum, quod aliquando gradus iste non ascendat, id est, in Sapientiam, ut incrementum acquireret sex membris istis, & ex illis fierent Sapientia, Intelligentia, Cognitio, Benignitas, Severitas, Pulchritudo, quæ dicuntur Microprosopus.

§. 50. Et sex ista membra primò tantùm erant quasi effluxus seminis, denotatus per tractum literæ Vav. Nam Benignitas descendebat à Sapientia; Severitas ab Intelligentia; Pulchritudo à Cognitione: porrò Superatio à Benignitate; Gloria à Severitate, & Fundamentum à Pulchritudine. Et propterea dicuntur in utero substitisse per duodecim menses. Et huc pertinet illud Deut. 3. v. 26. וַיִּתְעַבַּר יְהוָה בִּי quod vulgò vertitur: Et exarsit Dominus mihi: sed etiam verti potest: Et in imprægnatione fuit Tetragrammaton duodecim, id est, mensibus: nam vocula בִּי refert numerum 12. Et huc referuntur duodecim signa Zodiaci, quæ sunt duodecim variationes Tetragrammati. Prodierunt autem foras ceu litera Vav Tetragrammati; hinc non potest proferri hæc litera Vav, nisi aliud Vav cum ipso pronuncietur. Postquam autem prodierunt ab illa, ipsa Mater sex sua membra recondidit intra sex membra hæc. Et nisi creata fuissent sex ista membra, quæ sunt litera Vav, & sese habent ut effluxus seminis; nulla fieri potuisset generatio, nec mater in illis potuisset occultari. Postquam autem ipsa in his occultari potuit, & hæc אֵלֶּה seu ista sex membra creata essent, ipsa vocata est אֱלֹהִים, & illis imprægnata est, eadem progeneravit & produxit in majori perfectione, quam antea habuerant, quoniam incrementum acceperunt, prout diximus. Et hæ sunt plantæ illæ, quæ dicuntur fuisse ut cornua locustarum, & excrevisse duodecim mensibus. Et hoc innuitur per verba illa: Et produxit illa in perfectionem. Hinc nullum aliud nomen est, quò sustentari potuissent, vel sexaginta myriades illæ, vel omnes exercitus eorum, postquam prodierunt, nisi nomen hoc Elohim, per quod producta sunt omnia secundum speciem suam, tàm in Emanatione, quàm in Creatione,

&

& Formatione & Factione: quæ omnia stabilita sunt in perfectionem suam per nomen hoc, imò & conservantur post exitum suum per nomen hoc, ita ut non desinant esse sexaginta myriades, prout infra dicetur: quæ omnia fiunt per nomen hoc Elohim, quod est in Intelligentia.

§. 51. Ne autem explicatio hæc videretur coacta, allegat dictum illud Exod. 31. v. 2. Ecce vocavi nomine Bezalel &c. Ubi non sensus est, quòd hic tùm demum acceperit nomen hoc: sed quod Deus benedictus meminerit nominis sui magni, ut Bezaleli tribueretur vis & stabilitas & perfectio admiranda, quò posset fabricare tabernaculum, & intelligere mysteria ejus: sicut de Bezalele dicitur, cum potuisse transmutare literas illas, per quas facta erat creatio cœli & terræ. Phrasis ergò hæc, vocare per nomen, hoc infert, quod demissum fuerit auxilium à decem literis Tetragrammati in animam Bezalelis, ita ut hæc exurgeret in decadem citra involucra, & acciperet firmitatem & potentiam, ut capere posset lucem illâm copiosam: prout ibidem dicitur v. 3. Et replevi eum spiritu Elohim.

Sequitur in Sohar.

מרוב אנוס. מאי מרוב אנוס דא ריש דרגין דסליקין בה רעותין ואסתלקו ביה בארח סתים.

ואמין כח דא רוחא דעלמא עלאה דאסתלק בשם אלהים כרקאמרן.

איש לא נעדר מאתן שתי רבוא דאפיק בחילא רשם ובגין דאיש לא נעדר בכל אתר דמיתו ישראל ואתעשו בחוביהון אתמנן ולא אשתר מאתן שתין רבוא אפילו חד בגין למהוי כלא ויוקנא חדא כמה דאיש לא נעדר לעילא אוף הכי לא נעדר לתתא:

§. 51. *Præ multitudine virium*: Quid est præ multitudine virium? hoc est principium graduum, in quem exaltantur omnes voluntates, & elevantur in eâ viâ occultâ.

§. 52. *Et fortis potentiâ.* Hoc est mysterium mundi superioris, qui exaltatur in nomine אלהים, sicut diximus.

§. 53. *Vir non deficiet*: id est, ex illis LX myriadibus, quas producit virtute nominis, & quia vir non defecit: hinc omni loco, ubi mortui sunt Israelitæ, & puniti sunt in punctis suis, numerus tamen mansit, & non defecit ex illis LX myriadibus ne unus quidem, (h) ut omnia essent similitudo una, & sicut vir non deficit superius, ita etiam non deficeret inferius.

ANNOTATIO.

(h) *Si dicas: At quid scriptum est*; 1. *Reg.* 19. *v.* 18. *remanere feci in Israël septem millia, omnia genua, quæ non curvaverunt se &c. fortè respondendum: hunc locum intelligendum de Regno Israelitico, ubi omnes erant mali & peccatores ut Reges ipsorum. Sed in Regno Jehudah omnes erant justi, & non deficiebat numerus sexaginta myriadum.*

Commentarius Lorjensis.

§. 52. Principium graduum &c. Hinc intelligitur Sapientia, quæ omnium graduum caput est: quia Corona nimium occulta est. Quin etiam Sapientia primitiva occultata dicitur ab oculis omnis viventis: quoniam etiam fundamentum, quod dicitur omnis vivens, & est effluxus guttæ seminalis è cerebro, quod vocatur Sapientia, non derivatur à Sapientia hac primitiva, quæ occultata est ipsi; sed à Sapientia illa, quæ vocatur principium, & caput graduum; & nomen Patris habet.

§. 53. Et hæc Sapientia vocatur multitudo virium; quia omnes gradus, qui vocantur Voluntates, huc usque ascendunt, sive sint in Microprosopo, sive in Uxore ejus sive in Matre superna. Nam frons Microprosopi & frons Uxoris ejus & frons matris supernæ, quæ omnes originem habent à detectione frontis summæ, quæ vocatur רצון seu bona voluntas, ascendunt usque ad Sapientiam hanc, ut ab illa accipiant lucem supernam: Ascendunt autem cum ipsa viâ occultâ, donec plane occultentur in ea: quoniam ipsæ non possunt capere lucem Frontis Senioris illius, quæ vocatur Bona voluntas, sicut notum est. In benevolentia autem hac superna manifestatur Benignitas summa & extenditur in Barbam usque ad influentiam, & manifestatur in ore matris, sicut dicitur in Idra. Nam gutta seminalis est Benignitas, quæ manifestatur in ore matris & introducitur in fœminam. Et gutta hæc vocatur אוֹן vis, potentia, sicut dicitur Gen. 49. v. 3. Principium אוני potentiæ meæ: ubi intelligitur gutta seminalis prima, sicut notum est.

§. 54. Intelliguntur ergò effluxus guttarum seminalium, quæ originem habent à voluntatibus, & vocantur אונים vires: hæ omnes veniunt usque ad Sapientiam hanc, sicut diximus.

§. 55. Et fortis potentia. Hoc est mysterium mundi superni, qui elevatur in nomen אלהים. Hic intelligitur Intelligentia in sex membris suis, per quæ adipiscitur Nomen אלהים sicut explicuimus. Intelligentia enim est vocula כֹּ quæ latet in nomine חכמה id est, Sapientia, quæ dicitur quasi כֹּחַ מה potentia entis. Quamvis מה proprie sit Benignitas, sicut dicitur: Exod. 15. v. 6. *Dextera tua Domine magnificata est in* כֹּחַ *potentia.* Sed intelligentia vestitur à Benignitate quæ in Sapientia, quæ est litera י è vocula מִי sicut diximus: & per illam vestitur à sex membris & elevatur in nomen אלהים.

§. 56. Sensus igitur est hîc, quod ad generandum sexaginta myriades in mundo superno & ad producendum occulta in species suas necesse sit ut omnes voluntates seu præreses generandi ascendant illuc usque, in sapientiam scilicet, quæ vocatur Pater; ubi deinde omnes guttas accipit Mater superna & ab iis imprægnatur, easque foràs edu-

cit in perfectionem. Et hæc est explicatio verborum istorum: Præ multitudine virium & forti potentia. Nam per multum valentem viribus, qui est Pater; & fortem potentia, quæ est mater, ista educit in numerum exercitum eorum: ut ne unus quidem deficiat ab illis sexaginta myriadibus supernis. Quia illuc usque nulla pertingit corruptela nec peccatum, nec ulla ablatio luminis. Unde quamvis Jisraëlitæ peccarent in deserto, non tamen deficiebat numerus iste. Sicut in mundo superno idem non deficit, ubi nulla est ablatio luminis. Notum enim quod generatio deserti fuerit à gradu Jubilæi, & sexaginta myriades Jisraëlitarum analogæ fuerint sexaginta myriadibus ejus; hinc nullus ex illo numero deficiebat, sicut in mundo superno.

FINIS.



PARS

PARS TERTIA

Quæ est

PNEVMATICA

CABBALISTICA.

Seu

Doctrina Hebræorum de Spiritibus,

nempe Angelis Bonis & malis; itemque de Anima.

PARTIS TERTIÆ TRACTATVS I.

PNEVMATICVS,

Cui nomen בית אלהים, seu Domus DEI, conscriptus Lingua Lusitanicâ

Auctore

R. Abraham Cohen Irira Lusitano è dogmatibus

R. Jizchak Lorjensis.

DISSERTATIO I.

CAP. I.

EDiscursu quodam Soharistico Libri Raja Mehimna seu Pastoris fidelis; ostenditur sublimitas DEI infiniti, Boni summi & primi; & quomodo ab illo dependeant quatuor mundi Emanationis, Creationis, Formationis, & Factionis.

§. 1. Moses Pastor ille fidelis tradidit dogmata sua Senioribus ipsum subsecutis; atque Prophetis; Hi autem viris Synagogæ magnæ; à quibus eadem accepit lumen illud R. Schimeon Jochaides, qui in Tractatu Raja Mehimna, ejusque loco in Exod. XIII. v. 2. sic inquit: Edit. Cremonens. part. 2. col. 73. Mant. f. 42.

אל מי תדמיוני ואשוה ודמא קדם דכרא דיוקנא בעלמא דצייר צורה דזה הוא יחידאי בלא צורה ודמיון ומאן דאשתמודע ליה קודם בריאה דאיהו לבר מדיוקנא אסור למעבד ליה צורה ודיוקנא בעלמא לא כאות ה ולא כאות י ואפילו בשמא קדישא ולא בשום אות ונקודה בעלמ ודאי אדון כי לא ראיתם כל תמונה מכל דבר דאות כזה תמונה וסיון לא ראיתם.

אבל בתר דעבד הוא דיוקנא דמרכבה דאדם עלאה נהית חסן

§. 2. *Cui assimilabitis me, ut illi evadam similis?* (Jeschaj. 40, 25.) Antequam enim crearet ideam in mundo, (id est, naturam quandam terminatam & intelligibilem;) & formaret figuram; ipse erat solus absque forma & similitudine, (id est, nec cognosci poterat, nec comprehendi ullô modô.) Quis enim cognosceret illum ante Creationem, cùm sit absq; omni idea sive figura. Prohibitum enim est de illo facere figuram, vel ideam quandam in mundo: nec per literam ה; nec per literam י, quamvis contineantur in Nomine sancto: nec per ullam literam aliam punctumve (aliud) in mundo. Et huc pertinet illud: Deut. IV. v. 15. *Non enim vidistis ullam similitudinem.* (i. e. Nihil omninò eorum, quæ formam vel figuram habent, vidistis.)

§. 3. Sed postquam fecit hanc ideam (id est, Naturam illam terminatam & intelligibilem, quæ

ואתקרי בההוא דיוקנא י' הוד בגין דאשתמודעין.

ליה בדמות דיליה וקרא אל אלהים שדי צבאות אה"ד בגין דאשתמודעין לי בכל מדה ומדה איך יתנהג עלמא אהם ד' ובדינא כפוש עובדיהון דבני נשא.

דאי לא יתפשט נהירוה על כל בריין איך ישתמודעון לי ואיך יתקיים מלא כל הארץ כבודו.

ווי ליה מאן דישוה ליה בשום מדה ואפילו מאלין מדות דיליה כש לבני האדם אשר בעפר יסודם דכלים ונפסדים.

אלא דמיונא דילידי כפוש שלטנותיה על חדוא מדה ואפילו על כל בריין דלית לעלא מהדוא מדה כי אסתליק מינה לירד לגו מדה ודא דמיון ולא צורה אלא כאתפשטותא דמיא דימא על מאנא דאיהו ארשא אתעבד דמיון ודכלילא למעבד חושבן חסן.

כגין המקור דימא דא חד נפק מיני מעין כפום אתפשטותא דילה בההוא מאנא כעגולא דאיהי י' הא מקור חד ומעין דנפיק מניה הא תרין. לבתר עבר מאנא דברבא כגין מאן דעבר חפירא דברבא אתקרי ים.

quæ sunt decem Numerationes) vehiculi (Adami) hominis superni; descendit eô ipsô, ut appellari queat per hanc ideam nomine Tetragrammato; ut cognoscerent illum (creata) in similitudine sua propria.

§. 4. Deinde quoque proposuit Nomina אל Deus gratiosus; אלהים, Deus rigorosus; שדי omnipotens, vel potiùs ἀυτάρκης: צבאות Deus Exercituum; אהוה imminens: ut cognoscerent eum (creaturæ,) juxta omnē proprietatem, quomodo nempe moderetur mundum per Clementiam, & per Rigorem, prout nempe se habuerint opera hominum.

§. 5. Nisi enim extenderet Lumen suum super omnia creata; quomodo cognoscerent ipsum? & quomodo verum esset, quod dicitur (Jes. 6, 3.) *Plena est omnis terra gloriâ ejus.*

§. 6. Væ illi, qui ipsum adæquaverit ulli modo (vel attributo;) quantumvis etiam fuerit aliquod ex Attributis ejus propriis! Multò magis si adæquetur Filiis hominum, quorum elementa sunt terrestria, quæ absumuntur & pereunt.

§. 7. Conceptus autem de eo fieri tantum potest eatenus, quatenus dominium exercet in aliquod attributum; [imò in omnes creaturas:] quo attributo nihil est superius: (intelligitur autem Corona.) Cum abstrahitur ab eo, attributum nullum habet, nec cōceptum, nec Ideam: sed tantùm est ad instar maris extensi per vas quod dam ingens; quale v. g. est terra; ubi mare sibi efficit concavam aliquam figuram, ut ibidem possimus inire ejusdem quendam computum.

§. 7. E. g. Scaturigo maris est unum quid. Si ex hac prodeat fons quidam secundum extensionem ejus in illud vas prodeuntem circulariter; prout est litera י: ibi jam scaturigo est primum quid; & fons ex illa prodiens secundum. Deinde faciat vas magnum, veluti si quis fodiat foveam magnitem, quæ vocetur

והוא מאא תליתאה והוא מאא
רבעא אתפליג לו׳ נחלין מאנן
כפוס מאנן אריכין. הכי אתכשט
מיא מן ימא. לשבעה נחלין והא
מקור ומעין וימא וד נחלין אינן׳
ואי אתברו אלין מאנן דתקין
והדרן מיא למקור וישתארן
מאנן תבירין יבשין בלא מיא.

הכי ערת העלוה עביד עשר
ספירות וקרא לכת׳ מקור וביה
ליה סוף לנביעו דנהורא. ובנין
דא קרא לגרמיה אין סוף וליה
ליה דמות וצורה. ותמן ליה מאנא
למתפס ליה למגדע בידה וידעה
כלל. ובנין דא כתיב במופלא
ממך אל תחקור.

לבתר עבד מאנא זעירא ודא׳
ואתקליא מינה וקרא ליה מעין
נובע חכמה׳ וקרא גרמיה ביה.
חכם ולחדוי׳ מנא קרא ליה
חכם ה׳.

ולבתר עבד מאנא רבעאה
וקרא ליה ים וקרא ליה בינ׳ה
והוא קרא לגרמיה מבין בה׳ חכם
מעצמו ומבן מעצמו׳ כי החכמה
אדני לא ארת קריאת חכמה
מגרמיה. אלא בגין דהוא מבין
דאם לי ליה מינה׳. ראי הוא
מסלק מינה אשתארת ובשתי׳
דה׳ אזלו מים מני ים ונהר יחרב
ויבש.

לבתר והברו לו׳ נחלי׳ לשבעה
מאנין יקרין וקרא לון גדול׳ה
גבור׳ה תפאר׳ת נצ׳ח הו׳ד יסו׳ד
מלכו׳ת. וקרא גרמיה גדול
בגדולה וחסיד׳ בבור בגבורה
מפאר בת׳ת מארי צחין קרבן

marc: Et hoc erit vas tertium. Hoc autem vas magnum dividatur in septem alveos fluminum; quælia sunt vasa oblonga: ita ut aquæ profluant è mari in septem flumina. Jam scaturigo & fons, & mare, & septem fluvii efficiunt decem.

§.8. Si autem frangantur illa vasa confecta; aquæ reverterentur ad scaturiginem; vasa autem remanerent confracta & sicca sine aquis.

§.9. Sic causa causarum fecit decem Numerationes, Coronamque vocavit scaturiginem: ibi enim nullus est finis scaturiendi lucem, & propterea vocavit hanc prout seipsum, infinitum namq; & hæc nullam habet similitudinem vel figuram: & ibi nullum est vas, quò comprehendi queat, quoque sciri possit ulla cognitione. Et propterea scriptum est Eccles. III. v. 21. *Altiora te ne quæsieris.*

§.10. Deinde construxit vasculum aliquod parvum, quæ est littera׳: & hoc implet, ex illa scaturigine, & vocatur fons scaturiens sapientiam: & in hoc se ipsum vocavit Sapientem: ipsum autem vas appellavit חכמה Sapientiam.

§.11. Porrò fecit vas magnum, quod vocavit mare: illi indidit nomen בינה, quod est Intelligentia. Ipse autem in hac seipsum vocavit intelligentem vel informantem. Sapiens autem est à seipso, & intelligens à se ipso. Sapientia autem ista non vocatur Sapientia à seipsa, sed propter illum intelligentem, qui adimplet se ex illa. Nam si ille tolleretur ab eo, Intelligentia maneret sicca. Hoc ipsum est, quod scribitur Jobi XIV. v. 11: *Abierunt aquæ de mari; & fluvius exiccabitur & arescet.*

§.12. Deinde loco hab et, quod dicitur Jes. XI. 15: *Et percutiet eum in septem flumina*; nimirum in septé vasa pretiosa, quibus nomina dantur sequentia. גדולה Magnificentia seu Benignitas: גבורה Rigor seu Justitia; תפארת Pulchritudo: נצח Victoria seu Superatio: הוד Gloria: יסוד Fundamentum: & מולכות Regnum: Et vocavit seipsum Magnum in magnificentia atque benignum; Robustum in Rigore; Pulchrum in Pulchritudine: Heroem vincen-

בנצח נצחים. ובחור קרא גרמיה
הוד יוצרנו וביסוד קרא שמים
צדיק ויסוד כולא סמיך ביה כל
מאנין וכל עלמין. ובמלכות קרא
שמיה מלך לו סגדולה והגבורה

והת׳ה כיכל בשמים ראיתו צדיק.
ולו המלכה ראיתו מלכות כולא
ברשותיה למחסר מאנין ולאוספא
בהון נביעו ולמחסר כפוס רעות׳
ביה ליר׳ת עליה אלהא אחרא
דיוסף ביה. וא יגרע ביה.

לבתר עבד משמשין לאלין
מאנין. כרכיין בד סכיין ושית
דרגין לכרסי הא עשר׳. ולא
איתו כרסיא כגון כוס דכרכ׳
ותקינו בהה עשרה רברבים. בגין
תורה דאתיהיבת בעשרה דברן׳
בגין עלמא דאיתו מעשה
בראשית דאתברי בעשרה
מאמרות׳.

ותקן לכרסיי׳ ככות לשמשא
ליה. דאינון מלאכי׳ אראלים׳
חיות׳ אופנים׳ השמלים׳ אלים׳
בני אלהים׳ אשים׳.

ולאלהעביר משמשן סמאל וכל
כתיבהילה. דאינון כענגים למרכב
ברון לנתתא לארעא ואינון
כסוסין לרתון ומכלן רענגים אקרין
מרכב דכתיב הנה ה׳ רוכב על
עב קל ובא מצרים. ודא ממנא
דמצרים ומיד רחזו די אלוהא
די הוא ממנא דלהון חזו כסוסא
תחות׳ מרכבתיה׳ דק כה׳ מיד
ונע אלילי מצרים׳ נעו מאמנתא

vincentem in pugnis. In Victoria Victoriarum; & in Gloria se ipsum vocavit Gloriosum Conditorem nostrum in Fundamento autem assumsit sibi nomen Justi. Fundamentò autem nituntur omnia, omnia vasa, & omnes mundi. Et in Regno sibi indidit nomen Regis: Cui juxta illud 1. Paralipp. XXIX. v. 11. *sit Magnificentia, & Potentia, & Pulchritudo, &c. quia omnia quæ in cœlis*; Hic intelligitur Justus: & *ipse sit dominium*: ubi intelligitur Regnum. Omnia autem in arbitrio ejus sita sunt, sive velit destituere vasa, sive augere influxū scaturiginis eorum, sive iterum destituere ea, prout voluerit. Nec enim supra se habet DEUM alium, qui quicquam ipsi addat, vel ab eo diminuat.

§.13. Deinde fecit ministros pro illis vasis: Thronum nempe quatuor fulcris & sex gradibus constantem, quæ ibidem sunt decem: & omnia vocantur Thronus, prout & in calice Benedictionis instituerunt decem requisita; quia Lex data est decem verbis: Et quia mundus, qui est opus Creationis, creatus est decem elocutionibus.

§.14. Thronum autem instruxit certis turmis, quæ ministrarent ei, sunt que Malachim sive Angeli; Arelim Jesa. XXXIII. v. 7: seu prævalidi, leonini; Chajoth sive Animalia; Ophannim sive Rotæ; Chasmalim sive fulgores: Elim sive Dii; Bne Elohim sive Filii DEI; Ischim sive Viri.

§.15. Et istis iterum fecit ministros, Samaëlem & omnes turmas ejus: quæ sunt quasi Nubes, ut insideant eis; cum descensuri sunt in certam: sunt; quasi equi illorum. Unde autem hoc nobis, quod Nubes vocentur vehiculum tale? quia scriptum est, Jes. XIX. v. 1: *Ecce DOMINUS equitans super nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Ubi intelligitur Præfectus Ægyptiorum. Et statim cùm viderent, quod DEUS eorum, qui erat Præfectus ipsorum, quasi equus esset sub curru Sancti illius, qui benedictus sit! Mox sequitur: *Et movebunt se idola Ægypti*, i.e. nutabunt à fide sua: *Et cor Ægyptii li-*

דלתין ולב דלהין כמס
כרונג מהויא אמונך
ואברין וכי ער כען (ממנא)
לילין בסוסיא· הוה נע
לבהין מאמונה דלהון ונמס
כרונג ומגן דימס לשין
נמס כרונג כר׳א חיוה לבי
כרונג נמס בתוך מעי·

pte liquefiet ut cera, nempe deficiet à fide priore, dicentque: An ergò qui hactenus Præfectus noster fuit, ad instar ejus est? Sic cor eorum dimotum est à fide sua pristina, liquefactumq; ut cera. Unde autem habemus, quod vox יחס idem fit ac liquescere ad instar ceræ? Quia dicitur Psl. XXII. v. 15: *Fuit cor meum sicut cera; liquefecit se in medio viscerum meorum.* Hactenus verba Lucernæ sanctæ luminis Legis. Adeoque cessavit gaudium inferiorum, & amotum est cor eorum à superstitione priore, cessavitque influxus eorum, qui erant super ipsos, Principesque & Capita & Ductores eorum: quia cessabat ab eis influxus continuatus, & flumina eorum, nempe flumina Ægypti superioris exiccabantur: unde peribat spes eorum, nec cor habebant amplius, quippe quod ad instar ceræ liquefactum erat in ipsis.

Cap. II.

IN quo dividuntur Spiritus impuri, qui apud nostrates vocantur Cortices, in decem genera. Porrò disseritur & de triplici genere in quod speciatim dividuntur: Et per discursum quendam Sohariſticum explicatur, quod his correspondeant vacuum illud & inane atque tenebræ, quorum mentio fit in historia Creationis: Item ventus, nubes & Ignis, de quibus sermo est in historia Eliæ & Ezechielis.

§. 1. Ex eo, quod dictum est cap. præcedente, sequitur: quod præter decem Numerationes Sanctas, quæ emanant è causa prima; & præter Thronum Gloriæ, intra quem immediatè inseruntur decem istæ Numerationes, & ex illo in duobus mundis inferioribus apparent & dispertiuntur, (quanquam & ipse Gloriæ thronus dividatur in decem turmas:) porrò & præter decem turmas Angelorum, qui throno isti ministrant & inserviunt; tandem ex adverso horum & sub pedibus eorum quoque reperiantur decem genera Spirituum aliorum, qui inferiores sunt illis atque impuri: ita ut comparari queant illorum respectu cum equis, qui ab illis tanquam insessoribus suis diriguntur, moventur atque reguntur, ita ut procedant juxta arbitrium Spiritus, qui illis insidet. Suntque ad instar nubium, intra quas subintrat lumen solis è cœlo descendens per illas transiens ad terram usque, prout deducitur in Tikkunim sive Supplementis Sohariſticis, suppl. 18. fol. 36. a. Ubi R. Schimeon Jochaides inquit: Gradus sive genera corticum esse decem ad instar Numerationum. Ubi porrò quoque diserte exponit nomina eorum his verbis.

כעוב׳ דאינו מלכות קדישא רבו
איהו מלכות חיבא· כעוב׳ דמילוי
איהי ערלה ותמן סמאל ערל
ובת זוגיה ערלה נחש ואשת
זנונים· לקבל תרי ורבי קשוט

§. 2. Sicut datur Regnum sanctum: sic quoque datur Regnum iniquum. Sicut datur ei circumcisio: sic datur & præputium, ubi est Samael præputiatus & uxor ejus; nempe præputium, serpens, & mulier adultera.

מסטרא דסמאל תומיאל תויאל
ולקבליהו אתמר תהומות וכסמי
ירדו במצולות כמו אבן (שמו׳ ט׳)
לקבל עמוד דאמצעית איהו עוגיאל
ומתמן עוג מלך הבשן· מסטרא
דתרין דרועין אינן אנגיאל עזיאל
מתמן אנג ובידיה כי גאה גאה
סוס ורוכבו רמה ביה (שמות טו) עזיהל
מתמן עזואל· ומתמן עזא ועזאל
ואידך חזריאל יכרסמנה חזיר
מיער (תלים פ) ועלידה אתמר ועל
חזבך תחזה (בראשית כז) ואידך
שעריאל דתמן שערא בישא ואידך
עשו איש שעיר ומתמן שער באשדד
ערוד ועלידה אתקף האוא דאתמר
ביה עוי וזמרת יה ויהו לי לישועה
(שמו׳ טו) וי׳ איש מל חמת וי׳ שמי
וגו׳ (שם) לקבל בינדד דאתמר אלף
בינדד אין אלופי עשו· לקבל
חכמה אדם בליעל איש אף· לעילא
כתריאל לקבל כתר עליון ומתמן
כרת לכל אלין דשרין על אוירוא·
ואינון כתרין תתאין אינן קליפין לעשר
ספירן· ועשר ספירן מוחא בנוויתי·
ואלין קליפין אינן מחיצה בין ישראל
לאבוהם שבשמים· באלין קליפין
מתלבש קב״ה ושבעתידה לקיימא
בשבעתידה ומלכותו בכל משלה
(תלים קג) ולקיימא בידה כי מלך
על כל הארץ אלקים. אבל לעילא
באתריה אתמר לו יגורך רע (תלים ו)

Respectu duorum femorum Veritatis ex parte impura sunt Theumiel & Thumiel: de quibus dicitur Exod. XV, 5. *Tehemoth abyssi operuerunt eos, descenderunt in profunda sicut lapis.* Respectu columnæ mediæ est Ogiel, unde prodiit Og rex Basan. Ex parte duorum brachiorum Aganiel & Usiel: Exinde prodiit Agag; Ethuc pertinet locus Ex. XV, 1: כי גאה גאה *Quia magnificando magnificatus est, equum & ascensorem ejus projecit in mare.* Ab Usiel autem prodierunt Asa & Asael. Et iste est Chasariel ex loco Psalm. LXXX, 14. *Consumsit eam* חזיר מיער *aper de silva.* Et de eo dictum est Gen. XXVII, 40. *Et in gladio tuo vives.* Et iste est Saariel, unde provenit procella pessima: & iste est Esav vir pilosus; unde dictum est: Capillus in fœmina ignominiosus est: & isti prævaluit ille, de quo dicitur Exod. XV, 2. *Fortitudo mea & laus* DOMINUS, *& fecit mihi salutem*: & v. 3. DOMINUS *vir belli*, DOMINUS *nomen ejus* &c. Respectu Intelligentiæ; quia dicitur: *Disce intelligentiam*; sunt illi Duces Esav; Respectu Sapientiæ Adam Belial, vir perversus. Desuper autem Catharel respectu Coronæ summæ; & exinde provenit כרת excisio super omnes illos, qui transgrediuntur Legem, & istæ sunt Coronæ inferiores illorum Corticum juxta decem Numerationes: & intra decem Numerationes est medulla. Et isti Cortices sunt paries intermedius inter Israelitas & Patrem eorum, qui in Cœlis est. Illis Corticibus involvitur Sanctus ille q. b. s! & Gloria ejus cohabitans: quò confirmatur id, quod de Schechina dicitur Psal. CIII, 19: *Et regnum ejus omnibus dominatur*: nec non illud, quod dicitur Ps. XLVII, 8. *Quoniam Rex super omnem terram DEUS.* Sed supra de loco ejus dicitur Ps. V, 5. *Non habi-*

אלא קליפין דילה לעילא אינן לבושין מכסה גוונין שפירין דנהורא מנהון אתפשט קדש בגלותא ואתלבש באלין אחרנין בגין לנטרא לישראל דאינן מתלבשין באלין קליפין ודא אידו בכל צרהם לו צר כו׳ (ישעיה סג) ודא אידו רזא כי אם עונותיכם היו מבדילים ביניכם לבין אלקיכם (ישעיה נט) ותעיד קבה לאבראא אלין קליפין מנה ולאתחזאה לישראל במוחא לגאו תתי׳ ולא יכנף עוד מוריך והיו עיניך רואות את מוריך (ישעיה ל) ולא יהיה מחצה בין קבה׳ ובין ישראל׳ וכמצא דשער ספירן מתלבשן באלין קליפין אלין דיתיין בקליפין עברין אומאה בשמהן ובחויות רקבה לאלין קליפין ובטלין גורה׳.

habitabit juxta te malus. Sed Cortices ejus superius sunt vestimenta multorum colorum pulcherrimorum & luminosorum, quæ exuit Sanctus ille Benedictus in exilio, & vestitur istis aliis, ut observet Israëlitas, qui vestiti sunt his Corticibus: unde dicitur Jesa. 63, 9: *In omni angustia eorum ipsi angustiæ est.* Et huc pertinet mysticum illud Jes. 59, 2: *Quamvis iniquitates vestræ diviserunt inter vos & inter DEUM vestrum.* Futurum autem est, ut Sanctus ille Benedictus tollat à sese istos Cortices, & intueatur ad Israëlem in medulla interna: sicut dicitur Jesa. 30, 20: *Et non elongabitur ultra Doctor tuus, & videbunt oculi tui Doctorem tuum*, nec amplius erit paries intergerinus inter Sanctum illum Benedictum, & inter Israëlem. Et quando decem Sephiræ vestiuntur istis Corticibus, illi, qui notitiam habent Corticum, instituunt conjurationes per Nomina, & per Revolutiones Tetragrammaticas Sancti illius Benedicti contra illos Cortices, & annihilant decreta. Hactenus Tikkunim.

§. 3. Ex dictis ergò apparet, decem esse Dispositiones & Gradus Corticum: quorum nomina sunt: Catharîel, Adam Belial, seu Vir perversus, Duces Edom, Aganiel, Usiel, Ogiel, Thomiel, Theumiel, Samael & Lilith. Item quod Samaël idem sit ille, qui vocatur præputiatus; & Lilith vocetur præputium: & ista est serpens antiquus & mulier fornicatrix, de quibus loquitur Salomo Rex.

§. 4. Porrò dicit, quod sint decem Coronæ inferiores, nempe Cortices, ex adverso decem Numerationum Sanctarum, quæ sunt in interioribus Throni Gloriæ & Angelorum ministrantium, suntque quasi medulla intima & fructus amabilis atque dulcissimus omnium mundorum. Quicquid autem externum est, isti sunt cortices ambientes; qui sunt intermedium distinguens inter Israëlitas & Patrem eorum cœlestem.

§. 5. Et cùm Sanctus ille, qui benedictus sit! qui est Seir Anpin, seu Microprosopus, qui combinat lapides structuræ & sex extremitates, nec non regnum, quod est Schechinah seu Gloria cohabitans, interdum vestiuntur istis modò supradictò, mediantibus gradibus duorum mundorum Creationis & Formationis; id eo fine tantùm fit, ut humiliem, frangantque & subigant illos. Quamvis illis quoque utantur ceu

ceu exactoribus sævis atque lictoribus, ut iisdem corripiant plectantque impios peccatores.

§. 6. Et in Tikkunim fol. 10. a. dicitur: שפחה בישא איהי חרבן עלמא ובגין דא אתמר בה והארץ היתה תהו ובהו׳ ואיהי רצועה בידא דקבה לאלקאה בה חייבא׳ Ancilla prava est vastatio mundi &c. estque flagellum in manu Sancti illius Benedicti, ut eodem verberet peccatores.

§. 7. Et tandem ut manifestum fiat atque verificetur, quod Regnum & Gloria cohabitans inferior omnibus dominetur; quodque maritus ejus regnet super omnem terram: sicut dicitur Ps. 47, 8. *Quoniam Rex super omnem terram est Elohim.* Desinit autem hôc dictò Ps. 5, 5: *Non habitabit tecum malus:* De quo etiam sermo est in Sohar ex loco alio Esth. 4, 2: *Quia non fas est intrare in portam Regis in veste sacci.* Ubi postquam dictum erat etiam in summo concipi partem posticam & externam, verba hæc sequuntur: אלין קליפין דילידה לעילא אינן לבושין מכסה גוונין שפירין דנהורא מנהון אתפשט קדש בגלותא ואתלבש באלין אחרנין לנטרא לישראל דאינן מתלבשין באלין קליפין׳ ודא אידו בכל צרהם לו צר׳ id est, Isti Cortices ejus superni sunt vestimenta multorum colorum pulcherrimorum & luminosorum, quæ exuit Sanctus ille Benedictus in exilio, vestiturque istis aliis, ut observet Israëlitas, qui involuti sunt istis corticibus. Et hoc ipsum est, quod dicitur Jes. 63, 9: In omni angustia eorum ipsi angustia est. Quibus ostenditur, dari Cortices alios sanctos, quibus mediantibus vestiatur Schechinah istis inferioribus impuris nubilosis atque nigris, qui sunt quasi paries distinguens inter Israëlitas atque DEUM, juxta Esa. 59, 2.

§. 8. Tandem autem inquit futurum esse, ut Sanctus ille Benedictus abjiciat cortices illos à se, intueaturque Israëlitas medullâ internâ &c.

§. 9 His positis adduci potest locus quidam è Raja Mehimna, quô traditur: לעילא באילנא דחיי לית קליפין כי אין לבא אל שער המלך כלבוש שק׳ לתתא אית קליפין במטטרון דאיהו בעמודא דאמצעיתא׳ דבוסמא דקבה׳ לב דמלכותי׳ אתכסי בגופין ואנפין דעבד דיליה׳ דהוד וירכב על כרוב ויעף ואינן קליפין דסחרין לארבע חיון דמטטרון׳ אינן תהו ובהו׳ רוח חזק מפרק ההים ומשבר סלעים לא ברוחה׳ ברוח ואחר הרוח רעש לא ברעש׳ ה׳ וא תרין קליפין ירוק וחויר דקליפין דאנוזא וכו׳ In supernis in arbore vitæ Cortices nulli sunt, juxta Esth. 4, 2. Infra autem Cortices sunt in Metatrone, qui est in columna media. Quandoquè enim, quando Sanctus ille Benedictus est extra Regnum suum; contegitur alis atq; faciebus servi sui, sicut scribitur Ps. 18, 12. *Et equitavit super Cherub & volavit.* Et isti sunt Cortices, quiambiunt quatuor animalia Metatronis, sunt q; Tohu, inane illud Gen. 1, 2. Et hoc loco ventus validus. 1. Reg. 19, 11: *Dissipans montes & confringens petras, & non in Spiritu DOMINUS.* Item Bohu illud Gen. 1, 2. & juxta 1. Reg. 19, 11. *Post Spiritum fragor terræ motus, non autem in terræ motu DOMINUS.*

Isti sunt duo Cortices, viridis & albus è Corticibus nucis &c. Unde patet locum Corticum esse inferiùs, nimirum in Metatrone, qui similis est gradui Thiphereth columnæ mediæ. Quoniam quando Sanctus ille Benedictus degit extra palatium regnumque suum, i. e. quando non congreditur copulaturque cum Regno, influitque atque operatur in eo: tunc contegitur atque occultatur sub alis servi sui Metatronis, sive Mundi Formationis. Deinde enarrat Cortices, qui cingunt quatuor animalia sancta Angeli Metatronis: sunt que (1) Tohu Genes. 1, 2. & ventus turbinis veniens ex aquilone juxta Jecheskiel. Et ventus magnus & validus in historia Eliæ. (2) Bohu Genes. & Nubes Jecheskeelis; & terræ motus Eliæ. (3) Tenebræ Genes. & ignis utriusque Prophetæ, in quo etiam non erat DOMINUS. (4) Et tandem Spiritus Elohim Genes. & splendor in circuitu apud Busiadem; & vox silentii tenuis apud Eliam, in qua DOMINUS.

§. 10. Hæc ut explicemus, utemur manuductione R. Mosche Corduero: dicemusque: quod Arbor Vitæ generatim loquendo sit Mundus Emanativus; speciatim verò gradus Tiphereth, quatenus complectitur sex Sephiroth structuræ, ubi nulla est destructio atque mors; sed beatitudo atque vita æterna. Sed in Corticibus ambientibus & circumdantibus Metatronem sive Mundum Formativum, & Spiritus humanos cum ipso unitos & applicitos; in illis atque ibi invenitur mors, luctus atque privatio, quæ ab istis accipiunt inferiores.

§. 11. Sciendum autem est, quod *arbor cognitionis boni & mali*, prout dicitur in Tikkunim, referatur ad Regnum. Numerus enim vocabuli עץ i. e. 160; similis est numero nominis Tetragrammati, quod eidem appropriatur per lumen Emanativum hôc modô: Denarius quinquies sumtus efficit 50; & sic ordine inversô, unde 100: Senarius quinquies sumtus efficit 30; & sic ordine retrogradô, unde 60, juxta numerum vocis עץ. *Daath sive Cognitio* est Tiphereth sive sex Sephiroth structuræ: & cum illis & intra illas tres primæ, quæ sunt intelligibilia superna. *Bonum* est Metatron, & totus mundus Formativus. *Malum* autem est Samael, & totus exercitus societatis ejus, qui sub bono Angelico & Metatrone lapsi sunt in ipsum malum & defectum suum.

§. 12. Sed cùm Arbor ista dicta, quæ unitur cum objectis intelligendi summis per radices suas, extenditur ramis suis ad Metatronem, qui dicitur Bonum, estque mundus Formativus: & ad Samaëlem, qui dicitur malus; sunt que decem Cortices inferiores; tunc non verè est Regnum Emanativum, sed Creativum sive Throni Gloriæ, prout notum est, quod in quolibet mundo sint decem Sephiræ. Sed si arbor ista dicta est Regnum Emanativum: tunc non immediatè unitur cum bono Metatronis, & exinde descendit ad malum Samaëlis; sed mediantibus decem Numerationibus Creativis, ita ut Cortices, qui sunt Samael & turma ejus, sint sub Angelis & Metatrone Duce exercitus eorum: sunt que illorum quasi servi, nubesque, & equi, & illi sunt insessores præfectorum mundi Factivi infimi & vilissimi. Si autem interdum appropinquent, ut videant amœnitatem Sanctitatis, ut ibi quo dam accusent, accipiantque licentiam puniendi peccatores in animabus suis inferioribus; hæc tantùm illa Sanctitas est, quæ extenditur & involvitur Formationi: ulterius autem non ascendunt, quia non licet intrare in portam Regis vestitum saccô.

§. 13. Notum autem est veris Philosophis, quod istorum Corticum desiderium unicum sit, ut assimilentur Numerationibus superioribus Emanativis, sicut simia homini similis est & operationes ejus imitatur: ita ut sicut Divinitas ista Emanativa dispesciturin decem turmas atque gradus. Et sicuti ista dividitur in tres lineas Clementiæ, Rigoris & Amoris: sic & illi subsint tribus istis dispositionibus, quæ sunt Ventus, Nubes & Ignis, ut dictum suprà. Præter septem habitacula impuritatis, quæ quasi sunt carceres, in quibus ligantur & puniuntur peccatores, quæ sunt opposita septem Palatiis Sanctitatis & thalamis Paradisi, qui parati sunt pro justis, prout infra dicetur.

§. 14. Allegabimus autem loca adhuc alia huc pertinentia. Sic enim in Tikkunim alibi invenimus: קליפה דערלה דכסי על' איתלה תלת קליפי כגלדי בצלים דא ערלה. ואינן ככליפין דאנוזא דאטבר עליהון ואהרץ דיהבד תחו דא קו יוסף קליפא קדמאה דאנוזא. ובהו אבנים כפולמות. דא קליפה תניא דאנוזא קשה כאבן ותושך קליפה תליתאה ובהון אוקימה בבן אין דוחשין בשיות בשלשה. שלש שנים יהוה לכם ערלים ולקבל מוחא ובשנה הרביעית יהיה כל פריו קדש הלולי.לה עכ׳ Cortex præputii, qui superintegit literam ו, habet tres cuticulas, quales sunt membranæ ceparum, una supra alteram: sunt que tanquam cortices nucis, de quibus dicitur Gen. 1, 2: Et terra erat Tohu: hæc est linea viridis, Cortex primus nucis: Et Bohu, lapides humorem præbentes; hic est Cortex secundus nucis, durus ad instar lapidis. Et Tenebræ sunt Cortex tertius, ad quem pertinet dictum illud Magistrorum: Non studentde nuditatibus inter tres. Item Levitic. 19. v. 24. Tribus annis erunt vobis præputiatæ, ut accipiant medullam, & annô quartô omnis fructus ejus erit sanctus in laudem DOMINO pro scopo nostro. Intentio autem horum verborum hæc est, quod sicut fructus nucis circundatus est tribus Corticibus, quorum primus est viridis; secundus albidior & durus; & tertius proximus nucleo, albus pariter & tenuis admodum. Sic Sanctitas, quæ est fructus dulcissimus, circundatur tribus Corticibus Spirituum immundorum, quorum primus & extremus mundum suprà dictum totum ambit nominibus Geneseos & duorum Prophetarum, jam suprà insignitus, & unô verbô Gradus Spirituum immundorum, qui ambiunt Gradum Tiphereth, ut cortex nucleum. Cortex secundus correspondet Clementiæ ad dextram sitæ; gradus nempe Spirituum secundus intimior nec tàm malignus atque nocens, quàm primus. Sed Cortex tertius ultimus, & adhuc interior atque melior correspondens rigori & consistorio supremo.

§. 15. Et in mundo quidem Emanativo, nec non Creativo & Formativo Benignitas ad dextram, & Severitas ad sinistram locata est, mediante tamen Amore, qui extrema hæc temperat & coadunat, omnesque Sephiræ unitæ sunt atque connexæ nodô quôdam firmissimo atque sanctissimo. Cortices autem non sic agunt, sed divisi semper sunt, ita ut duo illorum extrema semper sint sine mediatore, & immediatè sibi invicem adver-

adversentur. Cùm ergò temperamentô hôc careant, quô perfici queant, in extremis semper versantur ad instar nubis, quæ naturæ aqueæ est, & ignis, qui eidem contrariatur, non intercedente mediatore Spiritu. Unde ob nimiam vicinitatem contrariorum igne odii atque iracundiæ semper flagrant, & non tantum inter illos, sed & inter inferiores, lites semper sunt atque contentio, & inimicitia atque bellum.

§. 16. Propter affinitatem materiæ autem hûc apponere placuit sequentia, è Manuscripto latinitate donata.

De decem Numerationibus impuris.

E libro Maggid.

PRæfatur Autor, magno se detentum fuisse dubio, an etiam evulgare aliquid liceat de Sephiris impuritatis: quia in libro Maggid nihil quam mysteria sublimia, de Sanctitate mysteriisque Legis Divinæ, contineatur; mortui autem, & illius, qui vivit in secula, nullum esse commercium. Cùm autem vidisset etiam os illud sanctum Angelumque Dei R. Schimeonem filium Jochai in libro Sohar sect. Pekude scripsisse de Palatiis tàm sanctis, quàm immundis: nec non in libro Maggid cortices plurimos impuros numerationibus sanctis opponi: tandem subjungit, se manifestaturum opera Domini, quamvis terribile sit, *quod hoc contra illud fecerit Deus*, Eccl. 7. v. 15. ita ut decem sint numerationes sinistræ, oppositæ decem numerationibus Sanctitatis. Et hanc esse causam vetiti & liciti; puri & impuri; profani & sancti. Seque hæc omnia reperisse in libro quodam antiquo, ex traditione Sapientum priorum.

Numeratio Prima.

1. Numeratio prima, quæ initium est istius Emanationis, juxta traditionem, quam accepit Doctor noster pius p. m. nomine suo vocatur תְּאוֹמִיאֵל, quasi geminus Dei: eò quod seipsum geminum statuat metro supremo: sicut scriptum est Proverb. 30. v. 22. *Sub tribus commovetur terra: & sub quarto non poterit sustinere, sub servo, cum regnaverit; & stulto cum saturatus fuerit pane: sub exosa, cum maritata fuerit; & sub ancilla, cum hæres fuerit Dominæ suæ.*

2. Nec mirum est, quod nomini huic annexum sit nomen sanctum אֵל. Sciendum enim, sicut datur אֵל אַחֵר sive Deus in genere Sanctitatis; sic etiam dari Deum alienum in genere corticum. Cujus respectu dicebat Bileam impius Num. 24, v. 4. *Dixit audiens eloquia אֵל i. e. Dei* &c. Quæ verba R. Schimeon Jochaides super quo pax, explicat de Deo alieno.

3. Aliquibus traditum est, nomen istius corticis esse תּוֹמִיאֵל sine א primo, à consummando: eò quod intentio istius sit, consumere & consummare atque destruere Sanctitatem, quod absit, ne ullo modo attingi queat.

4. Cæte-

4. Cæterum radicem nominum istorum R. Schimeon Jochaides super quo pax, in libro Tikunim attribuit numerationibus Victoriæ & Gloriæ oppositis. Et corticem istum ipse vocat כִּתְרִיאֵל quasi coronam Dei: interdum autem כִּרְתִיאֵל, quasi excisionem Dei, quia per istam instituitur excisio & extirpatio impiorum.

5. Quorundam traditione accipimus, corticis istius nomen esse קְמִטִיאֵל quasi dicatur successio Dei, ita ut eadem sit ejus explicatio, quæ est nominis כִּרְתִיאֵל cujus explicatio ulterior peti potest è Phrasi illius loci Job. 22. v. 16. *Qui succisi sunt, & non erat tempus*; Ubi in Hebræo est vox קָמְטוּ. Quibus intelliguntur 974 illæ generationes, quæ succisæ sunt & extirpatæ, ante tempus ipsarum, sicut alibi diximus.

6. David autem Psal. 91. v. 6. hunc corticem vocat קֶטֶב excidium (quale describitur Deut. 32, v. 24. ubi vocatur *excidium amarum.*)

7. Et huc digitum intendit Moyses Magister noster super quo pax, Genes. 36. v. 32. seqq. Ubi v. 32. inquit: *Et regnavit in Edom Bela filius Beor, & nomen civitatis ejus Dinhabah.* Quod urbis nomen respicit operationem ejus, executionem nempe judicii. Nomen autem בָּלַע explicandum est ex loco illo Thren. 2. v. 2. בָּלַע *absorbuit Dominus & non pepercit* &c. quia abhinc devastatio venit in mundum. Et huc pertinet etiam locus ille Num. 4. v. 20. *Et non ingredientur ad videndum, dum absorbetur Sanctitas, & morientur.* Iste enim Cortex absorbet omnia merita & omnem justitiam, ne videantur & appareant coram Deo Benedicto. Et iste se transmutat in velum distinctivum, ne conspiciantur Sacra. Hinc David inquit Psal. 119. v. 18. *Revela oculos meos, & aspiciam mirabilia de lege tua.* Et huc etiam pertinet somnium Pharaonis Genes. 41. *de septem vaccis, & de septem spicis absorbentibus septem vaccas & septem spicas plenas atq; bonas.* Hinc dicitur Gen. 41. v. 24. *Et deglutierunt spicæ tenues*, à radice בלע, unde nomen habet cortex iste.

8. Et sub isto cortice in inferioribus erat Bileam filius Beor, cujus nomen idem est atque Magistri, & nomen filii ad instar Patris, ita ut impius verè appareat impii filii influxum hauriens à gradu impio.

9. Aliò sensu tamen cortex iste vocatur filius בְּעוֹר, quia in hoc nomine continetur radix עוֹר. Cortices enim vocantur 2. Sam. 5. v. 6. *Claudi & cæci & surdi atq; muti.*

10. Alia significatione vocatur Beor à radice עוֹר i. e. cutis, quia ipse erat cortex in supernis & scoria decem numerationum supernarum in Sanctitate atque puritate, quibus omnibus Unitas Dei denotatur.

11. Et nomen urbis ejus erat Dinhabah. Ubi per urbem intelligitur Sella curruslis sive Thronus atque vehiculum ejus. Nomen autem דִּינְהָבָה descendit à Judicio dando: quasi cortex iste diceret הַב הַב dato, dato impium in Gehennam. Et huc pertinet illud Proverb. 30. v. 15. *Fato duæ sunt filiæ*, quæ clamant הַב הַב *da, da*, quasi sensus esset, judicium exposcimus à te ô mundi Domine, tu judices impios, eosque ad me adducas.

12. Vel etiam דִּינְהָבָה nomen habet à Chaldaico דְּהָבָא i. e. affatio, quod nempe impii affandi sint [Confer Exod. 12. v. 9. in Targum Hierosolymitano:] in inferno.

Nume-

Numeratio Secunda.

1. Numeratio secunda vocatur עֻבָּאל à significatu placentæ, quia quasi placenta est socii sui. Et hæc est explicatio R. Moscheh Bar Nachman.

2. Eadem tamen vox etiam derivari potest ab impediendo, à radice עָנַן: ita ut sensus sit, per illum detineri & impediri influxum cœlestem; eumque impedire, ne quis assequi possit sublimia: ipse enim est quasi aulæum discernens & separans Israelem à Patre suo cœlesti.

3. Quidam hoc nomen legunt נֻעִיאֵל, quasi à clamando: quia vis corticis hujus in eo consistit, quod semper clamet ergà Sanctitatem sibi oppositam, à qua influxum accipit, & à qua reædificandum est Sanctuarium. Adeoque nomen hoc desumtum est ex dicto illo Jobi 6. v. 5. *An mugiet bos juxta pabulum suum?* Semper enim clamat & mugit, ut confundat Emanationem, & destructum maneat ædificium.

4. Posset etiam derivari à radice עָנַע expiravit: quia desiderium illius perpetuum est, ut expirent & absumantur omnes res sanctæ. Aliis nominibus sive lectionibus hæc numeratio etiam vocatur עַמָּאל & עֻמָּאל. Illi autem Doctores & Sapientes, qui de numerationibus scripserunt, non docuerunt sensum horum legendi modorum: quamvis rationes illis insint admirandæ.

5. In Tikkunim autem R. Schimeon Jochaides hoc metrum vocat Adam Belial. Quia modus Sapientiæ in genere Sanctitatis vocatur Adam: sicut traditur in libro Sohar locis pluribus: unde eidem opponitur Adam Belial. Nomina autem hæc supradicta ibidem referuntur ad gradum Pulchritudinis.

6. Quidam etiam hunc corticem vocant בְּלִיאַל, quasi Atheum: quia abnegat naturam & virtutem Dei, ut quasi sine Deo sit.

7. Hoc metrum David Rex Psalm. 91. v. 5. vocavit *sagittam volantem interdiu.*

8. Porrò eidem in Lege Gen. 36. v. 33. correspondet Jobab filius Serach de Bozra.

9. Alio sensu vocatur Chez i. e. extraneus à radice חוּץ: quia in Synagoga superna ipse residet foras: & ab illo descendit Sapientia extranea, seu Philosophia gentilis.

10. Jobab autem vocatur quasi אֹיְבָב i. e. inimicitia * mutatò in נ: quia magnam habet inimicitiam ergà Israelitas. Vel etiam sic dicitur quasi אוֹב à pœnis nimirum: sicut dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ eum, qui in somnio videt Jobi librum in angustias venturum propter pœnas quasdam: hic enim cortex præfectus est pœnis.

11. Dici etiam potest Jobab quasi ab אוֹב i. e. Pythone & ariolo, quia ab illo provenit vis ista pythonizans, & idololatria.

12. Dicitur etiam filius Serach sive filius luminis solaris; item exitium amarum Deut.

Deut. 32. v. 24. Psal. 91. v. 6. quod obambulat in splendore Solis sub æstu meridiano ubi dies est ferventissimus: quare à Davide dicitur, *exitium vastans meridie,*

13. Dicitur etiam de Bozra, quod est nomen angustiarum, quia adversatur Israelicis in angustiis suis, quasi à בָּצַר vel à בָּצַר i. e. cohibitio pluviæ siccitas, quia pluvias cohibet, juxta illud Jerem. 14. v. 1. *Verbum Domini ad Jeremiam super negotio cohibitarum pluviarum.*

14. Vel etiam sic dicitur sensu indicandi defectum, & rem imperfectam quasi à בָּצַר parum, minimum: quia non est perfectus sive fœcundus, sed potius Hermaphroditus: Idem etiam est caligo & umbra mortis semperque retrorsum vadit, nec unquam antrorsum.

Numeratio Tertia.

1. Tertia Numeratio vocatur סַתְרִיאֵל quasi occultatio Dei: Iste enim cortex occultat faciem misericordiæ, juxta illud Thren. 3. v. 44. *Operuisti te nube, ne transire posset oratio.* Oppositusque est gradui superno tertio, cui est natura contraria.

2. Doctor autem pius R. Jehudah Barjakar traditione accepit à Magistris suis sanctis, nomen corticis istius esse הַרְסִיאֵל à diruendo & destruendo: quia præsit omni demolitioni & devastationi: unde ab eo in mundum veniat omnis vastitas omnisque desolatio; Quod est oppositum gradus Binah seu matris intelligendi, quæ ab ædificando dicitur, & habitare no bis cum facit Divinam gloriam, & manifestat divinitatem; mundique structuram ædificat: cum iste cortex præcludat Divinitatem & destruat structuram. Unde juxta hunc sensum etiam dici potest סִתְרִיאֵל à radice Chaldaica סְתַר destruxit, demolitus est.

3. In libro Tikkunim autem R. Schimeon Ben Jochai eundem vocat שַׂעֲרִיאֵל i. e. hirsutum: unde scilicet vis Esavi esset, qui hirsutus erat. Hinc etiam Magistri nostri dicunt, pilos seu capillitium ostendere, dedecus esse mulieri.

4. Alii dicunt nomen istius corticis esse עִתְּרִיאֵל i. e. opportunus, forte è sensu Lev. 16. v. 21. *Et dabit eos super caput hirci, & mittet in manu viri opportuni ad desertum.* Sensus autem est, quod cortex hic opportunus adsit, ut seipsum faciat Deum; sicut accidebat in vitulo: qui etiam fiebat à seipso.

5. Quidam autem interpretes scribunt, tres istos cortices quasi in momento iterum periisse: quod convenit cum illo Rabbinorum: Construxit Deus mundos, iterumque destruxit eos. Et juxta mentem istorum tres isti cortices immundi non amplius existunt: nec supersunt, nisi cortices septem. Hoc tamen non convenit cum opinione R. Schimeon Ben Jochai; qui diserte in Sohar huic cortici tribuit nomen שַׂעֲרִיאֵל: Unde Esav hirsutus suam nactus sit potestatem: & unde nata sit illa consuetudo, quod capillus mulieri sit dedecorosus.

6. Et quidam dicunt, nomen istius corticis esse עֲשַׂרְיאֵל quasi à decade, quia decem sint species corticum, qui vocentur decem coronæ inferiores, quorum respectu Jacob Esavo dono dederit decem asinos & decem asinas Gen. 32. v. 15.

7. Et hunc corticem David Psal. 91. v. 3. appellat *pestem corruptionum.* Et propter hanc radicem דֶּבֶר, ab isto oriri dicitur omnis maledicentia, quæ in mundo est. [Confer Michæ 7. v. 3.] Quò pertinet etiam locus ille Psal. 52. v. 4. *Corruptiones cogitavit lingua tua.*

8. Et cortex hic est pater impuritatis: & septem turmæ impuritatis ab ipso prodeunt. Et ab eo Igrath filia Machalath filiæ Jischmaelis accepit potestatem suam, quod exeat nocte Sabbathina, & noctu diei quartæ cum septem turmis impuritatis ad perdendum orbem: & nisi halitus puerorum in Schola discentium eam impediret; fieri posset, ut illa totum vastaret orbem.

9. Huic in Lege Gen. 36. v. 34. correspondet *Chusham de terra Themanitica.* Nomen hoc autem denotat surdum: & huc refertur locus Gen. 46. v. 23. Et iste cortex surditatem in mundum introduxit, unde idola dicuntur surda & cœca.

10. Vel etiam vocatur hoc nomine à radice חוּשׁ i. e. festinavit: quia festinat ad accusandum, ut pœnas in mundum introducat.

11. Et erat de terra Themanatica i. e. à numerando: quia numerat peccata Jisraëlitarum: & coram Deo sic loquitur: O Domine mundi, nonne sic vel sic egerunt Jisraëlitæ hac vel illa die: & manifestum notumque est coram throno gloriæ tuæ, quod septem terras puras creaveris in unitate tua in terra superna, quæ est gradus Binah sive informationis; qui etiam dicitur mundus venturus: ita ut, qui dignus est, delectari queat & voluptate frui in terra hac: & hoc Sabbathum mundanum est pars sexagesima mundi venturi: & qui illud ipsum observat, & implet legem tuam, nutrimentum accipit à metro isto. Eodemque modo creasti quatuor gradus in decem turmis impuritatis, qui vocantur umbra mortis, sicut dicit Hiob c. 10. v. 22. *Terram obscuritatis sicut caligo umbræ mortis* &c. Mihi igitur ô Domine mundi tradas transgressores Jisraëlitas in infernum. Et hoc ipsum est, quod dicit Salomo Proverb. 30. v. 15. *Tria sunt, quæ non saturabuntur: & quatuor non dicunt, satis est.* Istæ sunt decem turmæ impuritatis.

12. Et tres istæ Numerationes vocantur Caput eodem modo, ut tres Numerationes primæ atque sublimes in Sanctitate. Et si cortices isti mansissent in suo statu, & in robore suo; totus mundus ne unica quidem hora subsistere potuisset. Sed ita placuit Deo altissimo, qui benedictus sit, ut illis influentiam largiatur puram, eosque contegat, ut ne usque adeo possint esse validi.

13. Restant igitur septem cortices respectu septem Numerationum structuræ. Et è septem illis emanarunt septuaginta Duces atque præfecti super septuaginta populos; quia singuli horum corticum in se continent decadem, unde fluit septuagenarius ille.

Numeratio Quarta.

1. Numeratio quarta vocatur נַעֲשֶׂה אָדָם quasi concutiens omnia. Scribitque R. Moscheh Barnachmon, se nomen hoc traditione accepisse à doctore nostro pio p.m.

p.m. & multa hoc nomine continentur atque indigitantur mala admiranda: juxta sententiam Cabbalistarum inter Jisraëlitas: & ab ista virtute revolvuntur multæ revolutiones & confusiones, quæ renovantur, dum illa renovant fœdera sua. Simile dari potest diligentibus terrenum, quia sicut cùm mons quidam concutitur atque tremit, multæ pereunt animæ, donec finita sit ira, per instrumentum iræ Divinæ. Ita hic plura contingunt, quàm ore quis effari queat. Atque tunc Angeli pacis amarò fletu plorant. Atque hoc secretum est summum: sicut scribit Doctor ille excellens & Cabbalista insignis R. Jitzchak Halaban in Secretis suis intimioribus: quod cortex hic concutiat terram, velitque eandem disperdere, sponsamque detentam in horto Eden expellere, ubi quietem habet, ut habitaculum suum accipiat in monte Gaasch i. e. commotionis, Jos. 24. v. 30: quia desiderium ejus sit extirpare plantas horti, plantatas plantatione verâ; expellere patrem, dimittere matrem, & interficere liberos. Ad instar serpentis, qui venenum suum morsu oris sui in hominem immittit.

2. Et intuitu istius corticis David Psal. 91. v. 6. commemorat pestem in caligine ambulantem, quæ vox etiam denotat immaturitatem Exod. 9. v. 32. quoniam cortex iste immaturum & sterile reddit triticum, spicasque graciles, prout tales Pharao in somnio suo videbat: atque hinc pestis venit in mundum.

3. Inter pestem autem דֶּבֶר & inter plagam מַגֵּפָה differentia quædam est; & plaga multò est peste ferocior. Nam pestis (juxta Gemaræ tradita) est, si in urbe quadam ducentorum vel trecentorum peditum pro exercitu, terni moriantur per triduum: plaga autem; si hora unica moriantur viginti quatuor millia, sicut scriptum est Num. 25. v. 9. *Et mortui fuerunt in plaga quatuor & viginti millia.*

4. Istæ autem potestates, cum inceperunt grassari, & postmodum Jisraëlitæ ritè convertuntur, jejuniisque & supplicationibus sese humiliant, statim revertuntur in locum suum, metuuntque clariorem & altiorem tubæ sonum: prout festo novi anni tuba clangitur, ut confundatur Satanas. Unde cum pestis malum grassatur, auditò tubæ clangore mox cessat. Sed plaga quæ descendit à metro severitatis supernæ, hoc medio non abit in locum suum, sed mediante fustitu, sicut scriptum est Num. 16. v. 47. *Et Aaron dedit fustitum, & expiavit super populum, & cohibita est plaga.*

5. Huic autem Numerationi inter Reges illos Edomiticos Gen. 36. v. 33. correspondet Rex Hadad filius Bedad, qui percussit Midian in agro Moab: & nomen civitatis ejus est Avith. Vocatur autem Hadad à radice חָדַד i. e. uber sive mamma, quia iste est scaturigo potestatum immundarum, unde hæ influxum suum assugunt.

6. Alio sensu vox Hadad explicari potest à nomine חָדָשׁ juxta illud Dan. 10. v. 8. *Et vis mea mutata est in me in corruptionem:* quia cortices hi corruptionem inferunt mundo.

7. Dicitur autem filius Bedad i. e. solitarius: quia isti cortices inter alia mala, quæ in mundo causantur, etiam lepra affligunt hominem, sicut scriptum est Levit. 13. v. 46. *Solus habitabit, extra Castra erit habitatio ejus.*

8. Cum autem dicitur, hunc percussisse Midian in agro Moab; Sensus est hunc percutere peste, cum judicio (ut sonat vox Madian) septuaginta Synedrialium supernorum sic statuitur: in agro Moab i.e. in agro potestatis immundæ, qui oppositus est agro pomorum arboriquæ puræ atque sanctæ. Hinc utitur nomine Moab ad denotandam impuritatem. Nomen autem civitatis ejus i.e. vehiculi ejus est Avith à perverterendo, juxta sensum radicis עִוֵּת, ubi denotatur curvitas & perversitas incorrigibilis. Unde etiam pervertendo conterquet judicia Jisraëlis, & propterea vocatur intortio.

Numeratio Quinta.

1. Numeratio quinta vocatur גְּבוּרָה quasi flammans. Scribit autem R. Moscheh BarNachman, traditum sibi à R. Joschijah Babylonico, quod à Numeratione hac incipiat mundus corporeus, qui ab oculis hominum occultatus est; quodque thronus ejus circundatus sit flamma ignis: unde nisi benignitas summi omnium Creatoris id impediret, turmæ exercitusque atque ministri hujus corticis disperderent & destruerent omnes creaturas inferiores, & unico momento extingueretur sub cœlo, virtute magnarum illarum ignis flammarum prodeuntium à comburentibus potestatibus exercituum ejus. Et propter opera hæc admiranda à potestate hac promanantia temporibus Sapientum cortex iste cognominatus est prunarum candentium nomine, atque flammantium. Adde quod catervæ exercitusque atque socii ejus velocissimè incedant, hominibusque opera sua repræsentent, ipsis tamen non visis, quoniam oculo percipi nequeunt. Et quamvis emanent è mundo quodam, qui cognominatur corporeus; hic tamen similis est mundo Emanativo superno, unde emanat anima etiam multò inferior.

2. David autem Psal. 91. v. 3. hunc corticem vocat *rete tensum*. Et huc pertinet illud Prov. 22. v. 5. *Spinæ & laquei sunt in via perversi*. Et hic cortex præpositus est omnibus illis malis Spiritibus, qui laqueos tendunt reconditos hominibus. Et ab hoc etiam creatus est prava concupiscentia & Angelus mortis: sicut dixerunt Magistri nostri p.m. ipsum Satanam esse pravam concupiscentiam & Angelum mortis. Et cum homo abscedit in domum mundi sui, hic cortex eidem ponit laqueos, ut eum intercipiat tendentem in mundum venturum, quod etiam fit, nisi Dominus sit auxilium ejus, sicut scriptum est Psal. 37. v. 33. *Dominus non derelinquet eum in manu ejus*.

3. Et cum hoc cortice in Lege Gen. 37. correspondet Samlah de Masrekah, quod habet sensum vestis in sanguine provolutæ. Masrekah autem habet significationem denudandi dentes, juxta illud Jes. 7. v. 18. quia Spiritus hi denudant dentes & stridentes contra Jisraëlitas, eosque contumeliis & probris afficiunt. Atque hinc proceantur multi Spiritus noxii, & multæ animæ populorum mundi, qui blasphemant & probris afficiunt Dominum in supernis, hinc cortex iste vocatur vestis contumeliosa.

Nume-

Numeratio Sexta.

1. Numeratio sexta vocatur תְּבִירִין i.e. litigium. Scribit autem R. Moscheh BarNachman traditum sibi ab ore Magistri sui nomine Doctoris nostri pii R. Jitzchak, quod Numeratio hæc certis temporibus cum severitate superna litiget, & bellum gerat. Atque tum prava plurima & influentiæ pessimæ exoriuntur supra & infra, & multæ turmæ adversariorum corruptiones instituunt in ira & effervescentia & furore magno, cum maximo tumultu, quę omnia ab hac Numeratione emanant, ut homini arrigantur comæ. Et hic cortex semper litem habet cum Jisraëlitis.

2. David autem hoc putamen vocat aspidis nomine שְׁחַל Psal. 91. v. 13. (vel juxta Hebræos leopardum,) cum dicit: *Super aspidem & viperam calcabis*. Et huc pertinet, quod dicit Salomoh Proverb. 26. v. 13. *Dixit piger: Leopardus est in via*. Quæ vox שְׁחַל juxta radicem חֲלַל etiam denotat morbum & infirmitatem. Et iste numerus medium occupat locum inter Sephiras impuritatis, earumque catervas superiores & inferiores.

3. Et ipsius respectu dicitur Gen. 36. v. 37: quod post Samlah *regnaverit Schaul de latitudinibus fluvii*, ubi ne legas Schaul sed שְׁאוֹל fovea, juxta illud Psl. 9. v. 18. *Revertantur impii ad foveam*. Et hic est gradus unus de gradibus inferni. Dicitur autem de latitudinibus fluvii: Quia infinita est latitudo inferni. Hic autem dicitur fluvius, quia in illo deal bantur & emundantur peccata Jisraëlitarum ad instar mulieris menstruatæ, quæ submergi cogitur in fluvio. In Sanctitate autem *latitudinis fluvii* est nomen gradus Binah sive informationis, à qua procedit Severitas superna, subque illa locum habet.

Numeratio Septima.

1. Numeratio septima vocatur עֹרֵב זָרַק i.e. corvus dispergens. Scribit autem R. Moscheh BarNachman de hoc cortice sequentia: Diu de hoc nomine nihil reperire potui, mirabarque visionem, & nemo eandem mihi declarabat: donec occulta hæc me compellerent, ut quæstiones aliquas cum dubiis meis super Talmude emitterem in regiones remotas ad aliquos Magistrorum meorum: ubi elapsis quindecim mensibus, responsum accepi ab insigni Doctore R. Jitzchak; qui inter cætera oculos meos super hoc nomine illustravit, dicens: Nomen hoc constare duabus vocibus, sensumque hunc esse; Sicut corvus immittis dispergere intendit pullos suos; ita intentionem istius corticis esse, ut dispergat atque disperdat semen sanctum proseminatum in thesaurum fundamenti mundi. Cui aliam quoque addebat explicationem sequentem: quod cortex iste dicatur, quasi dispergens dulcedinem. Cum enim influxum accipit è fundamento, hic dulcis est ipsi: sed postquam eundem accepit, acceptum iterum dispergit. Hæcille. David autem Psl. 91. v. 13. hunc corticem vocat פֶּתֶן *viperam*.

2. Et ab hoc putamine influxum suum hauriunt catervæ illæ impuritatis, quarum nomina sunt עזא & עזאל & אשמדאי & חוכה. Unde dicunt Magistri nostri: Aquæ ultimæ debitum; (cujus sensus literalis est: polt sumtum cibum manus necessariò lavandas. Sensus autem mysticus denotat aquas ultimas pertinere ad corticem חוכה i.e. debitum.) Et istæ sunt sella ejus currulis. Et intuitu istorum in terra dantur Angeli perditionis, qui comedunt frusta panum & micas ollarum hominibus.

3. In lege autem eidem correspondet loco citato Gen. 36. Baal Chanan filius Achbor. Baal autem est nomen Idoli, juxta illud Hos. 2. v. 17. *Et removebo nomina Baalim de ore ejus*; prout porro etiam scriptum est de Idolo Baal Peor Num. 25. v. 3. Ethic erat gradus iste sextus in impuritate, qui eo usque accusabat Israëlitas, donec exipsis exterminarentur viginti quatuor millia Num. 25. v. 9. Unde vocatur Baal Chanan, sive Dominus gratiæ, nimirum per antiphrasin, quia immitis est admodum: sicut qui cœcus est appellari solet סגי נהור i.e. multi luminis usum habens. Dicitur autem filius Achbor à radice עכר turbavit, quia multis turbis affligit Israëlitas.

Numeratio Octava.

1. Numeratio octava vocatur סמאל. Scribit autem R. Moscheh Bar Nachman de hac sequentia: Traditum nobis est, hunc corticem excitare litigia, & confundere omnes confessus omnium numerationum. Et quæcunque ab illo emanant, omnes sunt Spiritus mendaces, nec stabiles sunt verbis suis: hominibus autem exhibent visiones fallaces: & adsentantur, & bella gerunt cum victoria Israëlis. Opera autem istarum turmarum istorumque ducum ab hoc cortice prodeuntium tàm admiranda sunt & grandia, ut vix narrari queant. Ethi multò timore atque terrore mundum percellunt. Et inter istas catervas apparet quasi species ignis rutili: & omnes aspectu sunt rubicundi: unde dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ, Esavum vocatum fuisse Edom, i.e. rubrum; quia ipse & vestes ejus; & terra ejus esset rubei coloris: &c.

2. Atque hinc etiam lapsi sunt quidam è sapientibus & piis Israëlitarum. Nam מחלת filia Jischmaël prodit atque canit & ludit coram Samaële, cum 478. Ducibus magnis, juxta numerum Nominis ejus. Omnique tempore Festorum sanctorum לילית pariter exit, & ejulat sub noctis medium in Deserto magno atque terribili, cumque ipsa 480. Duces, juxta numerum Nominis ejus simul adsunt, & cum eâ ejulant: eâdemque horâ ambæ hæ partes vehementer invicem litigant, ut præ clamore eorum remittant columnæ Cœli, & contremiscat Terra. Interdum enim Lilith Regina sponsa est & desiderium Samaëlis; interdum autem Machalath filia Jischmaël: Et propterea nova semper Zelotypia, novaque jurgia inter Duces utriusque exercitus.

3. Tota tamen intentio & cogitatio potissima illorum eo tendit ut adversentur Capitibus populi Sancti. De Samaële autem notum est omnibus sapientibus Israëlitarum, quod sit Dux ille, qui in cœlis accusat populum sanctum; de quo pleni sunt omnes Commentarii & ipse Talmudis Codex. Ita ut quæcunque Cabbalista ille scribit de Samaële, & generationibus, familiis, & viis ejus, deque dominio exercituum, turmarum que & catervarum ejus, item de exitu & introitu, deque omnibus formis & figuris formarum ejus, & operationibus & custodiis & arcibus & sedibus ejus, præ copia hic narrari nequeant.

4. David autem Psalmo 91. v. 13. eundem vocat כפיר Leunculum: (confer 1. Pet. 5. 5.) quæ vox à radice כפר etiam habet significationem abnegandi: hinc abeo in mundum venit atheismus & abnegatio Dei. Dicitur autem Abnegator, quia atheismum introducit in corda hominum, ut eos tentet; & impii ipsum sequuntur.

5. Huc etiam pertinet, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ! Futuro tempore adducet Sanctus ille, qui benedictus sit! pravam concupiscentiam, eamque macta bit. (confer. Rom. 8, 13. Col. 3, 3. 5. Gal. 5, 24. 2. Tim. 2, 11.)

6. De justo autem dicit Scriptura Prov. 28, 1. *Justus ad instar leunculi fiduciam habet.* Id est: Quamvis accedat Leo iste, abnegator, ad tentandum eum; ille tamen confidit in Nomine Domini.

7. Ad hunc corticem pertinet quod scribitur in Lege Gen. 36, 39. *Et regnavit pro eo Hadar, & nomen civitatis ejus Pau; & nomen uxoris ejus Mehetabel, filia Matred filiæ Mezahab.* Vocatur autem הדר i.e. gloria seu decus, prout dicitur Dan. 10, 8. הודי *& decus meum mutatum in me est in corruptionem.* Iste enim cortex opponitur gradui Hod, in Sanctitate. Nomen autem civitatis ejus, i.e. Throni atque vehiculi ejus, quo denotatur portio quædam impuritatis. Nam nomen עיר i.e. civitatis, alludit ad אויר i.e. aër, ad genus impuritatis pertinens. פעו, sive Pau autem est quasi פרעה Pharao supernus, qui est *draco ille magnus, cubans in medio fluviorum suorum fluminum* Ez. 29, 3. Per uxorem autem intelligitur gradus ille, qui ab eo influxum accipit. מהיטבאל autem sensum habet rei non bonæ, & alludit ad locum Jesch. 7, 6. *& regnare faciamus Regem in medio ejus filium Tabel.* Meditabantur enim quomodo à sese abjicerent jugum regni cœlorum, & servirent idolo, quod dicitur Tabel. Eadem autem vocatur filia Matred; cujus sensus est ejicere, expellere, extrudere. Porrò hæc dicitur Filia aquarum auri; quia producta est à Severitatis gradu, quo pertinet aurum, quo denotatur judicium perfectum, atque bonum in occulto reservatum pro justis.

8. Et quamvis in Sohar Tractatu Idræ primæ Sect. Naso; R. Schimeon Jochaides istos versiculos sensu contrario explicet, & quidem de gradu in Sanctitate ultimo, nempe de metro Regni: utraque tamen opinio est vera; quia etiam hoc contra illud fecit Deus Eccles. 7, 15. ita ut, quod in Sanctitate est, eodem modo sit in Impuritate. Intellectus ergo iis quæ de his traduntur 1. Paral. 1, 43, usque ad 50. etiam intelliges ista.

Numeratio Nona.

1. Numeratio nona vocatur גמליאל. De ista autem R. Moscheh bar Nachman scribit in hunc modum: De numeratione hac à Viris pijs atque excellentibus terribilia

ribilia accepimus, quæ qui corde præditus est intelligente, ipse capiet, & inquiret in commentariis Rabbinorum nostrorum bonæ memoriæ! Alia est traditio, in Urbe Abrel in Synagogâ Doctoris Excellentis R. Schlomoh, insignis Cabbalistæ scriptum inventum esse in Commentariis ejus, disertis hisce verbis: In turba supernâ dari Adversarium quendam Igneum, cujus sit nomen Gamliel: & quando ille influxum accipit & assigit à gradu Hod seu gloriæ, terram cœlumque omnesque exercitus eorum pace frui; ejusque spiritus apparere hominibus, iisque datam esse potestatem his manifestandi futura occulta. Porrò tamen & alias dari turmas, à quibus influxum accipiat adversarius iste; quibus ipse quoque ministret ut servus Domino suo: quod cum fit inverti nomen ejus ut dicatur נחשיאל à serpente: & omnes ejus catervas esse terribiles, ut omnes perterrefiant, quicunque eos aspiciunt: isti enim Spiritus mutantur in formam serpentum, & apti sunt corrumpere aërem. Hæc ille.

2. Atque hinc intelligi potest, quod scripserunt Magistri nostri p. m. de Samaël, qui inequitaverit serpenti formato in figuram cameli.

3. Datur autem גמל de genere boni, sensu nempe retribuendi; & pariter de genere mali: hinc iste vocatur Gamliel.

4. Davidautem Ps. 91. v. 13. hunc corticem vocat תנין draconem, dum inquit: *Et conculcabis leonem & draconem.*

5. Idem cortex etiam vocatur Asinus. Sicut enim inter modos sublimes datur bos & asinus; quibus nominibus intelliguntur justus seu Fundamentum, atque Regnum: sic & in corticibus. Et impurus iste asinus desideravit Dinam filiam Jacobi; inque illam injici curavit spurcitiem suam Gen. 34. v. 2. seqq.

6. Et è gradu hoc influxum asslugunt Lilith & Asmodeus, omnesque cæteræ turmæ impuritatis, quæ commoventur ut in mundum veniant. Idem quoque vocatur שעיריה.

7. Ad hunc gradum in Esavi familia pertinet, Aholibamah Gen. 36. v. 14. filia Hanah filia Zibeon. Idem cortex etiam vocatur Naemah à Pulchritudine: & apparere solet hominibus in somnio, ad instar pulchræ mulieris, ut illos concitet ad Gonorrheam, è qua deinde generatur malus Spiritus, quales in Scriptura vocantur *plagæ filiorum Adam*, à quibus tales deducuntur ad imum usque Gehennæ gradum. Et huc pertinet illud Jes. 49. v. 17. *Demolientes te & destruentes te à te exeunt,*

8. Et de metro isto, quod bovis & asini nomine appellatur inter turmas impuritatis, dixerunt Magistri nostri p. m. quatuor esse damnorum patres seu summa genera, ut sunt Bos, Fovea, Depastio, & Incendium. Ubi per Bovem intelligitur gradus iste nonus in impuritate, qui alias vocatur Draco. Per Foveam autem intelligitur gradus decimus impuritatis. Per מבערה Depastionem autem intelligitur Samael & exercitus ejus, quia hæc vox propriè habet significationem perquirendi; iste autem quàm accuratissimè inquirit in peccata Israëlitarum, unde sensus istius vocis meritò petitur ex loco Obadiæ primò v. 6. מצפו *Inquisita sunt abscondita ejus.* Unde Rabh inquit, per vocem מבערה intelligi dentem, de quibus dicitur Psal. 3. v. 8. *Dentes impiorum confregisti.*

Et Samuel dicit, hâc voce intelligi Adam Belial. Per חבער Incendium autem intelligitur gradus primus impuritatis, qui vocatur Belah filius Beor, qui incendium excitat homini in Gehenna. Et ille gradus etiam vocatur excidium amarum Deut. 32. v. 24: Quod obambulat sub æstu diei; de quo dicitur Ps. 91. v. 6: *Non timebis &c. ab excidio vastante in meridie.* Ubi intelligitur vehementia furoris solaris. Unde Magistri nostri p. m. hîc quoque dicunt, Bovem non esse similem Foveæ; quia singulis illis denotantur turmæ speciales perditrices, à quibus damnum inferretur mundo, nisi custos Israëlis id impediret.

Numeratio Decima.

1. Numeratio decima vocatur לילית, cujus sæpissimè fit mentio in commentariis & in Talmude. R. Moschch BarNachman autem in libris suis Cabbalisticis scribit, se invenisse in Masorath Tikkun Doctoris excellentis R. Elchanan, quod iste cortex erga totam familiam supernam excitet jurgia, litesque & odium, quodque opponatur Numerationi Sapientibus Israëlitarum atque Prophetis eorum notissimæ (i. e. Regno) cui semper adversetur: & nisi sic statutum esset, ne regnum unum contingere posset alterum, vel unius pili latitudine; Hæc semper inchoaret contentionem & controversias furore magno atque iracundia, idque manu elevata, atque imperterrita, ita ut bellum excusciaret vehementissimum. Illa autem ejulat ejulatu horrendo &c.

2. Dicunt autem Cabbalistæ, principem illum, qui ei ministrat, vocari שריאל. Et traditum est, Principem hunc magnum esse Regem inter omnes in aëre dominantes duces.

3. Dicuntque Magistri nostri quod nocte media diei expiationis cortex iste invitus venire cogatur, vi operationum à Senibus Sapientibus institutarum, advolans cum centum & triginta uno heroibus volitantibus in aëre, quorum facies scintillas ignis de se emittat. Ubi magnus ille Scriba, Pipiron nomine, scripta & obsignata à manu Regis Sariel, adducat omnia firmamenti secreta, eaque manifestet senioribus. Quorum dominium magnum est per omne firmamentum cœlorum.

4. A Numeratione autem supradicta, & ab Emanatione Principis ejus multæ proveniunt turmæ Dæmonum, & Lemurum, & malignorum Spirituum, qui forma humana apparent. Ethi sunt illi, de quibus multoties dicunt Magistri nostri p. m. quod ex parte similes sint Angelis ministrantibus, & ex parte hominibus &c.

5. Porrò traditum est Sapientibus nostris Sanctis p. m. dari Adversarium quendam magnum adversus Metrum justi i. e. Fundamenti, & adversus Metrum Regni, cui nomen sit סתר עטרן ab occultatione coronæ, quia nempe hic occultet coronam. Et huc pertinet illud Ezech. 21. v. 26. *Remove Cidarim & leva coronam.* Nam sublato pileo elevatur corona.

6. Sciendum autem talem esse dispositionem in superis, qualis est hic deorsum: & sicut duæ personæ hic infra coadunitæ fuerunt in corpore uno materiali; ita duas personas unitas fuisse supra in potestate Spirituali. Et sicut zelus erat hic infra ex parte serpentis, & sicut libido & prava concupiscentia oriebatur in Chavvah: ita libido quasi & cogitatio sim lis oriebatur supra ex parte Metri marium i. e. Regni. Et sicut totô illo tempore, postquam Adam seductus erat à Chavvah, ipse generabat Spiritus & Dæmones, & varia genera nocentium atque lemurum: sic in supernis, si ita dicere licet, faciebat Spiritus seductor in Spiritualibus, & Lilith adversabatur Metro Fundamenti atque Regni, ne hoc ab illo acciperet semen Spirituale: atque tunc vis ista Spiritualis impura illud cooperiebat; atque contegebat potentiam internam sanctam, ne posset prodire in actum, propter superinductum istum pileum. Et exhinc generabantur à Fundamento potestates peregrinæ atque malæ, tam supra quàm infra: & semen sanctum occultum non poterat prodire in actum, nisi virtute Heroum quorundam paucorum atque singularium, quales erant Scheth, Chanoch, Methuselah; Noach; Schem; & Eber. Sed generationes mundi colebant idola. Potestas enim supradicta contegebat fundamentum mundi, & coronam decoris, & prohibebat, ne semen pacis è potentia prodire posset in actum: ita ut, si ita dicere liceret, justus quasi cespitaverit coram impio. Donec in benignitate adornaretur thronus & exoriretur lumen ad instar solis, quod erat Abraham pater noster, qui vestiebatur metro benignitatis erga transeuntes huc illuc & iter facientes; & plantabat lucum benignitatis ad omnes mundi cardines, & invocabat nomen יהוה Dei mundi; atque seipsum tradebat furno ardenti præ zelo pro Deo suo: & idolatriam è terra expurgabat, plurimisque prædicabat, non serviendum esse nisi Deo unico: unde ipse Proselytos faciebat viros, & Sarah convertebat mulieres, sicut scriptum est Gen. 12. v. 5. *Et Abram accepit Sarai &c. & animam, quam fecerant in Chavan.* Cum igitur hic circumcideret præputium carnis suæ, tunc tollebat cidarim, & elevabat corollam; & radicem figebat supra, fructum autem proferebat infra, atque semen pacis, occultatum in potentia sua, tunc prodibat in actum. Atque tum ex una parte perficiebatur thronus gloriæ, & inquinamentum cessabat tempore promulgatæ Legis.

7. Nondum tamen omnino est consummatus gloriæ thronus, donec conversæ fuerint omnes gentes ad cultum Creatoris nostri Benedicti; factique fuerint Proselyti, subingressi subter alas gloriæ cohabitantis, ut custodiant legem ejus, eidemque serviant humero unico integro, sicut scribit Propheta Zeph. 3. v. 9. *Quia tunc convertam ad populas labium purum ad invocandum omnes nomen Domini* &c. Atque tunc tolletur cidaris & omnino elevabitur corolla super coronas omnes. Amen!

Cap. III.

Adducitur opinio alia de undecim Gradibus Corticum, juxta sententiam R. Jitzchak Lorjensis Germani, qui illos confert multis cum locis Scriptu-

ræ. Porrò quoq; sermo est de Samaël & Lilith, & de septuaginta Ducibus; item de Nube Levi, cujus mentio fit apud Prophetam Iesaiam.

§. 1.

NOn tamen sicô pede prætereunda est Cabbala R. Jizchak Lorjensis, quod nempe Spiritus immundi, qui vocantur Cortices, dividantur in undecim turmas. Cum enim similes esse velint Sanctitati, non acquiescunt, inquit, in divisione prima, qua dispescuntur in decadem Divinitatis instar, quô ipsô essent in numero perfecto; sed assimilari quoque volunt illi, quod simili caret & sub numerum redigere Infinitum, quod omni numero elevatius est: quare in undecim phalanges discedunt. Decadem nempe assumunt ad instar Sephirarum, quæ pondus sunt & mensuræ omnium; unitatem autem assumunt ad instar Lucis, quod interius illas adimplet, & exterius eas ambit. Quô ipsô invertunt, quod Abraham dicit in libro Jezirah: Decem sunt & non undecim: Nec meminerunt illius, quod dixerunt Magistri nostri: qui auget perfectum, minuit.

§. 2. Errorem hunc Magister supra dictus correspondere dicit undecim Maledictionibus montis Ebal. Deut. 27, 15. Et undecim Ducibus Edom Genes. 36, item vocalæ ‘N ubi Deut. 32, 37: Porrò undecim speciebus sustimenti: item undecim diebus A Choreb, via montis Seir Deuter. 1, 2; ubi alludit ad vastationem & pilositatem Corticum juxta Genes. 27. v. 11. Jes. 13 v. 21: Usque ad Kadesch Barnea, i. e. usque ad terram Sanctitatis, quâ denotatur beatitudo nostra post confractionem & annihilationem Corticum, quæ consistit in fruitione intimæ medullæ omnium mundorum Angelici, Intellectualis & Objectivi seu Archetypi, qui communiter dicuntur Formativus, Creativus & Emanativus.

§. 3. Porrò etiam comparantur cum undecim tapetibus caprinis ab extra contegentibus tabernaculum, & quia non tantum quinquagesies mentio fit exitûs ex Ægypto in Lege, (quô numero denotatur, per gradum Intelligentiæ, sub cujus classe hic numerus comprehenditur, Israëlitas liberatos esse ex abyssis quinquaginta graduum impuritatis:) Sed præterea ejusdem exitus undecies fit mentio, ut appareat illos præterea eductos esse ex undecim corticibus supra dictis. Prout ista liberatio non facta est immediatè per Intelligentiam, sed mediante Scir Anpin, qui denotatur per literam ו symbolum senarii, & per uxorem ejus, quam litera ה designat quinarii nota, qui simul sumti efficiunt undecim. Cortices enim non pertingunt ad tres superiores, sed tantùm hærent circa ו & ה quorum numerus simul sumtus est undecim.

§. 4. Et quia Spiritus immundi tantopere desiderant similes esse Divinitati, hinc se ipsos quoque dispescuerunt in duas acies, quarum unam ducit Samaël, qui opponitur ז Scir Anpin & literæ ו. Altera autem regitur à Lilith, quæ opponitur literæ ה nempe Regno sancto: ita ut & illi sub se habeant senarium & quinarium, unde sunt undecim.

§. 5. Finiemus autem caput hoc discursu quôdam R. Jizhak Lorjensis in locum illum suprà adductum Jesa. 19. 1. *Ecce DOMINUS insidet super nubem levem & ingrediturin Ægyptum.* Ubi sensus hic est: quod involvat lucem atque potentiam suam non tantùm Throno Gloriæ & Metatrone atque Sandalphone: sed & septuaginta Principibus atque Præfectis, quorum Caput est Samaël. Tempore enim dispersionis, cùm populi dividerentur in septuaginta linguas atque gentes, istis præficiebantur septuaginta Principes, qui referunt septem Sephiras structuræ, quarum singulæ è decadibus constant: nec non septem Planetas intra decem cœli Sphæras currentes. Deinde quoque cum nasceretur Jismaël DEUS illum subjiciebat Principi cuidam, cui nomen Lilith, quæ refert concupiscibile & pusillanimitatem hominis, nec non Venerem Planetarum. Et tandem cum Esav generaretur, iste subdebatur Samaëli Principi magno, qui comparatur cum Marte Planeta, cumque irascibili atque arrogantia hominis, qui duo cum reliquis septuaginta efficiunt עב, quod numerô refert 72: Voce autem nubem. Alias autem septuaginta illi ita dividuntur, ut triginta quinque sub Jismaële & Lilith sint ad dextram; & 35 sub Esavo & Samaële ad sinistram, in similitudinem Benignitatis & Severitatis, quibus regitur mundus. Et hæc de voce עב seu Nubis in loco Prophetæ citatô. Vox autem קל seu levis cum integra voce refert numerum 131, quem etiam reperimus in voce סמאל Samaël. Unde apparet, quod Sanctus ille Benedictus tanquam equis insideat septuaginta duobus Principibus, quorum Caput est Samaël: veneritque in Ægyptum liberaturus Israëlitas, quireferri possunt ad Intellectum rationalem.

Cap. IV.

Quod Cortices; quatenus sunt vestimenta externa omnium supernorum, remanent nudi, & propterea desiderent involvi & quasi vestiri homine; & quomodo id evitari queat.

§. 1.

OMnes mundi creati à summo usque ad imum ita constituti sunt, ut alter alterum involvat, ita ut supremus activus tantùm sit & nihil patiatur; imus autem passivus tantùm & nihil agat: intermedii autem partim activi sint, partim passivi, eô ipsô tamen activiores, quò propiores supremô, & passiviores, quò propiores imo.

§. 2. Hinc apparet, quod Cortices & Spiritus immundi in ordine rerum incorporearum sint Cortices ultimi ulteriore velamentô carentes, ita ut nudi incedant absque veste. Quod etiam colligitur ex loco Genes. 3, 1. *Et serpens erat nudus.* Per serpentem enim intelligitur Cortex, & quamvis sensu literali denotetur calliditas, tamen etiam exponi potest juxta sensum Gen. 2, 25. Id quod etiam patet ex litera ם, quæ denotat *ex omnibus animatis* incorporeis Corticem solum carere velô, eô quod ultimum locum habeat & nihil supersit, quod illum possit integere.

§. 3. In-

§. 3. Infinitum enim vestitur Numerationibus juxta Psal. 104, 1. Sephiræ vestiuntur Creatione: quæ & pariter circundatur ab Angelis, qui sunt ministri ejus, & castra metantur circa eam. Hi verò porrò circundantur à Spiritibus impuris, qui sunt equi eorum, & isti horum equites, ut super illos descendant in terram mundumque factitium. Hi autem nihil sub se habent ulterius, sed passivum sunt ultimum, nec operari possunt in aliud quid extra se; nec ullius rei vita, nucleus vel anima sunt. Unde etiam dixerunt Magistri nostri: quod conditi sint vespera Sabbathi circa Solis occasum: Unde nudi manserunt & imperfecti. Et in Sohar dicitur: quod ante sanctificationem Sabbathinam ultimo superfuerint Spiritus, quibus non potuerit creari corpus. Unde tantum vestiunt & non vestiuntur: saltemque accipiunt, & nihil largiuntur.

§. 4. Cum autem homo è contra aliquando vestiri queat veste duplici, quarum unam adipiscitur per opera sua, ita ut illorum beneficio elevari possit usque ad Mundum Angelicum: alteram autem per speculationem objectorum verorum atque Divinorum, quâ viâ elevari potest usque ad Mundum Creativum: Quanquam anima humana in mundo superno & antequam descendat in mundum hunc imum vestita sit veste sive corpore pretioso atque pellucido, quod tamen perdit, cùm declinat ad tenebrosum hoc atque nigrum, pulverem de terra.

§. 5. Quam ob causam Cortices videntes, quod ipsi sint nudi, invident homini, quod eo usque elevari queatin Mundos, Formativum, Creativum, & Emanativum, atque Causam omnium causarum: ipsi autem Cortices semper manere cogantur in Mundo hoc Factitio infimo nudi atque veste privati. Et hæc invidia, causa evadebat peccati Adami, prout explicatur in capitulis R. Elieser cap. 13. Atque tunc homo non tantùm perdebat vestes illas supernas atque lucis; sed etiam per mortem exuere cogitur vestes suas inferiores corporeas, imò eo usque deductus est, ut ipse fiat vestis atque Cortex corticum, qui per illum suas operationes noxias edant. Prout etiam sensualitas non tantùm jugum intellectûs abjecit, sed eundem sibi quoque subjecit. Et hinc intelligitur id, quod Salomo dicit Proverb. 30, 22. *Sub serva, stille regnet, & ancilla &c. & stulto &c.* Ubi per servum intelligitur Samaël: & per stultum Sensualitas: & per odio habitam atque servam Lilith: quæ quasi uxor fit, dum influxum supernum accipit, qui animæ debebatur. Sensus est: cum sensus offuscat & obtenebrat intellectum, & concupiscentia secum abripit voluntatem, tunc operari Corticem subjugando sub se animam & ponendo involucrum tenebrarum super faciem ejus, quod tamen DOMINUS omnium aliquando tollet, juxta Prophetam. Jesa. 25, 2, 8. *Tollet enim Spiritum immunditiæ de terra.* Zach. 13, 2. & 14, 9. Atque tunc reddet homini vestem superiorem & inferiorem: superiorem, de qua Jerem. 31, 34. Esa. 54, 13: 60, 19. Dan. 12, 3. Inferiorem autem juxta Esa. 26, 19. & Dan. 12, 2.

§. 5. Hinc causa nobis patet, quare Cortices ita persequantur hominem, ut nempe subjiciant eum, & per eum operentur. Et hoc est mysterium arboris cognitionis boni & mali: & quod vetita sint heterogenea & lana cum lino permista.

§. 6. Hic autem obiter notamus, Spiritus impuros, quatenus sunt ministri eorum, qui supra ipsos sunt, præfectos esse generationi & corruptioni, & reliquis motibus mundi elementaris. Si igitur homo à concupiscentiis corporeis aversus adhæreat spiritui, (qui est intellectus rationalis,) & legibus motibusque ejus in corporeis assvescat; tum non tantùm non erit sub cortice, vel subjectus spiritibus immundis: sed planè elevabitur super mundum Formativum atque Angelicum; regnabitque super totum mundum Factitium atque corporeum, & super Cortices eidem præfectos.

§. 7. Idque non tantum Psyche sua, quæ Nepheſch dicitur, sed etiam Spiritu quamvis modo eminentiore. Cùm enim hic subegerit corpus atque confregerit illud, permanebit in eodem: atque tum convertetur ad mentem; quæ postmodum non tantùm exuet vestem captivitatis immundorum Spirituum, sed planè in libertatem educet Psychen & corpus suum. Atque tum mira operabitur in duobus Mundis Creativo & Formativo, nec non in opere Structuræ hujus corporeæ, quæ mundus factitius dicitur.

§. 8. Corpus ergò secundum naturam subjectum est Cortici: Psyche autem seu pars animæ inferior huic fermè adæquatur: Spiritus autem eandem transcendit: & Mens multis modis eminet. Si ergò homo inserviat corpori & desideriis concupiscentiarum atque operationum ejus, iisque obediat: tunc subjectus est Cortici. Si autem ascendat in Spiritum vel Mentem, dominabitur eidem, & toti Mundo Factitio. Et cùm tempus advenerit, ut educat corpus suum ab exilio amborum, in potestate sua est, ut efficiat corpus suum passivitate carens, æternum, leve & pellucidum, prout eveniet in resurrectione, ubi rori erit simile, juxta Jesch. 26, 19.

§. 9. Sciendum autem est, cùm homo ascendet in gradum istum, non fore, ut exscindatur & pereat ens aliquod vel ulla res ad perfectionem mundi pertinens: Nam è medio sublatis Corticibus (i. e. pravitate illorum,) qui proximi sunt corporibus, illorum locò remanebit Psyche, quæ ad illorum classem atque gradum pertinet, (nempe ad mundum Factitium,) & hæc mediante Spiritu, qui est gradus mundi Formativi, ascendet in mentem usque, quæ est Mundus Creativus. Cùm ergò derivanda erit influentia ab influente summo mediante mundò Sephiroticò in corpus; quod non fit nisi mediantibus gradibus debitis, mente nempe, quæ ad gradum Creativum pertinet; & Spiritu, qui est pars mundi Angelici; & Psyche, quæ ad mundum Factitium refertur, tunc non opus erit Corticibus; quia Psyche illorum locum occupabit, imò ne quidem Angelis aliqua ex parte, quia illorum operationes operabitur Spiritus.

Cap. V.

Ulteriora de Corticibus, & duobus textibus Cabbalisticis.

§. 1.

In Libro Pardes R. Mosche Corduero asseri videtur, quod Angeli medium quid sint inter corpora cœlestia & inter gradus Throni Gloriæ, seu Intelligentias separatas, quodque ab his accipiant influxum lucis atque intelligendi, promoveantque ad alios motum atque vitam, illisque attribuitur corporeitas ad instar lampadum & ignis; quæ, meâ quidem sententiâ, sunt corpora cœlestia sive ignea, secundum sententiam Cabbalistarum, (à quibus id furto tenent Platonici,) quæ tradit naturam cœli esse igneam.

§. 2. Hic autem prolixus non ero de cœlo summo, quod Araroth dicitur, & puritate atque perspicuitate crystallo simile est, estque habitaculum Angelorum, & mansio animarum purarum, quarum fortassis & vestimentum est tenue atque pellucidum, quo inibi induuntur; sed hoc saltem indigito, quod naturæ illæ cœlestes, quas Platonici componunt ex anima intellectuali, & corpore correspondeant classibus Angelorum apud Cabbalistas: sicut cortices conveniunt cum Spiritibus aëreis, tenebrosis, & nubilosis.

§. 3. Quamvis Platonici spiritus suos dividant in tres classes: quarum prima continet igneos & lummos, qui excitant intellectum hominum dormientem in pulvere corporis ad studium rerum Divinarum. Secunda autem media est habetque Spiritus naturæ mediæ & aereos compositos ex purissimo & tenuissimo aëre; qui ducant homines ad operationem boni, eosque dirigant in viam virtutum. Tertia autem classis & ultima compositos habet ex aëre fusco & denso, qui inserviunt generationibus & sustentationi corporis, in quem finem commoveant concupiscibile eorum atque irascibile. Ubi supremi & medii, qui boni sunt citra malum correspondent iis, qui dicuntur Ophanim & Caschmalim, vel Cortici, quæ Nogah dicitur, in qua portio puritatis est & Sanctitatis, & quæ in fine dierum ab immunditia purificabitur & sanctificabitur. Sed infimi, qui in aëre infimo, humido & obscuro degunt, hominem à meditationibus divertunt & ad negotium generationis, adque voluptates corporeas libidinemque dominandi impellunt. Et isti propriè sunt illi, qui à Cabbalistis vocantur Cortices & Angeli perditionis atque Spiritus impuri.

§. 4. Et illi quidem attribuunt eis corpora quasi nubilosa, quod ego sic intelligo, quasi corpora eorum sint ex aëre denso, ita ut nec intellectu usque adeò defæcatò utantur, ita ut Lux quoque Divina, cùm descendit illisque sese implicat, ut extendatur ad inferiores, quasi obnubiletur & obfuscetur, prout accidit lumini Solari impeditò nubibus. Et isti etiam vocantur qui Angelorum, qui descensuri in terram iis insident. Nihil autem sunt aliud, quàm mediatores ad manifestandum aliquid inferioribus, prout & Plato dicit in Sympolio, quod Spiritus isti sint intermedii & medium locum

locum teneant inter naturas cœlestes & humanas. Deducantque & derivent vim luminis & influxus à primis ; iterumque reducant atque elevent opera & benefacta ultimorum. Quod ipsum est opus Corticum, qui à cœlestibus influxum accipiunt pro gubernatione inferiorum : prout docent Cabbalistæ : quod id, quod Spirituale est, non operetur sine veste, dum descendit & ad inferiora extenditur. Quasi dicerent : sublimia non operarii in inferiora, & à se remota absque intermediis ; quibus nomen vestimentorum indunt : sicuti Numerationes serviunt infinito ; & creatio illis ; Angeli autem Creationi, & his Cortices. Intermedium autem hoc & instrumentale, in qua quod superius est, ad inferius extenditur, eique manifestatur ; etiam vocant equum juxta Jesa. 19, 1. Ps. 18. v. 11. Ps. 104, 3. quasi sit instrumentum & canalis superiorum, qui influant in illud : ubi ipsum deinde lucem & potentiam Divinam iterum derivet in id, quod infra se est.

§. 5. Quæ probè conveniunt cum iis, quæ dicit R. Mosche Corduero in Lib. Pardes : Quod nempe Angeli, qui habitant in Formatione, sint quasi judices, qui inquirunt in cogitationes hominis, inque consilia & peccata, atque bona opera generis humani : Cortices autem in Mundo Factitio habitantes sint lictores, qui homines puniunt. Quæ pœna, meâ quidem sententiâ, *juxta Platonicos illa est, quam animæ patiuntur à Spiritibus aëreis : sunt que mœror, ira, desiderium, metus, spes & cæteri affectus, quos excitant & inflammant in irascibili eorum & concupiscibili, eosdem introducendo per vestimentum seu corpus suum aëreum beneficiô idearum in phantasia illorum generatarum : unde perturbationes in his oriuntur, per quas homines non tantùm impediuntur, ne res Divinas assequantur ; sed aliis quoque motibus variis confunduntur, ita ut ferè in statum illum incidant, de quo Abigail 1. Sam. 25. 29 : quod alias à Cabbalistis appellatur truncatio plantationum desuper factarum, & declinatio fistularum sive canalium. Et hæc est Nubes illa velamenque, & paries distinguens inter Deum & cohabitationem ejus atque animam.

§. 6. Quæ omnia fermè coincidunt cum his, quæ dicuntur in libro Schaare Orah R. Joseph Gecatilah : Sciendum nempe, quod à terra usque ad firmamentum locus non detur vacuus, sed omnia plena sint cæterevis & agminibus, quorum alia sint pura, alia autem infra illa, quæ sint creaturæ impuræ nocentes & accusantes, quæ omnes consistant & volitent in aëre.

Cap. VI.

In quo adducitur Textus è R. Mosche Bar Nachman & ex aliis antiquis similes, qui conferuntur cum verbis Ezechielis.

§. 1.

POrrò R. Mosche Bar Nachman sic scribit in locum Levit. 17, 7. Sicut erat Creatio corporis humani & omnium animalium atque vegetabilium & mineralium è quatuor elemen-

elementis, quæ virtute Divinâ combinantur in corpus crassum sensile, quod percipi posset ab omnibus quinque sensibus ob crassitiem & spissitudinem suam, sic quoque fiebat formatio è duobus elementis, igne nempe & aëre ; & inde fiebat corpus nullô sensu perceptibile, quale est Nephesch seu Psyche brutorum, quæ sentiri nequit ob tenuitatem suam. Et hoc corpus spirituale est, & ob tenuitatem suam igne & aëre occultari potest. Et sicut compositio in omni re est causa generationis & corruptionis in iis, quæ composita sunt quatuor elementis ; sic res quoque se habet in his, quæ composita sunt ex duobus elementis : ita ut compositione hac existente ens illud sit vivum ; & eâdem cessante atque sublatâ, sit quasi mortuum. Hæc ille.

§. 2. Idem pergit dicendo cum Rabbinis nostris : Sex dantur res, quæ Dæmonibus tribuuntur, quarum tribus similes sunt Angelis ; tribus autem hominibus assimilantur. Tria illa, quibus sunt ut Angeli ministerii, hæc sunt ; quod alas habeant ut isti ; & volitent ut isti ; & sciant futura ut isti, non quidem scientiâ propriâ, sed ex auditu. Tria autem quæ communia habent cum homine sunt hæc : quod comedant & bibant ut homines ; generentque & multiplicentur ut isti ; & moriantur ut iidem. Causa autem cur moriantur, est solutio unionis, quæ id efficit in omnibus compositis. Causa autem cur volitent, hæc est : quod elementa eorum levia sint, prout idem in omnibus apparet. Comestio eorum autem talis est, quod lingant quædam ex aquis & ex igne suffimentorum & humoribus : unde etiam à Necromantis iisdem suffitus fiunt. Ratio autem siccitatis illorum hæc est, quod ignis in corporibus eorum exliccet aërem, & restitutione opus habeat : prout & propterea comedunt homines, ut restituant, quod ex ipsis transpiravit.

§. 3. Quod autem audiant futura, ex eo est, quod dum volitant per aërem cœli, percipiant res futuras è Præfectis Planetarum, qui in aëre residen ; & isti hæc percipiunt à Draconis (sideris illius cœlestis) præfecto : & exhinc etiam volatilia annunciant futura ; quod etiam è fuga serpentum colligitur ; de quo aliàs. Neutri autem sciunt futura procul distantia ; sed ea saltem quæ proximè futura sunt, quæ Dæmones percipiunt, quando Decreta eduntur, prout & quædam percipiunt de illis Angelis superioribus qui quandoque volatibus suis proximè ad hos accedunt. Edendo autem & bibendo attrahunt & lingunt quædam ut spongia, hauriuntque in se humores igneos & aëreos, odoremque suffituum atque exhalationes cæterarum rerum & corporum, quô ipsô id restituunt, quod expirant, cibanturque & nutriuntur, ut renovent amissas vires. Mors ipsorum autem est dissolutio duorum elementorum, ex quibus componuntur, ita ut particulæ illorum redeant ad universum illud, unde desumta sunt.

§. 4. Quæ non multum distant à sententia Philosophorum gentilium, qualis est Porphyrius &c. Et istorum quidam corporibus sanguineis inhiant, inque talibus excitant pravas cupiditates, ut voluptatibus illicitis indulgeant, in Corpore autem Lunatico & Phlegmatico ignaviam & pigritiam generant : in Cholericis autem & Martialibus iram & superbiam ; & in Melancholicis tristitiam, metum & similia.

§. 5. Hæc si conferantur cum illis, quæ Prophetæ de istis Spiritibus tradunt: tunc fortè ventus ille fortis dissipans montes & confringens petras, qui procul dubio est Aquilonaris ille tenebricosus & obscurus, frigidus & siccus, qui similes qualitates habet, quales adscribuntur Melancholiæ, quandoque causa erit iræ, furoris, amentiæ, excandescentiæ & homicidii. Nubes autem illa magna & terræ motus fortè sunt cortex ille, qui in sanguineis prævalet; vel etiam qui in Phlegmaticis & Lunaticis; in quibus timorem, insaniamque excitare solet. Ignis autem est cortex ille, qui Colericos adiram excitat atque superbiam, & splendor ille circumambiens exponi poterit de illis Spiritibus, qui phantasiam commovent, ut intellectum obfuscent, quò objecta incorporea vel intelligere nequeat, vel nonnisi sub qualitatibus sensualibus, quales sunt, tempus, locus, & similes.

§. 6. Vel etiam per Turbinem intelligi possunt Spiritus aëris infimi, crassi, & obscuri, terræ proximi, in quo procellæ & turbines prævalent, ita ut Spiritibus illis nulla sit quies: unde etiam causa sunt stultitiæ & amentiæ, & malorum similium, pravitatisque voluntatis humanæ. Nubes autem magna denotare potest Spiritus aëris medii, qui naturæ sunt humidæ & aqueæ, conformesque ad generationem: unde hominem inclinant ad voluptates & impuditiam; prout id dici solet de Lilith in proba. Ignis autem denotat Spiritus aëris summi, qui ad iram homines excitant similesque affectus, quod de Samaele dici solet, qui Princeps est exercitûs hujus Corticum & Spirituum impuriorum. Per splendorem autem fortè intelligi possunt Spiritus igniei & ætherei, qui hominem inclinant ad viam virtutum.

DISSERTATIO II.

CAP. I.

De primo gradu Angelorum, qui vocantur Chaschmalim.

§. 1.

ABsolutô Tractatu de Spiritibus externis impuris, quorum quatuor sunt species, nempe tres noxiæ, quarum natura & structura aliquando è medio tolletur, prout id repræsentat præputium, quod tribus etiam constat partibus; carne nempe, & duabus cuticulis: Item anni tres præputiatarum arborum. Una autem aliquando purificabitur, similisque est retectioni, & annô quartô arborum, quô fructus sanctificantur: Jam etiam de Angelis sanctis loquemur, & primum de iis, quos Propheta Ezechiel vidit in medio Corticis quarti, eosque appellat nomine Chaschmal חשמל, quod Magistri nostri sic exponunt, quasi per literam ח denotentur חיות animalia: per literam ש, אש: per literas מל, ממללות, i.e. loquentia; ita ut describatur animal loquens seu anima quædam vestita corpore igneô. Quamvis aliter vox חשמל explicetur, quasi sensus sit חש, i.e. tacens, & מל i.e. loquens: eò quod taceat, cùm Schechina

china loquitur, à qua accipiunt necessaria, prout servus à Dominô: Cùm verò hæc tacet, loquantur & notificent & communicent inferioribus, quod audiverunt & acceperunt ab ea.

§. 2. Sciendum autem nomen חשמל præ se ferre numerum 378, juxta numerum Nominis אלהים plenè scripti per א hoc modo - אלף-למד-הי-יוד-מם quod efficit 300 cum nomine אדני, quod est 65, & vocula אחד, quæ refert 13: unde 378.

§. 3. R. Jizchak Lorja autem hunc numerum refert ad lucem Peniel, qui est Angelus præfectus Palatio, quod dicitur cœlum ipsum, ita ut nomen אל bis plenè scriptum & lumina Atich Anpin denotans, referat 370; cum duobus nominibus Tetragrammatis ad Antiquum Sanctum, qui est gradus primus Sephiræ primæ, relatis, quorum literæ sunt octo: unde numerus 378.

§. 4. R. Schimeon Jochaides autem dicit, in Sohar sect. Pekude: quod Corticis libenter vellent accipere 378 lumina חשמל ipsis proxima; quodque tantùm acciplant 370; octo autem illas literas non assequantur ob nimiam illarum excellentiam; unde tantùm manent עש i.e. vermis. Quæ omnia ab Authore hujus latiùs diducuntur ex Tikkunim, & applicantur ad Jesod, & implicationem duorum nominum Tipheretici & Malchutici: adductis porrò Textibus è R. Mosche Corduero & R. Joseph Geketilah: qui tamen hanc naturam Angelicam paulò apertiùs describat, quod nempe sit animal constans igne acutissimô & tenuissimô, quod labiô selectissimô & linguâ aliâ loquatur tantâ velocitate atque celeritate, ut dum homo verbum unum loquitur, istud millies mille myriades myriadum proferat 1. Cor. 13, 1; & cujus motus tàm sit velox, ut unicô oculi ictu percurrere queat loca innumerabilia; appareatque innumerabilibus variationibus &c. Quæ omnia latiùs non explicat, quia sanctum non sit dandum canibus, nec margaritæ projiciendæ porcis. Matth. 7. v. 6. Et huc pertinent Apologi Talmudici de puero in Schola legente in Propheta de Chaschmal & propterea per miraculum combusto. Item de quatuor in Paradisum ingressis, quorum unus tantùm salvus rediit: ubi vox בשלום etiam habet numerum 378: quibus monemur ne indigni rem tantam aggredi audeant.

CAP. II.

De quatuor Animantibus sanctis, quod in se contineant omnes decem Choros Angelorum.

§. 1.

SIcut in nomine Tetragrammato continentur omnes decem Sephiroth, prout idem & plenè scriptum decem literas habet: Sic in quatuor Animalibus sanctis continentur omnes decem Chori Angelorum, prout declaratur Tikkun. 66. Ubi sermo est de 4 Spiritibus, quorum primus procedat à Corona summa, pergatque per Daath & Tipphereth & Jesod: alter procedat à Chochma, & pergat per Chesed ad Nezach: tertius

veniat à Binah per Gebhura ad Hod : & quartus referatur ad Malchuth. Finitq; quod subistis sint Michaël, Gabriel, Nuriel & Raphaël, qui vestimenta sint quatuor Spirituum, & sese implicent in decem Choros Angelorum.

§. 2. Idem quoque reperitur in præfatione Tikkunim ; ubi traditur, quod in nomine duplicato Tetragrammati & Adonai contineantur omnia Nomina & cognomina Schechinæ, & decem Sephiroth : & Angeli ; ut sunt Animalia, Currus & Seraphim, & Ophanim, & omnes decem Chori Angelorum, qui contineantur in quatuor Animantibus dictis; ministri sint decem Sephirarum. Et quod cùm DEUS descendit in mundum Jezirah Animalia dicant decem species Canticorum, ubi litera י denotet Kether: יה autem Chochmah & Binah : יהו Gedulah, Gebhurah, Tiphereth : יהוה Nezach, Hod, Jesod, Malchuth. Quâ ratione etiam quatuor Animalia repræsentent decem exercitus Angelicos, collata cum quatuor literis Tetragrammati, & gubernata à quatuor Principibus magnis, & primò locò in Regno sedentibus, qui sunt Michaël, Gabriel, Uriel vel Nuriel & Raphaël, qui vicini sunt & proximi Schechinæ, ut stent ad ministeria ejus, & quatuor literis Nominis Adonai, quod eidem dicatur. Et illi influxum præbent inferioribus, sive clementiæ, sive rigoris, sive misericordiæ.

§. 3. Sicut ergò quatuor illæ literæ referunt omnes decem Sephiras & quatuor mundos : sic quatuor animalia continent decem turmas Angelicas, qui sunt quatuor capita & quatuor pedes Throni. Et quatuor hæc Animalia correspondent quatuor sectionibus Phylacteriorum : sicut dicitur in Sohar sectione Veethchannan : quod nempe sectiones capitis referantur ad Chochmah, Binah, Gedulah, Gebhurah, sintque cerebra interiora, & Coronæ super Caput Tiphereth ; de quo dicitur, quod Sanctus ille, qui benedictus sit ! applicet phylacteria. Phylacteria autem brachii referuntur ad triadem infimam Tiphereticam ; quæ extra illuminent Matrem inferiorem, & intra eandem repleant atque vivificent.

§. 4. Thronus ergò superior, prout è Sohar apparet, sic explicatur, ut facies hominis sit Chochmah, quasi dicatur כח seu virtus nominis מה i. e. Tetragrammati plenè scripti per Alephin, cujus numerus est אדם 45. Quò refertur dictum Prov. 30, 4: מה 45 est nomen ejus. Facies aquilæ, cui tribuuntur sex alæ, quæ sunt sex extremitates structuræ mundi superni, refertur ad Binah : Facies Leonis, ad Chesed : & facies Bovis, ad Gebhurah.

§. 5. Et currus inferior, qui respectu illius vocatur secundus, sic explicatur : ut homo sit Tiphereth, de quo dicitur locò citato : מה 45 est nomen filii ejus. Leo est Nezach : Bos est Hod : & Aquila est Jesod.

§. 6. Quamvis alibi R. Schimeon dicat : quod Animalia Sancta in Aziluth sint Chesed, Gebhurah, Tiphereth, Malchuth ; quod etiam in Talmud dicitur, nempe patres esse Mercavam.

§. 7. Idem dicit, quod Rotæ sint Nezach & Hod ; & Rota una sit Jesod, quæ in terra, i. e. Malchuth ; ita ut in Animalibus, Rotis, & Angelis in illis contentis repræsententur omnes decem Sephiræ : quæ extendantur è supernis, & illuminent mundum Jezirah. Sicut & alibi dicitur : quod à Binah cum duabus superioribus dependeat mundus Briathicus : sicut à sex sequentibus Jeziraticus ; & à Malchuth, Asiaticus.

§. 8. Et hinc intelligi potest, quod respectu septem Sephirarum inferiorum collocentur Angeli illi, quorum locus est in mundo Jeziratico, ubi sunt septem Palatia sancta, quæ extenduntur usque in mundum Asiaticum, ubi sunt septem habitacula, quæ vocantur cœli.

§. 9. Huc etiam pertinet, quod dicitur Tikkun. 69 : Tres sunt gradus, Seraphim, Animalia sancta, & Rotæ. Seraphim sunt duo brachia, dextrum & sinistrum ; Animalia sunt corpus & fœdus, [cum quo semper connectitur Malchuth ;] & Rotæ sunt duo crura.

Cap. III.

Angeli dividuntur inter eos, qui sub Sancto illo, qui benedictus sit ! & inter eos, qui sub Schechinah ; & inter eos, qui sub regimine duorum Capitaneorum, Metatronis & Sandalphonis ; & quomodo alii ab aliis influxum accipiant.

§. 1.

Ex mente Cabbalistarum Angeli quidam referuntur ad Sanctum illum, qui benedictus sit ! qui est Seir-Anpin, quasi dicatur Microprosopus : nempe gradus Tiphereth, quatenus complectitur sex extremitates subindicatas per literam ו nominis Tetragrammati. Alii autem referuntur ad Regnum sanctum, Uxorem נו Seir-Anpin ; & ה ultimum Tetragrammati. Iidem porrò dicunt : quod Metatron sit Princeps faciei, & Princeps mundi, caput exercitûs Angelici, qui aliàs etiam confertur cum Seir-Anpin, & sex extremitatibus : Et ab eo & exercitu illius spiritus dantur hominibus. Sandalphon autem est caput & Princeps super Ophanim, & locatur è regione Regni sancti : estque radix animarum inferiorum in hominibus ; quas Platonici appellant animas corporibus impressas, quæ extra hæc non reperiuntur, nec extra eadem operantur ; quoniam & ipsæ naturâ suâ quasi corporeæ sint : Unde Spiritus & Mentes ab his distinguuntur, & per se subsistunt æternæque sunt, quoniam sunt incorporeæ.

§. 2. Et duo isti Duces exercituum Metatron & Sandalphon sunt duo Cherubim, qui super arca fœderis DOMINI locati erant ; alter mas & alter fœmina. Suntque quasi calceamenta Schechinæ : primus ad instar tibialium tenuium, quæ carni aptantur ; & secundus tanquam sandalium crassius, remotiorque & exterior. Et huc pertinet locus Cant. 7, 1. Suntque Chanoch & Elijahu, qui assumti sunt ad DEUM in mundum Jezirah.

§. 3. Porrò adducit loca è Tikkunim & Corduero, quæ jam allegata sunt Cabbal. denud. p. II. p. 113. cum locis aliis è Tikkun.

§. 4. Et quia mundus iste corporeus inferior se habet instar fœminæ, quæ influxum accipit à masculo: hinc Angeli, qui Ophanim dicuntur seu Rotæ, & Capitanei eorum Sandalphon, influxum accipiunt à superioribus, quæ sunt Animalia & Capitanei eorum Metatron. Quod enim in Propheta dicitur Jesa. 6, 3. *Et clamant alter ad alterum*; id Jonathan in Paraphr. sic transfert: Et accipiunt alter ab altero; i. e. inferior à superiore. Et hoc est mysterium illud, quare Sacerdos magnus die expiationum manum suam dextram imposuerit pedi suo dextro, & sinistram sinistro: ut indicaret, (prout explicat R. Mosche Corduero Tract. de die expiat.) per decem digitos manuum significari Metatronem, & decem gradus exercituum ejus ex Angelis ministrantibus gradui Tiphereth, qui uniantur cum decem digitis pedum, per quos denotetur Sandalphon, & decem turmæ Angelorum, qui Ophanim dicuntur, & serviunt Regno sancto: quorum illi sint tanquam masculi, qui influxum præbeant fœminis istis; aquas nempe Clementiæ & Misericordiæ, quas hauriant è fonte superno perenni.

§. 5. Quod etiam innuit R. Jizchak Lorjah, dum inquit: quod Malchuth quando vestitur tribus mundis inferioribus intra illos extendatur sub figura lit. ה Tetragrammati, quæ dividatur in duas literas ד & ו: quibus denotentur duo Cherubim, masculus & fœmina: Metatron nempe per ו, & Sandalphon per ד. Cumque conjungantur, contineant in se sex tres mundos hôc modo: ut capita eorum relinquantur in mundo Briah, sintque illius anima; Corpora autem cum sex extremis existant in mundo Jezirah; & membra generationis extendantur in mundo Asiah, sintque illius Nephesch. Ubi porrò adducitur textus è cap. IV, capitulorum R. Elieser, ubi ad Orientem locat Hominem; ad Austrum Leonem; ad Boream Bovem; ad Occasum Aquilam. In Sohar autem & ab omnibus Cabbalistis Michaël & facies Leonis ad Austrum & dextram, cum litera י & aqua; Gabriel & facies Bovis ad Boream & sinistram, cum He primo & igne; Uriel & facies Aquilæ ad Orientem, & antrorsum cum ו & aëre; & Raphaël & facies hominis ad Occidentem, & retrorsum ponuntur cum He ultimo & terra. Quibus adjunguntur Metatron, tanquam summus Capitaneus; & Sandalphon, tanquam secundus ab eo, quingentis milliaribus, i. e. gradibus sociis suis altior.

Cap. IV.

Hic distinguuntur Animalia à Rotis: diciturque, quod Animalia locum habeant in mundo Angelorum; Rotæ autem quasi descendant in mundum Asiah: nec non de Sandalphone & Metatrone Capitaneis Angelorum.

§. 1. R.

§. 1. R. Mosche Corduero in libro Pardes inquit: quod Rotæ sint Angeli, qui moveant orbes cœlestes; quodque Sandalphon sit Dux & Capitaneus eorum. Quod ut rectius intelligatur, notandum, differentiam inter Animalia & Rotas in hoc consistere, quod Animalium locus sit in mundo Jezirah proximè ad Thronum Gloriæ seu mundum Briah: Rotæ autem immediatè præfectæ sint gubernationi mundi Asiah, ita ut quodammodo eidem involvantur & intermisceantur tanquam animæ inferiores junctæ orbibus & partibus eorum supremis. Vel ita, ut caterva una ex parte consistat in Jezirah, & exinde non separetur: ex parte autem involvatur mundo Asiah, ut vivificent & conservent eum. Vel etiam dici potest: quod Animalia & Rotæ sint unum & idem essentiâ & numerò, sed differant tantùm applicatione & operatione: quod verius videtur: ista ut naturâ suâ omnes locum habeant in Jezirah; unde deinde discedant ad inspectionem operum mundi Asiatici, ejusque gubernationem. Sensu primò ergò vocantur Animalia, quatenus in sua natura intima sunt intelligentes per se, & operantes ex arbitrio suo, nempe operationes animales, sublimiores motu primo à se, pro se & in se. Sensu secundò autem vocantur Rotæ, quatenus junguntur orbibus & globo mundano, ejusque partibus & membris sublimioribus, quas moveant circulariter, vel aliis motibus loëisque.

§. 2. Et quia Rota est instrumentum idoneum ad operationes multas Angelicas & intellectuales; Daniel autem dicit: quod millies mille ministraverint ei, & myriades myriadum steterint coram eo: hinc sensu primò appellari possunt stantes; ut quorum scopus tantùm sit intueri Schechinam, in qua contemplentur & intelligant seipsos & reliquas creaturas. Sensu secundò autem dicantur ministrare, prout à Magistris nostris vocantur Angeli ministerii: quoniam quæcunque intellectu suo è supernis accipiunt & assequuntur, id revelent, & producant in auram mundi Asiatici.

§. 3. Unò verbò unum sunt essentiâ; & differunt operatione.

§. 4. Et fortè totus exercitus componitur ex masculis & fœminis; activis & passivis; illuminantibus & illuminatis; prout se habet Seir-Anpin & Uxor ejus; seu Sanctus ille, qui benedictus sit! & Schechinah.

§. 5. Sunt que sub regimine Metatronis & Sandalphonis, sub illo nempe Animalia, & sub hoc Rotæ. Et sicut ex masculo & fœmina constat homo integer; sicut scriptum est: *masculum & fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum* HOMO. Sic ex decem Animalibus & decem Rotis, quæ sunt ad instar masculorum & fœminarum, non efficiuntur viginti; sed decem saltim catervæ perfectæ omnium Angelorum.

§. 6. Et huc pertinet, quod in Gemara dicitur Tractatu Chagigah cap. 2. Dixit R. Eleasar: Angelus quidam est in terra, & Caput ejus pertingit inter animalia usque; & Sandalphon est nomen ejus: estque major sociis suis quingentis annis: & sedet post currum, nectitque Coronas Domino suo. Ubi intelligitur Rota illa; non cœlestis vel sphæra quædam corporea, prout opinati sunt R. Mosche Maimonides, & R.

Schem

Schem Tobh aliique : sed Angelus, qui stat in terra, i. e. præfectus est mundo Asiah; quamvis sit de natura Jeziræ. Notanter enim dicitur ; quod caput ejus pertingat non usque ad animalia. Ubi intelligi posset : quamvis ipse naturæ esset humilis & infimæ, quod tamen intellectu suo elevetur sursum, & æquatur sublimia, prout accidit intellectui humano. Sed dicitur : quod inter Animalia usque pertingat, i. e. quod ad inferiora animalium pertineat, quasi unus de genere graduque illorum. Quodque pedes ejus stare dicuntur in terra hac : per id intelliguntur operationes ejus infimæ, quibus regit & gubernat mundum. Et quoniam iste Sandalphon seu Rota est Psyche seu forma corporis cœlestis supremi & perfectissimi omnium corporum : hinc analogiam habet & similitudinem cum animabus & formis cæterorum corporum : quamvis ob magnitudinem perfectionis & excellentiæ suæ elevetur super omnia. Et fortè est quinta illa essentia juxta Aristotelem, quæ est corpus cœleste, superius materiâ terrestri quinque gradibus. Quâ materiâ etiam sublimiores sunt Spiritus aërei seu cortices : qui quamvis sint impuri, tamen aliquantulum participant de Luce intellectuali, quâ omnia corporea naturâ suâ privata sunt.

§. 7. Et quoniam super decem istorum corticum catervas elevatæ sunt decem animæ orbium cœlestium : hinc numerus istorum sic computandus est : Quinquies decem (i. e. quinque gradus usque ad quintam essentiam cum decem catervis Spirituum aëreorum;) multiplicati sunt quinquaginta : & quinquagesies decem (numerus nempe decem Intelligentiarum;) sunt quingenta : qui est numerus graduum Angeli Sandalphonis, quibus sublimior est formis corporeis, quæ quodammodo vocantur sociæ ejus.

Aliam explicationem hujus numeri de quinque corporibus simplicibus & decem compositis seu mixtis ; item decem orbibus , quibus sublimior sit Angelus Sandalphon seu Anima mundi ; utpote cujus partes tàm simplices & primæ, quàm compositæ, & secundæ ; ex quibus ipsa perficitur, dicuntur illa corpora : hôc locô omittimus.

§. 8. Quod autem Sandalphon iste dicatur stare post currum : hoc ipsô denotatur, quod proximus sit post mundum Briah , qui vocatur Thronus Gloriæ, i. e. mundi Aziluthici. Quod autem dicatur nectere coronas : Sensus est : quod animas intellectuales, intra quas locum habet Thronus, elevet ad sublimiora; & in reliqua entia extendat dominium suum, eademque connectat & uniat.

Cap. V.

Ejusdem Argumenti.

§. 1.

Cum his concordant ea , quæ tradit R. Schimeon Jochaides in Libro Sohar in explic. Cantici Moïs sect. Beschallach, colum. 102. his verbis: quæ

quæ in gratiam Studiosorum stylî Soharistici ipsa hic præmittimus.

אר אלעזר בשעתא דעל משה בנו עננא כמא דכתיב ויבא משה בתוך הענן כבר נש דרוח אוירא באתר דרוחא אשרע ביה רוח מלאכא רברבא ותקיף קמואל שמיה והוא ממנא על תריסר אלפין ממנן שליחן. בעא להודועי ביה במשרי פתח משרי פומיה בתרים אתון גליפן דשמא קדישא דאוליף ליה קב ה בסנה ואתרתק מיניה תריסר אלפין פרסין והוה משה אזיל בעננא ועמוי מלהטין כנטרין דאשא עד דאשרע ביה חד מלאכא רברבא ויקידא מן קדמאה ותקיף קמואל שמיה והוא עלאה על שאר מלאכין אלף ושתין רבוא פרסין וקליה אזיל במאתן אלף רקיעין דמסתחרן באשא היורא כיון דחמא ליה משה לא יכיל למללא בעא למשמי נרמי מגו עננא איזיל לי הק בה משה את הוא דאסבית מילין עמי בסנה עד האשרע ביה חד מלאכא רברבא ויקידא מן קדמאה ותקיף קמואל שמיה והוא עלאה על שאר מלאכין אלף ושתין רבוא פרסין וקליה אזיל במאתן אלף רקיעין דמסתחרן באשא היורא כיון דחמא ליה משה לא יכיל למללא בעא למשמי נרמי מגו עננא איזיל לי הק בה משה את הוא דאסבית מילין עמי בסנה רבעית למנדע רזא דשמא קדישא ולא ידהלה ושתא חת רחיל מחד חשבושיו כיון דשמע משה קליה וק בה את הקף פתח פומיה בע ב אתון דשמא עילאה כיון דשמע הדרניאל אתון דשמא קדיש מפומי דמשה אודיעו קריב לגביה א ל זכאה תולך משה ראתנלי לך מדה דלא אתנלי למלאכי עלאי והוה אזיל עמיה עד דמטו לאשא הקיב דמר מלאכא רי שמיה סנדלפון ואתא סנדלפון עילאה והא קרישא על כל שאר חברוי חמש מאה שכין והוא קאים בתר פרגודא דמריה ושקיר ליה כתרין מבעותהון דישראל ובשעתא דמטי האי כתר לרישיה דמלכא קדישא הוא מקבל נהורי תון דשיראל ומלתף היילין ואכלושין מזדעזעין ונהמין ואמרין ברידיקא דה מאתר בית שכינתיה אל הדרניאל למשה משה ליה אנא יכיל למהך עמך דלא ויקיר לי אשא הקיפא דסנדלפון וכו Cùm Moses intraret intra nubem, occurrebat ipsi Angelus quidam magnus, cujus nomen Kemuel; qui præfectus est duodecim millibus præfectorum emissariorum: volebatque jungi cum Moscheh. Moses autem aperiebat os suum duodecim literis exaratis Nominis sancti, quas ipsum docuerat DEUS in rubo: & amovebatur ab eo duodecim mille milliaribus. Moses autem intrabat intra nubem, & oculi ejus fulgebant ut carbones igniti: donec ipsi occurreret Angelus quidam major & præstantior priore, cui nomen Hadarniel: & hic superior est reliquis Angelis mille & sexaginta myriadibus milliarium: Et vox ejus pervadit ducenta millia cœlorum, qui circundati sunt igne albo. Cùm hunc videret Moses, loqui non poterat: cumque vellet excurrere extra nubem, sic ipsum alloquebatur DEUS: Mosheh, tune es ille, qui tam multa mecum locutus es in rubo, cùm scire velles mysterium Nominis sancti, & non timebas: jam autem times unum de ministris meis. Auditâ voce DEI, Moses confortabatur, aperiebatque os suum 72 literis Nominis superni. Cum Hadarniel audiret literas sanctas ex ore Mosis, commotus est, accedensque ad eum dixit: O beatum portionem tuam Moscheh! quia manifestatum tibi est, quod non manifestum est Angelis supremis. Ibatq; cum ipso, donec venirent ad ignem ingentem Angeli cujus dam, cui nomen Sandalphon: de quo traditum est, quod superior sit reliquis sociis suis itinere quingentorum annorũ, stetq; post velum Domini sui & nesciat coronas de precibus Israëlitarũ. Et cùm talis Corona pervenit ad caput Regis Sancti, stat coronas de precibus Israëlitarum. Et omnes turmæ & catervæ commoventur & fremunt, iste suscipit preces Israëlitarum. Et omnes turmæ &

dicuntque : Benedicta sit Gloria DOMINI de loco domûs Schechinæ. Dixit autem Hadarniel ad Mosen : Mose ego non possum tecum ire, ne fortè me comburat ignis magnus Sandalphonis, &c.

§. 2. Hæc saltem adducimus, ut inde appareat, quanta sit excellentia Sandalphonis. Quamvis enim sit Rota illa, prout dictum, tamen appellatur Angelus, & multis Angelis prior, imò proximus velo sive Throno Gloriæ, qui connectit mundum Aziluth cum mundo Jezirah.

§. 3. Hoc autem velum sic interpretatur R. Mosheh Corduero, dum inquit: quod in Palatio septimo nempe summo, quod vocatur Sanctum Sanctorum, nulla sit forma, nec aliquid, quod comprehendi queat, sed omnia ibi sint occulta : quodque proximum sit mundo Aziluth. In medio autem hujus palatii aulæum quasi aliquod expandi, ut fiat distinctio inter Sanctum & inter Sanctum Sanctorum : in medio autem hujus aulæi locat duos Cherubim, qui sint Metatron & Sandalphon, ibique adducit locum istum è Sohar, addendo: quod Sandalphon consistat in Palatio Sancti Sanctorum, in aulæo dicto, quod aliis quoque textibus probat.

§. 4. In intimo autem hujus Palatii sedes est Thronus que Gloriæ Divinæ, & sciendum, quod in Palatio sexto, quod est sub isto modo dicto, R. Schimeon Jochaides locet quatuor Principes Michaëlem, Gabrielem, Urielem, & Raphaëlem. Indicetque, quamvis isti sint Animalia sancta, quod tamen inferiores sint Sandalphone, qui est Rota: quodque Animalia & Rotæ unius sint gradus, & essentiâ sint unum & idem, quamvis differant conceptibus & operationibus.

§. 5. Huc pertinere videtur locus è Sohar sect. Breschith col. 99. ad Genes. 1, 16. Verba sunt hæc: והחיות רצוא ושוב ולא יכלא עיבא למשלט בדין בנין דאינון רצוא ושוב חיורת דאתגלין אינון דהדואה אופר קאים בעוידתי ומאן אינון דלא משטרון דאינון רב ויקיר משאר תלין ושלאה חמש מאה שנין ומי Et Animalia currebant & revertebantur, ut oculus illa non posset capere. Nam cùm ista currunt & revertuntur, animalia nempe, quæ manifestantur : illa, quæ ad Rotam pertinent, stant intra hæc. Quis est iste? Est Metatron, qui major est & excellentior reliquis exercitibus quingentis milliaribus, &c. Et paulò pòst : חיורת דאתגלין אנון לתתא תתאין עלין עלאין דמשטרון ואתגזרין מניידו ונגלין בגניזתו חיורת עלאין ומי Animalia, quæ manifestantur, sunt infra illa superna Metatronis, & lucent ab illis, & per illa accipiunt vitam supernam &c.

Unde patet, quod Metatron sit Animal, & Caput omnium Animalium & Angelorum, imò & Seraphinorum. Hæc autem omnia etiam tribuuntur Sandalphoni, quoniam & hujus dignitas statuitur supra Animalia & Seraphim tanquam Rota: & ipse cum Metatrone statuitur proximus Throno Gloriæ ; imò eidem quoque eandem planè proportionem tribuit supra reliquos Angelos cum Metatrone, qui est Caput omnium.

§. 6. His addimus & hoc, quod Metatron referatur ad Jesod, quæ est Sephira nona, & vocatur Rota illa una in terra : prout testatur nomen שדי quod refertur ad Jesod, refertque numerô suô 314 : qui etiam est numerus vocis משטרון & vocis, גלגל, si plenè scribatur.

§. 7. Hinc ego colligerem, quod Metatron sit Psyche prima & universalis subsistens per se; Sandalphon autem Vita, quæ est in corpore primo, nempe cœlo illo, quod vocatur Araboth; alias etiam empyreum vel primum mobile, Orbis diurnus. Vel etiam ambo simul sumti vocari possent cor & cerebrum mundi, per quæ influxus fit in reliqua corpora, quæ reguntur virtute superiorum, & in specie virtute gradûs Tiphereth & sex Sephirarum structuræ : Sicut Sandalphon vitam & influxum præbet virtute Malchuth; estque fœmina in imagine atque forma istius, sicut Metatron masculus ad similitudinem Tiphereth.

§. 8. Unô verbô : Hic, nempe Metatron, est Princeps Mundi Jezirah, & hæc, nempe Sandalphon, est Domina præfecta mundo Asiah. Ille tanquam Intelligentia incorporea subsistit per se; hæc autem tanquam Phantasia & sensus, unitur cum corpore. Ille tanquam Intellectus & motor abstractus & separatus: hæc autem tanquam Psyche & motor compositus : Ille tanquâ motionis finis; & hæc tanquam ejusdem executio. Et ex his intelligitur, quid sibi velint Talmudistæ, dum Metatronem vocant Principem faciei rum, & principem mundi: nempe quod juxta nomen primum faciem convertat ad superiora, & principem mundi: nempe quod juxta nomen primum faciem convertat ad superiora, de quorum natura est; & ad inferiora, quorum quodammodo causa est, ita ut utraque duplici quasi facie simul intueatur. Et quod juxta nomen secundum involutus sit, & operetur in mundo corporeo, eumque formet & disponat ad modum intellectualium: estque causa motûs cœlorum, & conservator elementorum & specierum elementalium, generationisque & corruptionis, & alterationis individuorum, ex quibus constant. Unde dicendum est, quod Metatron & Sandalphon sint substantia & subjectum unum, cui competat nomen primum, quatenus consideratur in se; & secundum, quatenus involvitur in mundum Asiah, qui ab ipso formatur & regitur.

Cap. VI.

De decem Turmis Angelorum.

§. 1.

Animalia sancta designantur Nomine Tetragrammatô : Rotæ autem ex adverso nomine אדני. Et ex utrisque componitur nomen octo literarum יאדה ונהי Quibus denotantur decem Sephiræ manifestæ & extensæ à summo deorsum descendendo : unde initium est à י : Et eædem Sephiroth inversô ordine ab imo sursum, unde quoque finis est in י : Et hoc eôdem modô apparet in Animalibus, ubi Sephiræ dictæ lumine directo repræsentantur, quasi influxuræ in inferiora; & in Rotis, ubi decem Sephiræ lumine reflexô proponuntur, & inversæ tanquam acceptuæ aliquid à superioribus.

§. 2. Sicut autem ob conceptum decem Sephirarum, quatenus vel prodeunt è scaturigine sua & descendunt, vel reflectuntur & ascendunt, non tamen evadunt viginti: Sic decem Turmæ Animalium contentæ sub quatuor faciebus; & decem cohortes Rotarum sub quatuor Rotis comprehensæ, non efficiunt numerum viginti Turmarum Angelicarum; sed decem saltem manent; sive consistant in loco superno mundoque Jezirah, & extendantur in mundum Asiah: sive abhinc convertantur, redeantque ad originem & summitatem suam. Et sicut duo Nomina Tetragrammaton & Dominii cum octo literis efficiunt denarium plenum; sic duæ classes sanctæ cum octo caterva Animalium & Rotarum, quæ in illis comprehenduntur, constituunt decem Choros Angelicos. Et sicut super vehiculum summum, quod constituitur ex Chochmâ, Binâ, Jedulâ, Gebhurâh, consistit Kether: ita sub vehiculo infimo, quod est Tiphereth, Nezach, Hod, Jesod, locum habet Malchuth: quæ omnia sunt decem: Sic supra quatuor Animalia adhuc unum statuitur, quod fortassis est Metatron vel Firmamentum imminens capitibus ipsorum, quòd illa in se continet, illisque sublimius est. Et sub quatuor Rotis adhuc natura quædam quinta est, nempe Rota una, quæ in terra: ita utin Animalibus & Rotis inventamus denarium perfectum Chororum Angelicorum in mundo Jezirah contentorum.

§. 3. Et quoniam in singulis quatuor mundis itidem quatuor similes continentur gradus: ita in mundo Jezirah primo occurrit mundus supremus, & quasi Aziluthicus, qui respondet literæ Tetragrammati, denotatque Angelos supremos, qui forte sunt Cherubini, Metatron, & Sandalphon, primum habentes locum inter Angelos. Deinde occurrit gradus secundus analogus Throno Gloriæ & He primo Tetragrammati, ibique locum habent Seraphim, quorum meminit Jeschajah Propheta. In gradu tertio, qui analogicus est eidem systemati ipsi & literæ Vav comprehenduntur Animalia sancta: sicut in quarto, qui ipsi est Asiaticus, & correspondet He ultimo, continentur Rotæ. Quamvis revera omnes hi quatuor mundi systema saltem sint unum, nempe Jeziraticum.

§. 4. Hinc intelligi potest, quomodo Paradisus in Scriptura dicatur esse in terra, cùm tamen in libro Sohar sæpiùs dicatur, quod sit in Jezirâ; prout & explicat R. Mosche Cordvero, cùm agit de Palatiis sanctis: nimirum quod vel referendus sit ad Asiam mundi Jeziratici; vel ad Jeziram mundi Asiatici, quod rectius est: ita ut hortus Eden inferior, qui in terra est, referendus sit ad illam partem mundi Asiah, qui correspondet Systemati Jeziratico.

§. 5. Vel etiam sic dici potest: quod Mundus Jezirah vel respectum habeat ad id, quod est supra illum; & illuc referuntur Seraphim: vel ad id, quod est intra illum, quò pertinent Animalia: vel ad id, quod est infra illum, & illuc pertinent Rotæ: quamvis omnes tres hi gradus sint Mundus unus, & operationibus saltim differant. Quod etiam indigitare videtur R. Schimeon Jochaides in Tikkunim Soharis novi.

§. 6. Jamque de ordine decem Chororum Angelicorum dicendum nobis est: circa quem non parva inter Autores occurrit discrepantia. Nam R. Moscheh bar Maimon

mon sic eos collocat, ut primò sint חיות Animalia; secundò אופנים Rotæ: tertiò אראלים Arelim: quartò חשמלים Chaschmalim: quintò שרפים Seraphim: sextò: מלאכים Angeli: septimo אלהים Dii: octavò: בני אלהים filii Dei: nonò כרובים Cherubim: decimò; אישים Viri.

§. 7. R. Jischmaël in Pirke Hechaloth inquit: decem esse turmas Angelorum, qui dependeant, à decem gradibus superioribus, quarum nomina sint: primò, כרובים Cherubim: secundo חשמלים Chaschmalim: tertio; חיות animalia: quartò, אראלים Arelim: quintò, שרפים Seraphim: sextò; תרשישים Tarschischim: septimò & octavò אופנים rotæ: nonò; אשים viri: decimò; מפסרים Taphsarim, Vice-principes.

Quod ipsum etiam statuit Liber Pliah; ubi dicitur, quod Cherubim pertineant ad Coronam: Chaschmalim ad Sapientiam: Animalia ad Intelligentiam: Arelim, ad Benignitatem: Seraphim ad Severitatem: Tarschischim ad Pulchritudinem: Rotæ ad duos gradus, Victoriam & gloriam: Viri ad Fundamentum; & Taphsarim ad Regnum.

§. 8. Sic etiam allophylus quidam, qui ad hoc studium sese applicuit, gradus illos enumerat ordinè sequenti: ut primò sint Cherubim: secundo, Seraphim: tertio, Chaschmalim: quarto Arelim: quinto Tarschischim; sexto, Taphsarim, septimò; Viri, &c.

§. 9. In Sohar autem Sectione Jethro, sic habetur: Angeli, qui sunt quatuor; Michael, Gabriel; Nuriel, Raphaël; dividuntur in decem cohortes, quæ sunt: 1. Arelim. 2. Seraphim: 3. Chaschmalim. 4. Schinanim. 5. Tarschischim; 6. Ophanim. 7. Elohim. 8. Ischim. 9. Chajoth seu Animalia. 10. Et Bene Elohim. Sed extra dubium est, illos hoc loco non recitari secundum ordinem.

§. 10. Et in Tikkunim sive supplementis ponuntur: Malachim sivè Angeli: Arelim: Chajoth, sive Animantia: Ophanim, sive rotæ: Chaschmalim: Elohim, sive dii: Bene Elohim; filii Dei: & Ischim seu Viri.

§. 11. Veritati autem quam maximè est consentaneum; quod Seraphim pertineant ad Intelligentiam: Chajoth sive Animalia, ad pulchritudinem; vel ad sex Numerationes structuræ; & Ophanim seu Rotæ ad Regnum. Cæterorum autem chororum applicatio dubia est. Videtur tamen Cherubim referendos ad Coronam; vel si hæc ob nimiam sublimitatem non referatur inter numerum Numerationum, ejusque locum suppleat Daath, sive Cognitio: tunc Cherubim referendi erunt ad Sapientiam, ceu primam. Accedit, quod etiam R. Schimeon Ben Jochai Cherubim dicit esse Metatronem & Sandalphonem, principes seu Duces exercituum Angelicorum, unde necessariò extollendi erunt super cæteros; & in specie super Seraphim, qui pertinent ad Intelligentiam, quæ proximè adjacet Sapientiæ, prout hæc Coronæ.

Cap. VII.

De *duobus Textibus, Talmudis scilicet & Libri Sohar, in quibus Cœli ab invicem distare dicuntur, itinere quingentorum annorum.*

§. 1. IN Tractatu Chagigah capite 2. dicunt Sapientes nostri bonæ memoriæ: A terra usque ad Cœlum, esse iter quingentorum annorum: & talem distantiam quoque reperiri inter singulos cœlos. Supra hos (sunt verba:) existunt animalia sancta: pedes Animalium exæquant omnia hæc: tali Animalium exæquant omnia ista: crura Animalium exæquant omnia hæc iterum: femora Animalium, iterum exæquant omnia infera: Corpora Animalium rursus æqualia sunt omnibus se inferioribus: Colla Animalium æqualia sunt omnibus: Capita Animalium exæquant omnia: Cornua Animalium iterum exæquant omnia. Supra hæc est Thronus gloriæ: Pedes autem Throni gloriæ exæquant omnia: Ipse Thronus gloriæ exæquat omnia, Rex autem Deus vivus & permanens, excelsus & elevatus habitat super ista, &c.

§. 2. Et in Sohar Sectione Beschallach sic legimus: הא תנינן שבעה רקיעין עבר קדרה ובכל רקיע ורקיע כוכבין קבוען והדטין בכל רקיע ורקיע ולעילא מכלהו עברות וכל רקיע ורקיע בהלוכו מאתן שנין ורומיה תק שנין ובין רקיע ורקיע תק שנין והאי ערבות הלוכו באורכיה אלף וחמש מאה שנין ופותיה אלף ותק שנין ומזויא ויליה נהרין כל אינן רקיעין. והא תנינן למעלה מערבות רקיע פרסות רחוק קדישין ורומהין ככלהו לעילא מנהן קדמוהין ודחוק ככלהו. ומופא דחוק ככלהו. גדפיהו ככלהו. ראשי חיות ככלהו. ונוראיהו ככלהו. מאי ככלהו. בקבלי כלהו. וכל שיפא ושיפא דחיות לקבל שבעה הוכמין דלקבל שבעה הוכלין ולקבל מארעא לרקיע ולקבל מרקיע לארעא. ושעורא וכלהו ורומהין עשרים וחמשה אלפין חולקין משעורא רקפה כמה דאוקימנא. Traditioita habet: Septem cœlos fecit Deus sanctissimus, qui benedictus sit: & in singulis cœlis sunt stellæ fixæ & errantes: Et supra omnes est cœlum ערבית seu latissimum. Et quodlibet cœlum in cursu suo habet ducentos annos; & altitudo ejus est quingentorum annorum. Et inter singulos cœlos quingenti anni intercedunt. Cœlum ערבות seu latissimum autem in longitudine habet mille & quingentos annos; & in latitudine mille & quingentos annos; & à splendore ejus omnes illi cœli fulgent. Porrò sic traditum est. Supra Cœlum Araboth est firmamentum ungularum Animantium Sanctorum, quarum altitudo æqualis est omnibus dictis. Supra has tali Animalium, ad instar omnium. Et corpus animalium ad instar omnium. Alæ eorum ad instar omnium. Capita Animalium ad instar omnium. Colla eorum ad instar omnium. Quid hoc est, ad instar omnium? æquale esse omnibus. Et quælibet membra Animalium æqualia sunt septem Abyssis, & septem palatiis, & spatio quod à terra usque ad cœlum intercedit; quodque è cœlo in terram. Et proportio omnium atque altitudo sunt viginti quinque mille partes proportionis Dei Sanctissimi, qui benedictus sit: prout constituimus.

§. 3. Hic sciendum, quod in quolibet trium mundorum, Creativo scilicet, formativo, & factivo septem sint palatia Sancta, prout sæpius traditur in Sohar, Sectione Breschith; Trumah; & Pekude. Prout etiam in classe infima sunt septem habitacula impuritatis, in quibus habitant Spiritus immundi, & animæ damnatæ. Omisso autem mundo creativo, qui dicitur Thronus gloriæ; & hoc infimo impuro; jam dicimus, non esse dubium, quin, sicut inveniuntur angeli in mundo formativo, ipsis proprio; tales etiam inveniantur in mundo factivo & materiali: quare in utroque erunt septem gradus diversi. Ordines autem Angelici in Sohar interdum dicuntur היכלות Palatia, Interdum מדורין habitacula vel mansiones. Et in Tikkunim in hunc sensum sic dicitur: שבעה ימים הם וים אחד על כולם כלא כי שפע ימים יקנו. מהיכן ינקו שבעה משבעה שהם מוצקות וכן הרקיעים הם שבעה. וצל כלם אֹ מכוסה ונסתר. וכן יש שבעה כאורח שבעה ושבעה. שבעה היכלות המישלים שבעה בשבעה. Septem sunt Maria; & Mare unum super omnia cætera: sicut dicitur Deut. 33. v. 19. *quia affluentiam Mariæ sugent.* Unde sugent? Septem è septem; quæ sunt episstomia. Et sic cœli sunt septem, & super cætera unum contectum & absconditum. Et sic sunt septem throni: septem & septem. Septem palatia dominatorum, septem in septem. Hæc ita exponit R. Mosheh Korduero: quod Numerationes vocentur maria: suntque septem sub Intelligentia; ipsa autem cum duabus reliquis superioribus omittitur, quia cæteris scaturiginis loco sunt, unde hæ influxum habent. Ipsa autem quoque vocatur Mare, quia κατ' ἐξοχήν, easdem comprehendit, atque è se se emittit. Textum autem Scripturæ sic explicat; quod Maria ista accipiant influxum; nimirum è septem maribus aliis, quæ continentur in Intelligentia. Ita ut septem istæ Numerationes Formativæ accipiant influentiam à septem aliis caulalibus, radiantibus in Intelligentia secundum excellentiam. Ista autem maria etiam vocat Cœlos, quatenus influxum accipiunt à Pulchritudine: item Terras, quatenus à Regno influentiam accipiunt. Et perpetuo heptades sunt intra heptades. Et sic etiam Throni, seu gradus mundi creativi septem sunt intra septem: nec minus gradus formativi septem sunt intra septem: quoniam septem superiores sunt quasi lumina & animæ respectu inferiorum, quæ quasi corpora quædam crystallina sunt, & ab illis vim & potentiam operandi accipiunt. Et sic etiam in Mundo factivo septem sunt intra septem; prout dicit, quod sint dominatores, alios gubernantes.

§. 4. Jam igitur scias, quod è palatio primo ab imis ascendendo, quod vocatur לבנה ספיר Albedo crystallina, quod illuminatur à fundamento unà cum Basilia, influxum accipiat Saturnus cum asseclis, qui est è Planetis septimus & summus. Et è palatio secundo, quod vocatur עצם השמים Ipsum Cœlum & est habitaculum Hod sive Gloriæ, influxum accipit Jupiter & exercitus ejus. Et tertio autem, quod vocatur היכל נגה Palatium splendoris sive Serenitatis in quo domum suam habet Victoria, influxum accipit Mars

Mars & omnes cohortes ejus, & sic planetæ cæteri, influxum hauriunt è reliquis Palatiis mundi Angelici; quamvis mediantibus gradibus aliis, ex illis palatiis emissis & ad planetas usque pertingentibus. Et sic facilè intelligi possunt septem cœli mundi corporei, de quibus in textu Talmudico supra allegato sermo est; sicut & in textu Sohar is: quod illi nimirum sint septem gradus sive ordines Spirituum Angelicorum, in quibus influendo inest ipsa extensio divinitatis à principio infiniti huc exporrecta.

§. 5. Supra septem hos ordines autem est mansio Animalium sanctorum. Nam quia hæc pertinent ad mundum Angelicum, hinc in eo quoque semper manent, nec evagantur ut alii gradus, qui dicuntur rotæ, extensæ in cœlos & reliqua corpora; cum quibus uniuntur, ut illa vivificent & gubernent. Veletiam per illos cœlos intelligi possunt septem palatia Paradisi inferioris: ita ut cœlum עַרְבוֹת sit palatium summum & septimum, correspondens tribus numerationibus superioribus: Coronæ, Sapientiæ & Intelligentiæ; & in specie huic postremæ.

§. 6. Jam è Scriptis R. Jizchak Lorjensis Germani sciendum, quod nomen אֶהְיֶה referatur ad Intelligentiam, quæ indigitatur pro י primum Tetragrammati, cujus numerus est quinarius. Jam ex verbis illis Salomonis Prov. 3. v. 19. *Dominus in Sapientia fundavit terram: stabilivit cœlos in Intelligentia: in cognitione ejus abyssi ruptæ sunt*; porrò patet, quod Intelligentia referatur ad cœlos: atque hinc apparebit, quare cœlo uni tribuatur iter quingentorum annorum. Nomen enim אֶהְיֶה plenè scriptum retrogradando hoc modo. אֶלֶף הֵא יוֹד הֵא אֶלֶף וָו יוֹד הֵא אֶלֶף efficit Summam 544. & sublatis radicalibus א. אב. אמ. אהי. אהיה, quarum numerus est 44. remanent 500; quæ est extensio Intelligentiæ אֶהְיֶה extra se in cœlum à se se stabilitum. Quasi diceretur: Intelligentiam in plenitudine Nominis sui absque radice propria hunc efficere numerum.

§. 7. Eodem modo ad Intelligentiam refertur nomen שַׁדַּי, quod si plenè scribatur hoc modo: שִׁין דָּלֶת יוֹד, sublatis radicalibus similiter efficit numerum 500.

§. 8. Tertio Nomen מְקוֹם Locus, est 186: & oritur è Tetragrammati literis in se ductis hoc modo. י i. e. decem decies efficiunt 100. ה i. e. quinque quinquies efficiunt 25. ו i. e. sex sexies efficiunt 36. ה i. e. quinque quinquies efficiunt 25. qui numeri simul sumti sunt 186. Utrumque autem hoc nomen refertur ad pulchritudinem, quæ vocatur cœlum; Cui si addatur nomen שַׁדַּי 314. quatenus refertur ad fundamentum, quod etiam fundamentum dicitur, efficitur numerus 500.

§. 9. Quartò; Intelligentia est ה Tetragrammati primum, i. e. 5; Eademque habitare dicitur in Creatione: Si jam exinde pergat in formationis decadem, turmarum scilicet angelicarum, efficiet 50. Et si descendat in Fabricationem, efficiet 500. multiplicata scilicet per decem sphæras. Rationes plures hic omittimus.

Cap. VIII.

De cæteris numeris allegatorum textuum.

§. 1.

Quæritur autem & porrò quid sibi velint ducenti illi anni, qui cœlis tribuuntur in textu Soharistico? Ubi sciendum, quod cœli illi sive palatia quidem virtute Intelligentiæ, seu ה primi in actum deducta sint; sed immediatè à Basilia sanctissima, quæ est He ultimum Tetragrammati, & mater inferior, causa nimirum proxima trium mundorum. Hæc autem vocatur ducenta, propter literam ה i. e. 200. quia est רֵאשִׁית sive principium & Sapientia inferior.

§. 2.

Hi duo numeri autem anni dicuntur: quia sex Numerationes structuræ vocantur dies; quia dicitur; sex diebus Deus mundum creavit & quievit septimo. Ad regnum igitur pertinet nomen Sabbathi: item nomen mensium, quia illud dicitur Luna; & neomeniæ. Sed ad matrem supernam refertur nomen annorum: quia ipsa est mater & causa pulchritudinis, quæ vocatur Sol spiritualis, qui est mensura anni per duod. cim variationes Tetragrammati sui; ceu per 12. menses. Et quia ab illa excitantur judicia; hinc ab illa quoque proveniunt 365. præcepta prohibitiva; qui est numerus dierum anni solaris. Eadem etiam dicitur שָׁנָה annus, id est 355. quia ad ipsam pertinet nomen אֱלֹהִים plenè scriptum hoc modo אֶלֶף לָמֶד הֵא יוֹד מֵם quod efficit 300. Et 50. portæ intelligentiæ: & quinarius He Tetragrammatici; unde 355. Si verò assumatur vox שָׁנִים anni: duæ literæ primæ jam sunt expositæ: & duæ ultimæ constituunt vocem מִי; quis? quæ etiam refertur ad Intelligentiam.

§. 3.

Numerus autem 1500. qui tribuitur cœlo summo, עַרְבוֹת seu latissimo, provenit è Tetragrammati literis. Si una per alteram multiplicetur hoc modo: י i. e. 10. quinquies i. e. per ה, efficit 50: 50 per ו i. e. 6. efficit 300: 300 per ה i. e. 5. efficit 1500. Vel si cœlum summum referatur ad duas primas literas Tetragrammati, יה; quæ efficiunt 15; facilè patet, quomodo descendendo per decades mundorum inferiorum, efficiuntur 1500.

§. 4.

Sicut autem cæli hi stellis pleni sunt, ita & pleni sunt animabus, intelligentiis, & angelis fulgidissimis: nec non Planetis, per quos intelliguntur principatus, præfecti & dominationes, angelique ministratorii, qui variis officiis præsunt. Animalia autem his omnibus superiora sunt, tam ratione naturæ, quam ratione loci; quorum membra in Gemara enarrantur novem, juxta numerationes mundi formativi Corona demta, quam è superioribus habent: in libro Sohar autem septem, respectu palatiorum paradisi. Numerus autem ultimus viginti quinq; millium; originem habet ex ת ultimo, Gloriæ divi-

næ quæ influxum dat animalibus illis, multiplicato per numerum quinque personarum, mundi Emanationis; unde oriuntur 25: & facta multiplicatione per decades Numerationum, tandem 25000; quæ sunt lumina influentiæ supernæ.

Cap. IX.

De Cœlis, adhuc alia quædam: quomodo dicantur esse duo, & quomodo dicantur esse septem.

§. 1.

In Tractatu Chagigah, cap. 2. dicitur: juxta mentem R. Iehadah, duo esse firmamenta, quia Deo ter optimo tribuantur Cœli, & cœli cœlorum. Sed Resch Lakisch inquit; septem sunt, & vocantur 1. וילון. 2. רקיע. 3. שחקים. 4. זבול. 5. מעון. 6. מכון. 7. ערבות. Primum, quod dicitur Velum sive Cortina nullum omnino præstat ministerium, sed mane intrat, & vesperi exit, & quotidie renovat opus creationis juxta illud Jes. 40. v. 22. *extendens velut tēlam Cœlos & expandit eos, sicut tentorium ad habitandum.* In secundo quod dicitur רקיע firmamentum, sunt Sol & Luna, stellæ & planetæ, sicut dicitur: Gen. 1. v. 17. *Et posuit eas Deus in expansione cœli,* &c. In tertio quod dicitur שחקים seu locus comminutionis, molæ sunt, ibique molunt manna pro Justis, sicut scriptum est Psal. 78. v. 23. *Et mandavit שחקים ætheribus desuper, & januas cœlorum aperuit, & pluit super eos Man ad comedendum.* In quarto, quod dicitur זבול Habitaculum, est Jeruschalem & Domus Sanctuarii, & altare: & Michael princeps magnus adstat & sacrificium in eo offert, sicut scriptum est 1. Reg. 8. v. 13. *ædificando ædificavi domum habitaculi tibi, locum paratum ut habites ibi in sæcula.* Unde autem scimus, quod sic vocetur cœlum? quia Scriptum est. Jes. 63. v. 15. *aspice è cœlis, & vide de habitaculo Sanctitatis tuæ & pulchritudinis tuæ.* In quinto quod dicitur מעון מכון Habitaculum, sunt chori Angelorum ministrantium, qui cantica canunt nocte & interdiu tacent, in honorem Israelitarum, sicut scriptum est Psal. 42. v. 5. *Interdiu præcipiet Dominus misericordiam suam, & innocte canticum ejus mecum.* In sexto quod dicitur מכון Repositorium sunt thesauri Nivis & thesauri grandinis; & conclave rerum malignorum; & conclave guttarum, & conclave turbinis, &c. In septimo quod ערבות seu planities dicitur, justitia est & judicium & largitio, thesauri vitæ; & thesauri pacis; & thesauri benedictionis; & animæ justorum; & spiritus atque mentes adhuc producendi; & ros, quo Deus Sanctissimus, qui benedictus sit, vivificabit mortuos, &c. Ibi Rotæ, & Seraphim, & animalia sancta & angeli ministratorii & thronus Gloriæ, in quo residet Rex ille Deus vivus excelsus & elevatus: sicut dicitur Psal. 68. v. 5. *exaltate aquitantem in supremis cœlis; in Jah, nomen ejus.*

§. 2.

Hoc textu explicatur natura mundi factivi corporei, in quo sunt cœlorum gyri materiales. Ubi R. Jehudah dicit, in eo esse duo firmamenta; id est duos gradus sive ordines; quorum unus sit corporeus & sensibilis; alter verò incorporeus & sensibus imperceptibilis, qui tamen extendatur ad corpora & in iis operetur. Primus ergò in se com-

se comprehendit elementa, elementata, cœlosque ipsos: alter verò Rotas & animalia, quæ illa movent & formant & gubernant. Resch Lakisch autem eidem non contrarietur, sed cum septem dicit esse cœlos, ordines intelligit sive gradus mundi; tres corporeos, & quatuor spirituales. Juxta hunc igitur וילון Velum sive cortina, quod ipsi est cœlum primum, & gradus primus est mundus elementaris proximus concavo Lunæ; qui nihil planè operatur, quia tantum est ut materia & subjectum respectu potentiæ operandi, quam habent sphæræ, animæ & intelligentiæ incorporeæ, à quibus juxta mentem Platonicorum, vera provenit operatio. Et intrat mane in generationem & exit vesperi in corruptionem, & ita continuat naturam primitùs creatam. Vel etiam dici potest Velum hoc esse, expansum illud pellucidum inter lucem firmamenti & inter nigredinem terræ, constans ex aqua, aëre & igne, quod suscipit lumen solare quo fiunt diluculum & vespera, dies & nox, æstas & hyems, &c. continuis generationibus & corruptionibus, ut per successionem individuorum continuentur species sub initio creationis conditæ iisque intrè euntibus species tamen non intereat.

§. 3.

Gradus sive ordo secundus corporeus vocatur רקיע firmamentum; estque tota natura cœlestis in varias sphæras divisa: quamvis multi magnique Philosophi dicant, unam tantum esse, & tamen omnes motus & omnia phænomena ritè explicari posse. In eo sunt Sol & Luna, & omnes stellæ, tàm fixæ quam errantes.

§. 4.

Gradus tertius vocatur שחקים; quod juxta meam (Abraham Iriræ) opinionem est cœlum crystallinum & primum mobile, in quo sunt aquæ, quæ supra octo cœlos, quæ narrant gloriam Dei eumque laudant juxta verba Davidis Psl. 148. v. 4. *laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ supra cœlos.* Et supra hoc est cœlum empyreum, quod nonnisi lux est & vita de quo infra plura. Ibique dicuntur esse molæ, quibus molitur Manna pro justis, quasi dicere tur, ibidem esse Paradisum, ubi justis apponuntur objecta intelligibilia mundi superni incorporei, ita ut cum integra superent captum ipsorum, comminuenda sint in partes minutiores, quo ab ipsis percipi queant.

§. 5.

Quatuor gradus reliqui, explicantur juxta quatuor Rotas Ezechielis & literas Tetragrammati & אהיה de personis Basilidæ & Microprosopi, Matrisque & Patris.

DISSERTATIO III.

Cap. I.

In quo variis probatur rationibus, quod in Aëre & Igne reperiantur substantiæ viventes rationales.

§. 1.

Ipsa ratio demonstrat, quod elementa Aëris & Ignis non careant naturis viventibus ipsis propriis. Primò enimhæc elementa magis assimilantur Animæ; quam reliqua;

quæ cum in se sit spiritualis & à materia abstracta, tamen per calorem, qui ab igne originem habet, & per spiritus naturales, vitales & animales, qui naturæ sunt aëreæ, extenditur in duo elementa reliqua, aquam scilicet & terram, ob naturam suam crassam, frigidam & gravem ab illa magis remota.

§. 2.

Deinde Ignis & aër etiam vicina admodum sunt Cœlo, quod est corpus primum unimalium, adeoque perfectius: Unde & ipsa quoque perfectiores habent qualitates, & majori gaudent extensione & quantitate, nec non loco sublimiore & majori motus velocitate quam aqua & terra: unde rationi videtur repugnare, & ἀτοπον esse cum inferiora hæc & imperfectiora in se habeant naturas vivas per se subsistentes, quod sublimiora illa & perfectiora iisdem debeant esse orbata.

§. 3.

Porrò cum in cœlo fulgeant Sol & luna atque stellæ, quæ sunt naturæ animatæ & viventes; & similiter infra in mari & in arida habitent pisces & bruta cum homine: quare ergò in loco internedio ignis nempe & aëris non sui invenirentur habitatores.

§. 4.

Et quia vita à cœlo esse exserit & emittitur in inferiora per loca ista media; necesse est, ut illa de ipsa participent & quidem primariò & abundantiùs, quatenus ad eam recipiendam aptiora sunt, eique similiora. Sicut rivus aquas primariò & meliùs accipit ab ipso fonte, quam cisterna, vel Castellum in quo deinde coliguntur.

§. 5.

Si quis autem dicere vellet, naturam vitæ aëreæ reperiri in avibus: is sciat, mansionem avium saltem esse in aëre infimo, qui ultra montes altiores non elevatur: unde nisi alia existeret in aëre vita, quam hæc, potissima illius pars inculta esset & vacua: sicut etiam tota regio empyrea. Imo sic etiam in aëre tantùm existeret vita brutalis, non verò rationalis; unde sequeretur terram aëre esse præstantiorem. Adde quod & aves in terra factæ sint, & in iis elementum terræ prædominetur, in quo etiam multiplicantur, &c.

§. 6.

Jam verò inter naturas remotas semper invenitur medium aliquod, quod utrasq; participat. Verbi gratia: inter Corpora simplicia, & inter inanimata mediam naturam habent, quæ dicuntur imperfectè mixta: inter vegetabilia & animalia, sunt Zoophyta: inter bruta & homines, naturæ sunt mediæ, quæ utriusque generis participes sunt, & idoneæ ut addiscant studia quædam & opera rationalium. Cœlestia autem ab hominibus nimium distant non loco tantum sed & corpore, & anima. Hinc necesse est, ut naturæ quædam inter illa dentur mediæ.

§. 7. Ta-

§. 7.

Tales autem sunt spiritus aërei, qui vocantur Dæmones: hi medium hunc occupant locum inter summum & cœlestem & inter imum atque terrestrem: corpusque habent patibile ut homo; sed incorruptibile ut cœlestia: & si hoc ex parte corruptionem subit, prout statuunt neoterici; istud tamen non fit ex toto; unde vitam habent perennem & sempiternam, quia è natura aëris facile resarcire queunt, quod in ipsis disperit, & ex illa in substantiam suam convertere atque restituere possunt, quod ipsis deficit.

§. 8.

Nam inter corpora brutorum & inter cœlestia, corpus hominis propriè non est medium, prout multi opinantur: quia aliàs participare aliquatenus deberet brutalia; aliquatenus cœlestia: quod tamen non sit; quoniam corpus hominis non minùs mutationi & passioni atq; corruptioni subjectum est, quam brutale. Unde necessariò corpora dantur alia statum hunc medium obtinentia; qualia sunt Dæmonum.

§. 9.

Ratione animæ autem, spiritus illi aërei multis quoque passionibus subjecti sunt: quædam enim fugiunt, quædam desiderant: quædam sperant, quædam metuunt: quibusdam lætantur, quibusdam dolore afficiuntur: quandoque ira & furore excandescunt; quandoque lenitate & misericordia replentur. Hæ tamen passiones potius animam illorum concernunt, quam corpus: cum in homine, exempli gratia, iracundo, non tantùm anima patiatur & perturbetur; sed etiam cor atque sanguis inflammentur. Nam in spiritu aëreo ira potiùs restringitur ad animam, & in corpore nullam sensibilem producit mutationem vel commotionem. Et in genere quoque omnes passiones istorum spirituum aëreorum magis sunt temperatæ & ordinatæ, quàm humanæ: propter facultatem suam intellectualem, cui magis subjecti sunt atque obediunt: unde etiam perfectiores sunt quam naturæ inferiores in moralibus & politicis. Et intellectus ipsorum, quamvis non sit habituatus ut cœlestium, dispositionem tamen habet admirandam & eustochian insignem circa sapientiam, intelligentiam, & cognitionem omnemque actum similem; in quibus multis modis præeminent ingenio humano: unde quædam intelligunt & assequuntur ob familiaritatem cum superioribus in instanti: quædam autem syllogisticè concludunt, parum aberrando à veris. Eodem modo scopum & finem suum multò eminentius attingunt, majorique cum perfectione, luce, facilitate & felicitate quam homines. Vita quoque utuntur longæva & tranquilla, longeque perfectiore quam inferiores.

§. 10.

Hæc omnia autem comprobat experientia: quia multæ reperiuntur operationes, quarum causæ ignorarentur, nisi admitterentur spiritus isti aërei. Quandoque enim reperiuntur homines planè indocti, qui tamen non saltem loquuntur Hebraice, Græcè, Arabicè, similes quæ linguas, quas non didicerunt; sed etiam loquuntur de rebus tam sublimibus, ut multi Philosophi è libris docti, eadem ignorent: quare & interdum abs-

trusa revelant & futura prædicunt & miracula edunt, omnem sapientiam & facultatem humanam transcendentia, &c.

Cap. II.

De natura spirituum aëreorum, & aliis illorum attributis.

§. 1.

OMissis illis, quæ de spiritibus istis tradiderunt Chalcidius & Apulejus, ad opinionem posteriorum convertemur, quorum sententia verior videtur; & juxta illos duas in medium afferemus definitiones, quarum prima ita se habet. Spiritus aëreus est anima rationalis, particeps intellectûs humano multo sublimioris; corpore utens subtili; ministrans cœlestibus, & ex illorum commissione dominium habens in mundum sublunarem. Altera talis est. Spiritus aëreus est anima rationalis intelligens; quæ, quia corpore induta est subtilissimo, quod ipsa influxu & splendore suo vivificat, hoc ipso naturam constituit mediam inter cœlestes & humanam: unde, quia ipsa duo hæc extrema conjungit, è cœlestibus eadem influxum bonum atque perfectum defert ad inferiores; & vicissim bonas istorum meditationes atque merita ab inferioribus elevat & sursum attollit: præsertim illorum hominum, qui cum supernis uniuntur. Officium igitur istorum spirituum in hoc potissimum consistit, ut gubernent & dirigant mentem & mores hominum in verum atque bonum, & hoc medio natura humana uniatur cum divina.

§. 2.

Quamvis autem juxta hanc definitionem omnes videantur boni: alii tamen quoque dantur qui mali sunt & noxii. In specie autem dividi possunt juxta numerum spirituum Planeticorum: quamvis generaliùs tot sint ipsorum species, quot stellæ micant in firmamento. Sicut autem à spiritibus cœlestibus diriguntur facultates vegetativæ & vitales; ita aërei dirigunt rationem potissimum; & ignei illuminant intellectum, eumque elevant ad objecta divina.

§. 3.

Mediantibus igitur spiritibus istis aëreis, qui aliàs dicuntur Angeli, descendunt animæ in corpora, & per illos diriguntur in operationibus suis, & monentur in dubiis, &c. & post discessum è corpore deducuntur ad judicem, cujus sententia vel damnantur vel beantur.

Cap. III.

De Corpore Spirituum aëreorum, & quòd quidam inter illos sint mali atque noxii.

§. 1.

Uxta Platonicos illud, quòd primò vitam accipit ab essentia vitali, est Ignis: quippe qui eidem quàm maximè est cognatus, ob motum præcipuè velocissimum: unde per calo-

calorem etiam vivificantur omnia animantia. Post ignem verò mediante hoc aër vitam accipit; quippe qui ad calorem se habet ut oleum ad ignem. Deinde aqua tenuissima & aëri proxima, & hâc mediante terra vaporetenus elevata; omniumque postremò materia crassior.

§. 2.

Unde quinq; oriuntur genera viventium rationalium: Primò naturæ compositæ ex ignetantùm, quarum illæ, quæ videntur, vocantur stellæ; quæ verò non videntur, in æredegunt, stellasq; sequuntur, ut cohortes Imperatorem. Secundum genus est illud, quorum corpora composita sunt exigne & aëre. Tertium, cujus corpora composita sunt ex igne, aëre & aqua tenuissima, quæ propterea videri possunt. Quartum genus in prædicta compositione adjunctam habet terram tenuissimâ, ad instar effluvii terreni: unde adhuc magis videri possunt: Et huc pertinent Subterranei. Quintum autem genus & ultimum sunt homines, quorum corpus est crassissimum.

§. 3.

Alii Spiritibus aëreis tribuunt omnia quatuor Elementa: Ignem scilicet, quo mediante per illos sese exserat vita atque motus: deinde aërem qui quasi sit alimentum ignis illius; & quoniam hic aliàs facilè dilaberetur, hinc & aquas addunt subtilissimas; & cum his terram similem, ut eò meliùs subsistere queant: quæ omnia debito pondere & mensura sint contemperata; ut aër tamen prævaleat.

§. 4.

Cum hac materia anima istorum spirituum, sicut cæteræ omnes in suo genere, unitur per inclinationem & pronitatem quandam naturalem, eidemque assistit, & vitam infundit, eademque utitur ut organo suo naturali sibique proprio.

§. 5.

Quamvis autem omnes sint immortales, hæc tamen inter illos occurrit differentia, quod naturæ cœlestes omninò sint incorruptibiles; unde quia nihil ab illis absumitur, etiam non opus habent cibo corporeo: sed vocibus tamen delectantur, cantuque dulcisono, quibus mediantibus uniuntur cum hominibus. Sed duo genera sequentia, aëreorum nempe & aqueorum, ob temperaturam laxiorem, quædam sui perdunt, quæ etiam resarcire tenentur. Quia autem non consistunt è materia terrestri, hinc illis sufficiunt odores & suffitus & fragrantiæ unguentorum florumq;, quibus istim quasi suam levare possunt. Spiritus autem ultimi generis magis que crassi & terrestres, opus habent odoribus crassioribus & vaporibus humidis, v. gr. è sanguine & carne ascendentibus. Et huc pertinent incolæ aëris infimi, spiritus nempe superbi & iracundi, autores arrogantiæ & furoris seductoresque hominum, qui & ipsi inter se flagrant igne dissidiorum atque belli, & homines ad talia incitant, iisdemque variis modis illudunt: Quæ inter Cabbalistas dicuntur Cortices immundi.

Cap. IV.

De *Anima*, ejusque natura.

§. 1.

Causa rerum prima est in omnibus immobilis & una. Una, quia sicut Unitas omnibus numeris prior est eosque ut Pater generat; ita Deus benedictus, superior est omnibus entibus, eademque producit solus. Immobilis autem, quia ipse omnium est ultimus, & cum sit Bonum absolutissimum atque perfectissimum per se ipsum constanter permanens, non movetur nec moveri potest sive ad seipsum, sive ad alia: sed cætera omnia moventur ad ipsum, & in ipso quiescunt & persistunt.

§. 2. Intellectus est immobilis; nam quia essentia ejus est stabilis & permanens, hinc non suscipit nec suscipere aptus est successionem temporis nec motus in actibus suis intelligendi, eligendi & operandi: sed unus non est; verùm multiplex, quia natura ejus consistit ex intellectione & objectis intelligendi diversis.

§. 3. Anima non tantum multiplex est sicut Intellectus, sed adhuc magis, quia ipsa natura ejus admittit compositionem numericam. Sic motus quoque ejus, temporibus diversis utitur, ob facultates diversas, unde in operatione sua suscipit successionem temporis & motum localem. Sic in ratiocinando unum post aliud intelligit: prout & in vitalibus, motibus diversis corpus movet, ita ut & operationes hujus vegetativæ & vitales tempori & motui subjaceant.

§. 4. Sed ipsa indivisibilis est & incorporea, quia longè diversa est à compositis materialibus: eò quod multiplicitas & motus ejus saltem extendantur in corpora & divisa, sed tamen actuando: quod neutiquam competit materiæ, quippe quæ non nisi passivum quid est.

§. 5. Sicut autem Intellectus abstractus quasi per se convertitur ad causam primam se superiorem, neglectis penitus inferioribus: Formæ autem materiales immensæ omninò suæ materiæ, ut ad superna nullatenus ferantur. Ita inter utrumque hoc extremum datur natura media, quæ ita unitur cum supernis ut tamen non negligat infera; sed ad utraque feratur: Et hæc est Anima, quæ intellectu suo sic elevatur ad intellectum abstractum atque divinum, adeoque ad scaturiginem suam, ut tamen facultatibus suis inferioribus descendat in materiam & ad formas corporeas, adeoque utrumque hoc extremum participet.

§. 6. Anima igitur est tertium illud inter Intellectum & inter formas materiales; in se incorporea, in corpus tamen extensa: in se indivisibilis, divisibilis tamen quoad operationes & subjectam materiam: in se motum habens, & primò mota, & ita quidem ut ipse causa sit omnis motus aliorum.

§. 7. Sicut autem Ezechiel vidit quatuor Animalia, quæ Animæ hujus typus erant: ita quatuor sunt illius Naturæ species. Prima est Anima universalis, cæteris omnibus superior. Secunda est Animarum corporum cœlestium: tertia Animarum spirituum aëreorum; & quarta animarum humanarum.

§. 8.

§. 8. Et sicut Animæ in genere tribuitur permanentia, essentia, motus, & mutabilitas: ita permanentia sive stabilitas potissimum competit Animæ mundi, quippe quæ intellectualis est eminentiùs, unde etiam stabilitatem habet eminentiore gradu; vitamque immediatè largitur cœlo summo, quod עשבות seu planities dicitur, quod immobile est. Essentia est idea motus primi mobilis & potissimum competit Animabus cœlestibus, quæ sicut per se subsistunt, & moventur, sic etiam movent alia gyros nempe & stellas. Motus potissimum competit animabus spirituum aëreorum, quippe quæ sunt mutabiliores, & passionibus magis subjectæ quam priores. Mutabilitas autem potissimum competit animabus humanis, quia hæ non diu consistunt in uno statu.

§. 9. Anima mundi similis est causæ primæ & generalissimæ: Animæ cœlestium similes sunt Mentibus abstractis: Animæ spirituum aëreorum similes sunt ipsi naturæ Animæ in genere: & Animæ humanæ similes sunt facultati spermaticæ & naturæ generali extensæ in mundum corporeum, adeoque mundo ipsi; quare & ipsæ vocantur microcosmus.

§. 10. Anima mundi analogiam habet cum Unitate Intellectus: Cœlestes cum intellectione ejus: aëreæ cum vita ejus: humanæ cum essentia ejus.

§. 11. Anima mundi analogiam habet cum Unitate animæ: cœlestes cum intellectu ejus: aëreæ cum rationalitate ejus: & humanæ cum phantasia ejus.

§. 12. Respectu cœli; Anima mundi analogiam habet cum cœlo Araboth seu summo; cœlestes cum primo mobili: aëreæ cum stellis fixis: humanæ cum planetis.

§. 13. Ratione sublunarium: Anima mundi similis est Igni: cœlestes, aëri: Aëreæ, aquæ; humanæ, terræ. Sic eodem respectu etiam conferuntur cum Anima hominis; cum animalibus seu sensitivis; cum vegetabilibus; & cum inanimatis, &c.

§. 14. Sic in anima specialiter invenitur 1. Intellectus divinus ipsa anima superior & cum superiore unitus, quæ est נפש seu vitalitas illa, seu Mens mentis, Cabbalistarum. 2. Intellectus per se subsistens, constans & stabilis, quæ est Mens Cabbalistarum. 3. Ratio discurrendo intelligens per objecta generalia, quæ est spiritus: & 4. Imaginativa quæ circa singularia saltem occupatur; estque נפש seu psyche Cabbalistarum.

Cap. V.

De *Intelligentiis sive Mentibus abstractis.*

§. 1.


Anima superius & perfectius est Agens illud stabile, quòd in momento perficit operationem suam, nec tempore indiget ut illa: cujus vita consistit in se ipsa simul tota sibi præsens & unita in essentia & cum essentia sua: ita ut non elongetur, vel extendatur vel procedat à se ipso in momenta diversa juxta operationes & inclinationes suas internas. Imò necesse est, ut supra formam illam quæ per operationes suas externas extenditur in tempus; & supra vitam illam, quæ per operationem suam internam ad instracanalis promanat & tantùm non dividitur, inveniatur Forma quædam alia, cujus


operatio ob insignem suam celsitudinem sit constantior & durabilior; & vita alia, quæ in gradu suo eminenti sibi sit intimior & in sese absolutissimè una & immutabilis. Quia certissimum est, id quod perfectius est semper prius esse imperfectiore: quoniam id quod perfectum dicitur in quolibet genere perfectionem habet per naturam suam: cum imperfecta sint illa, quibus perfectio sua non est naturalis: unde sequitur alia dari sublimiora, quæ imperfectis aliquid communicant.

§. 2. Deinde quicquid movetur semper procedit è potentia in actum ad assequendum scopum & finem suum, ad quem ob defectum perfectionis propriæ movetur atque tendit. Quare supra id, quod procedit è potentia in actum necessario datur Ens quoddam, quod semper in actu est, & permanet atque durat. Sicut supra id quod ob defectum & egestatē suam movetur, necessariò datur natura, quæ defectu illo caret & perfecta est atque plena, adeoque omni etiam motu caret. Quicquid enim movetur, movetur ob appetitum & desiderium aliquod à quo instigatur juxta naturam suam sensitivam vel electivam ad assequendam perfectionem illam quæ caret: quod sane fieri non posset, nisi daretur tale aliquod perfectum à quo illa peti posset. Ita autem respectu animæ se habet Intellectus abstractus, illa enim non semper intelligit, nec tota est intellectus; sed fertur ad illum, qui est Intellectus formalis, perfectus, abstractus & permanens.

§. 3. Inter Intellectus hos abstractos summus omnium est productum illud immediatum unicum causæ primæ, quod meritò dicitur Intellectus perfectus & primus. Deinde plures dantur tales Intelligentiæ abstractæ; quæ ita se habent ad Intellectum primum, ut animæ sphæarum cœlestium ad animam mundi, & dividi solent in novem species, quarum ulteriorem deductionem unà cum fusiore explicatione hactenus dictorum in aliud tempus differimus.

TRA-





ad. part. 2. post. pag. 242

242

PARTIS TERTIÆ
TRACTATUS SECUNDUS
PNEVMATICVS,
DE
Revolutionibus Animarum,
qui in hac materia à Judæis vocatur primus.

è Manuscripto
haut ita pridem ex Oriente ad nos perlato
ex Operibus
R. Jitzchak Lorjensis Germani
Cabbalistarum Aquilæ, latinitate donatus.

TRACTATUS
DE REVOLUTIONIBUS ANIMARUM.
PARS I.
CAPUT PRIMUM.

§. 1.

IN dissertatione de Adamo priore, [*Hic à Cabbalistis Adam Kadmon dicitur, ad differentiam Adami protoplasta, (qui ab ipsis perpetuo cognomine Adam Havischon vocatur;) eo quod inter omnia à Deo emanata primum occupet locum, prout protoplastes in specie hominum: ita ut per illum nihil commodius intelligi queat, quam anima Messiæ, quem & Paulus ad 1. Corinth. 15. vers. 45. 46. 47. 48. 49. indigitat; de quo alibi latius,*] jam exposuimus, quid sibi velint septem illi Reges Edomitici, [*de quibus historia extat Gen. 36. ad v. 31. usq; ad 39. 1. Paral. 1. à v. 43. usq; ad 50. Videatur Cabbala denudata parte primâ voce* מלכים *&c. per istos enim nihil intelligi possunt Spiritus sub initium lapsi, sive ob nimis avaræ imbibitam divinæ cognitionis lucem in ærrores vel quietem redacti.*] qui emanarunt ante conformatum systema Emanativum, & mortuisunt; juxta mysticum illud: Construxit mundos, eosque destruxit. [*Sensus hic est; Deum infinitum in se sub initium productionis per Adamum priorem, seu Animam Messiæ, produxisse emanando totam æmissitiam omnemq; effluxum rerum conditarum simul atq; semel; sub forma spirituum, qui digesti essent per modum decadis Sephirotica. Et quia natura Creatura non patitur, ut ab illa cognosci queat atq; comprehendi tota Divinitatis Infinitudo; in qua tamen cognitione ver a beatitudinis consistit fruitio.* Joh. 17. v. 3. *Hinc ab Adamo supracælesti seu Anima Messiæ, omnibus illis creatis, seu discipulis, transcendentaliter atque Metaphysicè proponebantur sublimia illa vera Theosophiæ Objecta, juxta Job. 1. v. 18. Hinc à Cabbalistis Spiritus illi creati, dicuntur Vasa. Realis autem illa Objectorum Divinissimorum repræsentatio & hinc facta Idea, suo ordine digesta, ab iisdem dicuntur Lumina. Jam suppone singulas Sephiras singulos esse spirituum illorum Choros, Academias, Synagogas, Hierarchias, Respublicas, Exercitus, Corpora, sive quocunque nomine vocentur alio, sub uno quodam singula Rege Imperatore, Præside, Præfecto, Rectore, Doctore, &c. qui objecta illa à Messia proposita subordinatis sibi Catechumenis communicaret. Ubi quidem tres Sephiræ seu Hierarchiæ sublimiores ob eminentissimum naturæ robur satis constanter in se admiserunt ineffabilia illa sublimioris hujus scholæ dogmata. Quarta autem Sephira Daath seu cognitio, ceu primus septem illorum Regum, nimium sibi fidens, & totam illa lucem simul exhaurire cupiens, cum omne id in se admisisset, quod communicari poterat, nec tamen id supportare valeret, hinc Vau ejus confractum dicitur:*

id est, Rex ille è throno suo excussus, sublimitate illa orbatus adeoq; mortuus esse perhibetur: quod in Scriptura exprimitur phrasi, non servati principatus, sed derelicti domicilii Judæ vers. 6. Lumina autem illibata quidem sic transierunt ad Regem sequentem, & sic ordine usque ad septimum: quibus omnibus confractis, alia proinde inveniendæ fuit methodus proponendi atque repræsentandi eminentissima illa atque incomprehensibilia aliàs objecta, quod Cabbalistæ factum esse dicunt per modum bilancis seu conjugii, id est, Receptionis, sive factarum distinctius propositionum sub figuris atque velaminibus quibusdam, pro modulo nimirum receptivitatis in spiritibus possibili. Unde deinceps varia illa repræsentatio quarundam in divinitate personarum, vel numerationum, itemque mundorum sive systematum, & quæ sunt notiones secundæ in transcendentalibus istis aliæ.

§. 2. Inter hos deinde facta est ἐκλογὴ, [*sive selectio seu secretio, separatio, electio seu quocunq; nomine alio vocetur:*] ita ut quod in illis contineretur bonum ad systema emanativum pertinens atque idoneum, illuc ascenderit, & inde factum sit systema emanativum. Et sic quoque, quod ad systema creativum pertineret, ascenderit in systema creativum: quod pariter quoque factum est cum systemate formativo; nec non cum systemate factivo. [*Quatuor hæc systemata sive mundi nihil sunt aliud, quam quatuor repræsentatæ Divinitatis classes, lumine semper magis magisque diminuto, quales sunt varii præsentiæ divinæ gradus, v. g. in rubo, in Sinai, in arca, & in universo Exod. 3. v. 2. Exod. 19. v. 18. Lev. 26. v. 12. Act. 17. v. 28. Per Aziluth enim seu systema vel mundum emanationis intelligitur ipsum τὸ Θεῖον non in se & absolutè tale, quod Cabbalistis Ænsoph seu infinitum dicitur, sed sub methodo divinorum nominum vel numerationum, vel personarum adumbratarum, & à Christo in compendium Trinitatis redactum. Per Briah seu mundum creationis vel potius extrapositionis intelligitur præsentia & concursus Divinus, quatenus eodem fruuntur* Νοες seu mentes abstractæ, *id est animæ extra statum carnis in sublimibus degentes. Per Jezarah seu mundum formationis intelligitur idem divinitatis concursus sive scena atque œconomia vel dispensatio, qualis exhibetur Hierarchiis Angelicis, cujus theatrum latius exhibetur in Apocalypsi Johannitica. Et tandem per Asiah seu systema fabricationis, factionis, atque πολιτείας intelligitur præsentia divina adhuc modificatior in systemate hoc materiali, & potissimum in Ecclesia. Hæc omnia dicuntur electione quadam è fragmentis lapsorum vasorum de novo conciliata, & in ordinem istum redacta, ut commodius à creaturis intelligentibus per nomina in textu Scripturæ sacra hinc inde expressa capi possent abstrusa illa inaccessæ aliàs lucis mysteria. 1. ad Tim. 6. v. 16.*

§. 3. Et sic quicquid in illis erat de Psychis seu animabus inferioribus; Et de Spiritibus seu animabus mediis; & de mentibus, seu animabus superioribus: Sicut etiam quod idoneum esset ad classes angelorum; item quicquid in illis de corporibus; & quicquid pertineret ad omnia creata, omnium atque singulorum systematum; hæc omnia fiebant ex illis selectis quæ secernebantur è fragmentis istorum Regum. [*Sensus hic est, cum produci à primitus omnia in simplicissima existerent spiritualitatis eminentia, id est, naturam haberent in se & per se motum habentem, cum cæteris spirituum creatorum pro-*

prietatibus aliquali quidem gradu num ordine distinctis, caterum tamen plus quam excellentibus; Per lapsum hunc primævum non omnia quidem in statum pravitatis degenerarunt; aliqualem tamen omnia passa sunt immutationem, ita ut deinceps selectione facta exinde conficrent species istæ nempe primo animarum suis gradibus distinctarum, secundo Angelorum administeria destinatorum, & tertio monadum quiescentium seu motu per sorbatarum usq; ad præfinitum tempus, quo Deus omnia iterum sicut in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28. quæ est vera materia prima physica, è quarum varia coagmentatione deus conditus est mundus iste corporeus.]

§. 4. Sed ex scoriis vel recrementis septem istorum Regum facti sunt omnes cortices qui vocantur Adam Belial, Prov. 6, 12. quoniam & hac in parte hoc contra hoc fecit Deus, Eccles. 7, 15. bonum & malum [*id est, idipsum quod in lapsu septem istorum Regum propria sua culpa in statum pravitatis degenerarat & è statu positivo boni in statum privativum, nimirum ἀταξίας, ἀσχημ. curvatura, inflexibilitatis mortis, vitii, &c. exorbitaverat, istud à Cabbalistis nomine corticum sive putaminum appellatur. Allegoria desumpta ab arbore vel nuce: ubi quicquid à medulla remotissimum est, corticis nomine indigitatur. Cumque spirituum horum certis ordinibus disseparatorum ingens esset numerus, permissu Dei factum dicitur, quod caterva illa confusionis non omnis tamen careret ordine, sed per modum exercitus cujusdam sub certis Archontibus, Luc. 11. v. 15. Col. 2. v. 15. Eph. 6, 12. Cor. 2, 2. Col. 1, 13. per signa membrorum humanorum, nominibus variegata, distribueretur.*]

§. 5. Cùm igitur sanctus ille ἰλαστὴρ Rom. 9, 5, crearet Adamum Protoplastum; eo ipso seligebat partem illam Psycharum & spirituum quæ permixta erat cum malo septem istorum Regum: illamque accipiens, ex ea faciebat animam Adami Protoplastæ, constantem ex omnibus illis notionibus (animarum.) [*Sciendum enim, antiquo dogmate Hebræorum, per Adamum Protoplasten non intelligi personam unam individuam, sed totum animarum genus suis ordinibus atque gradibus variè distinctum, & sub formâ exercitûs cujusdam ab Adamo ceu Duce, sub Imperatore Messiâ, per signa membris humanis assimilata gubernatum, quod corpus intelligitur ab Apostolo, Eph. 4. v. 13. & alibi, ubicunque Christus ab ipso caput nominatur, eo quod in statu restitutionis idem futurum sit regimen, quod erat in natura instituta, Eph. 4. v. 16. Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 12. v. 27. Eph. 5. v. 23. Col. 1. v. 24. &c.*]

§. 6. Notandum autem, quod, sicut quatuor sunt systemata sive mundi, emanationis nempe, creationis, formationis & factionis; & in singulis horum quinque sunt personæ, nempe Μακροπρόσωπος seu Longam faciem habens, vel potiùs; longanimus, pater & mater, Μικροπρόσωπος seu brevem faciem habens vel potius, brevi irascens, & uxor ejus; quæ omnes selectæ sunt ex septem illis Regibus: [*Sensus est, ideas luminosas in schola primæva primitivis spiritibus à Messia seu Adamo supracælesti de rebus divinissimis impressas, è quarum simplicitate atque excellentia spiritibus illis oborta fuit cœcitas atque fractura, ab eodem deinceps Messia à simplicissimo nativi conceptus statu, qui naturæ producta fuerat incomprehensibilis, reformatæ esse in conceptus plures minutiores repræsentativos quarundam personarum quas Cabbalista aliàs duodecim, deinde contractiore numero sex, & communissimè quinq; numerant. Christus autè pro commoditate studii practici ternario absolvit, non facta mentione longanimi, nisi à Paulo 2. Cor. 1. v. 3. Eph. 1. v. 3. & Petro, 1. Pet. 1. v. 3. &c. Aliàs autem cum omnibus gradibus sublimioribus sub patris nomine comprehenso; cui etiam matris notio indissolubilis unionis vinculo involvitur: ita ut hæc exhibeant personam novi fœderis primam; brevi irascens Psal. 2. v. 12. 13. quem communiter Cabbalistæ filiam vocant, secundam; & uxor ejus ad quam tanquam ad regnum Dei Cabbalistæ Spiritum Sanctum referunt, tertiam.*] Sic animæ quoque, quæ etiam selectæ sunt ex illis, pariter dividuntur in omnes illas notiones. [*Nimirum quatenus una vel altera objecti loco hunc vel illum gradum intentûs contemplaretur eidemque obnoxius sese uniret aut intelligendo atque amando strictius eidem sese applicaret sicut oborta exhinc similitudine ab illo ceu radice sua propullulasse vel ex illâ laotomia excisa esse videri posset.*]

§. 7. Dantur enim animæ quæ correspondent uxori; & brevi irascenti; & matri & patri [*Mater enim nil est nisi propensio Patris ad infertora.*] Et longanimo in systemate factionis: quæ omnes vocantur Psychæ è systemate factionis; Veruntamen singulæ istarum appellantur secundum loasua, e. g. Psyche quædam, quæ est ex uxore factiva, vocatur psyche, quæ in psyche factiva.

Et psyche, quæ in brevi irascente factivo, vocatur spiritus psyches factivæ.

Et psyche, quæ in matre factiva, vocatur mens psyches factivæ, & psyche patris factivi, vocatur vita seu vitalitas, quæ in psyche factiva.

Et psyche longanimi factivi, vocatur singularitas psyches factivæ. [*Distinctio horum gradûm animæ sic intelligenda est, ut psyche, quæ ipsis nephesch dicitur, sit spiritus vitalis, non quatenus planè corporeus sed insitus ille atque primitivus & seminalis, quem recentiores Archeum vocant, cum quo correspondet Philosophorum anima vegetativa seu plastica. & Platonicorum τὸ ἐπιθυμητικὸν seu concupiscibile. Spiritus quem Ruach vocant, est gradus quidam sublimior correspondens animæ sensitivæ & Platonicorum τῷ θυμικῷ seu irascibili. Gradus tertius ab ipsis neschamah vocatur, cui respondet anima rationalis seu potius intellectualis, & Platonicorum τὸ λογικὸν, item νοῦς sive mens; quos tres gradus Christus exprimere videtur Joh. 6. v. 53. nominibus carnis, sanguinis & vitæ. Quartus gradus, quem Chajah vocant, est vitalitas quædam sublimior ab extra homini superveniens, nec intrinsecùs tantum eundem penetrans, sed & extrinsecùs ambiens, de quo Ecclesiast. 7. v. 13. quam Christus denominare videtur appellatione vitæ æternæ, Joh. 6. v. 54. Gradus quintus est singularis quædam unio & concursus sive præsentia Divinitatis, quæ ab ipsis Jechidah appellatur, & à Christo indigitari videtur Joh. 6. v. 56. ad quem gradum pauci ascenderunt permanenter excepto Messiâ Psal. 22. v. 21.*]

§. 8. Et sic eodem modò quinque similes sunt notiones in systemate formativo; quæ omnes vocantur nomine spiritus formativi.

Porro similes dantur quinque notiones atque species in systemate creativo: quæ omnes vocantur mens creativa,

Tandem similes quoque notiones sive species quinque reperiuntur in systemate emanativo, quæ omnes vocantur mens mentis emanativa. Ubi Psyche est è regno emanativo.

Mens

Spiritus è brevi irascente emanativo.
Mens è prudentia seu potius Informatrice emanativa.
Vita è patre emanativo.
Et singularitas ex longanimo emanativo.

Ubi porrò notum est, singulas harum quinque personarum in singulis mundis porrò dividi in decem numerationes. Unde sic quoque omnes Psychæ & Spiritus & mentes, secundum quinque gradus omnium & singulorum mundorum emanativi, creativi, formativi & factivi subdividuntur.

§. 9. Atq; hinc intelligi potest id, quod dicitur in tractatu Talmudico de benedictionibus. Propterea Davidem Regem quinquies dixisse, laudet psyche mea Dominũ Psal.103.v.1.2.22. Psal.104. v.1.35. quo scilicet indigitaret quinq; nomina, quæ animæ tribuuntur: qualia sunt: nephesch seu psyche sive anima infima; Ruach seu spiritus sive anima media; Neschamah seu mens sive anima superior; Chajah seu vita nempe Divina, & Jechidah seu singularis, scilicet unio.

Notumque jam est, quod ista sic appellentur; quoniam regnum & brevi irascens & Mater informandi vocantur nephesch, ruach, neschamah; seu psyche, spiritus & mens: Sapientia autem vocetur vita seu Chajah; quia ibidem scaturigo vitarum; juxta illud Mysticum Eccles. 7.v.13. Sapient a autem vivificabit habentes eam. Corona autem vocatur Jechidah sive singularis, quoniam longanimos singularis est & quasi cœlebs. uxore per se carens; cum tamen patri sit uxor nempe mater; & brevi irascenti sua est uxor nempe basilea sive regnum. [*Videnotetur per uxores in divinis nil aliud indicari, quàm propensionem esse communicandi alteri oribus, & proferendi plures conceptus minutiores atque specialiores, ne nimia idearum generalitate atque amplitudine fatigetur intellectus contemplatoris. Quamvis uxorum notio respectum quoque denotet atq; judicium, quæ in summis istis conceptibus, ubi purissima clementia, non involvuntur.*]

§.10. In Adamo ergo protoplaste illo tempore, quo condebatur, continebantur omnes illæ notiones sive species supradictæ a Psyche factiva usque ad singularitatem emanativam. Et hæc est mens scripturæ cum inquit Ezech.34.v.31: Vos Adam estis. Id est, vos meritò vocamini Adami nomine. Sensus enim est; si literaliter textus intelligendus esset; objectio meritò fieret, omnes etiam populos mundi sive gentiles eodem modo esse homines, quò Israëlitæ; statura nempe erectâ. Ubi porrò quoque dicendum fuisset, vos homines estis. Verum enim vero [*sensus hic est, ex animabus vestris constabat Microcosmus Adam.*] Huc pariter confert, quod dixerunt magistri nostri bonæ memoriæ ad locum Jobi 38. v. 4. אי־פה Ubi fuisti, quando fundabam terram? Ubi sensus est, quasi sanctus ille benedictus ad Jobum dixisset: Ephah sive mensura tua ubinam erat in Adamo protoplaste.

§.11. Res ipsa autem ita se habet, quod nempe omnes mentes & spiritus & psychæ nullâ excepta comprehensæ fuerint in Adamo protoplaste cum conderetur; ita ut quædam animæ pertinerent ad caput Adami; quædam ad oculos ejus; quædam ad ipsius nasum, & sic porro ad omnia ejus membra, à quibus qualibet pendebant. Atque hæc ratione

ne sub initium creationis Adami protoplastæ in illo existebant omnes animæ, quæcunque erant de parte boni; omnes, inquam, in illo continebantur & ab illo dependebant. Cum autem peccaret, bonoque malum immisceret; malum cum bono ita confundebatur, ut exparte mali illius postmodum prodirent populi mundani. Unde apparet, quod fundamentum Adami protoplastæ saltem fuerit bonum: animæ nimirum Israëlitarum. Quare scriptura inquit loco citatô; Vos estis Adam. (Quasi diceret omnes Israëlitarum animas nihil aliud fuisse quàm Adamum nimirum protoplasten:) Et vos scintillæ illius atque membra ejus extitistis. Quapropter Israëlitæ 2. Samuel. 7. v. 23. etiam vocantur gens unica in terra; prout verba sonant: Et quis sicut populus tuus; sicut Israël gens una in terra, &c. Populi mundani autem è contrario non vocatur Adam: id est, non prodierunt nisi ex parte mali, quod immixtum fuit Adamo protoplastæ.

§.12. Cum enim ille comederet ex arbore cognitionis boni & mali; eo ipso immiscebat bono malum. Ita ut bonum illud, quod in Adamo protoplaste esset, confunderetur cum malo corticum masculinorum, nimirum Samaëlis, qui vocatur Adam Belial. Prov. 6.v.12. Eademque ratione bonum illud, quod in Chavvah erat, immiscebatur malo uxoris ejus Lilith, quæ est spurcities serpentis; quoniam serpens rem habebat cum Chavvah. Unde restitutio atque liberatio sive Cura ab ista spurcitie atque veneno nonnisi mors erat; & quod filios generaret atq; filias. Et huc respexit Gemarah, dum inquit: Nisi primi parentes nostri peccassent, nos in mundum non venissemus. His mediis autem seligitur bonum è malo, donec omnes populi mundani pronati sint de specie mali; & omnes Israëlitæ prodierint de bono. Quanquam & hac ratione adhuc aliquid mali in istis maneat superstes; natura nempe יצר הרע seu pravæ concupiscentiæ, quæ in homine est, ipsumque ad peccandum inducit. Moriente autem homine, illa ipsa in terra putrescit, malumque absorbetur, bonum autem residuum extat: quod aliquando resuscitabitur in vitam in vivificatione mortuorum in corpus hominis gloriosum.

§.13. Idem quoque accidebat tempore promulgatæ legis; tum quoque cessabat ista eorum spurcities: ita ut non moriendum fuisset ipsis. Cum autem Israëlitæ conflarent vitulum, hæc spurcities in ipsos redibat, bonumque malo iterum permisceabatur, ut rursus subderentur morti prout initio. Et hoc ipsum indigitat scriptura Exod 32. v. 16. Voculâ חרות; sculpta erat super tabulis, scilicet scriptura legis. Ubi potius legendum חירות, id est, libertatem ab angelo mortis ipsis datam esse per tabulas, nec non à subjectione regnorum exoticorum. Quoniam nec mortis angelus, nec regna exotica dominantur Israëlitis nisi ex ratione mali; quæ est portio ista tunc nobis immixta.

§.14. Præterea notandum quoque est: quod sicut omnes animæ Israëlitarum in Adamo protoplaste distribuebantur in ducenta quadraginta octo membra, à quibus dependebant omnes animæ boni: sic etiam reperiebantur ducenta quadraginta octo membra populorum mundanorum, [*tanquam totidem cohortes exercitus atque vexilla regni malignantis*;] quæ continebantur in Samaele, à quib. dependebant omnes animæ pravæ. Cum ergo peccaret Adam protoplastes, comederetq; de arbore cognitionis boni & mali,

tunc prædictæ illæ animæ bonæ contentæ in membris Adami protoplastæ sic permiscebantur, & involvebantur atque implicabantur reliquis animabus in Adamo Belialecontentis; ut singula membra singulis membris involverentur, [*quasi singuli milites exercitus malignantis singulos milites exercitus boni manu captos sibi mancipassent,*] ita ut exempli gratia caput capiti, & sic quoque, cæteris paribus, pedes pedibus innecterentur.

§. 15. Porrò autem sicut notiones Psyches seu animæ infimæ dividuntur in ducenta quadraginta octo membra Adami protoplastæ; quæ omnia superinduebantur ducentis quadraginta octo membris Adami Belialis: eodem modo notiones quoque spiritus seu animæ mediæ dividuntur in ducenta quadraginta octo membra: prout & notiones mentis in totidem membra distribuuntur. Quæ omnia superinduebantur modo supradicto penitusque subintrabant intra ducenta quadraginta octo membra Adami Belialis tàm quoad Psychen quàm quoad spiritum & mentem.

§. 16. Unde apparet, animam quandam sub membro quodam magno atque excelso comprehensam in sanctitate, intrusam quoque esse revera membro cuidam simili de corticibus. Quò pertinet dictum illud sapientum: Quicunque major est sorò suo, illius quoque prava concupiscentia major est, quàm, quæ in altero. Unde cum anima quædam excellens in potestatem corticum subintrat, difficile omnino est, eandem illinc eripi: quoniam malum superinvestiens eam insigne est pariter. Et huc pertinet, quod dicitur de viris excellentibus, qui peccata commiserunt atrocissima, atque maximè detestanda, quales fuerunt Jerobeam, & Achab, & Menasche atque similes. Id quod probè notandum.

§. 17. Porro hoc loco quoque explicabimus, quomodo per peccatum Adami protoplastæ membra animæ ejus ab illo delapsa & immersa sint corticibus, ut dictum est supra. Et huc pertinet, quod dicitur in supplementis Sohar isticis ad locum Proverb. 27. v. 7. 8. Sicut avis vagatur à nido suo, &c. Quod sicut gloria cohabitans simul abit in exilium, id est, involvitur decem numerationibus impuritatis juxta illud Psalmi 103. v. 19. Et regnum ipsius omnibus dominatur: sic quoque animæ justorum exulent & superinduetæ sint malò supradictò. Unde in supplementis porrò dicitur: quod abeant & vagentur cum illâ de parte in partem & de loco in locum, &c.

§. 18. In omni itaque generationum sive ætatum periodo certæ quædam animæ bonæ exeunt è malo illo supradicto, veniuntque in mundum hunc per præceptum illud Gen. 1. v. 28. de prolificatione & multiplicatione, quod Sanctus ille Benedictus in hunc finem nobis dedit: quod probè notandum. Prout igitur se habet generatio sive ætas illa, sic eandem quoque proportionem observant animæ illæ, quæ prodeunt è corticibus: quandoque nimirum animæ de membro capitis; quandoque alia, quæ ad pedes pertinent, exeunt. Eadem autem harum est ratio, quæ membrorum Gloriæ cohabitantis, quæ nempe illo tempore intra cortices hærent: ejusdem enim generis sunt animæ illæ, quæ seliguntur [*Ubi considerandum, annon cum Paulus Act. 9. v. 15. vocatur ἐκλογῆς instrumentum selectionis, idem sensus sit qui hoc loco: quod nempe seligeret & secernere deberet animas è pravitate Gentilismi, ut participes fierent boni illius, quod in vita*

vita divina est. Item annon plerasque illa loca, ubi Paulus de electione agit, eodem sensu accipienda sint, ut nempe intelligatur vel selectio illa è fragmentis vasorum, per quam constituebatur integritas protoplastæ, ut ad Ephes. 1. v. 4. vel selectio ad fœdus Dei atque Ecclesiam, vel electio in meliorem vitam, ut Apoc. 17. v. 15.] atque illo tempore exinde prodeunt. Prout tandem deprehendimus in postrema hac generatione, in qua nos vivimus, quod gloria cohabitans pedibus nunc hic sistatur: unde omnes animæ, quæ nunc prodeunt de notione pedum Adami protoplastæ sunt: quibus omnibus tandem ad finem usque secretis, deinde Meschiach veniet.

§. 19. Atque hinc intelligi potest, quam ob causam exilium patiantur Israëlitæ atque dispersi sint per quatuor cardines mundi? Porro etiam, quare gloria cohabitans cum ipsis exulet? Cujus rei hæc est ratio. Nimirum quoniam Israëlitæ peccant, eo ipso in causa sunt, quod animæ eorum involvantur intra cortices: quare exulandum est Israëlitis per quatuor mundi ventos & per omnes septuaginta populos: & gloria cohabitans cum ipsis exulat, ita ut si anima quædam sancta commixta sit isti cortici hujus vel illius populi, ubi exulant Israëlitæ; quales sunt Ægyptii, Babylonii atque similes; gloria illa cohabitans, quæ cum illis sinibi exilium patitur, tanquam ignis ignem devorans, virtute sanctitatis suæ extrahat animas illas secumque coadunet, easque purificet. [*Aliam longè dispersionis istius nôram causam Christiani ex Rom. 9. v. 6. 32. Rom. 10. v. 19. 21. Rom. 11. v. 8. 9. 10.*] Cumque restitutæ erunt omnes, ereptumque bonum è malo; ita ut etiam bonum, quod in pedibus animæ Adami protoplastæ erat, è pedibus impuritatis extractum sit; tunc veniet Meschiach [*Paulo aliter hunc adventum determinat Paulus Rom. 11. v. 25. & Christus Luc. 21. v. 24.*] Et hoc ipsum est, quod indigitatur in Sohar Sectione Pekude, cum dicitur: Donec pedes attingant pedes, &c. quod probè notandum. [*An huc pertineat locus Zachar. 14. v. 4. dispiciendum.*]

§. 20. Ecce autem ultima illa generatione Regis Meschiach omnia erunt selecta; nihilque erit residuum, quod secernatur de statura Adami protoplastæ, præter calcaneos ejus: quibus etiam selectis, Meschiach veniet, ut notum est. Vox מָשִׁיחַ etenim literis suis, involvit initiales nominum Adami, Davidis & Meschiach. Et huc quoque pertinet, quod dicit scriptura Psal. 89. v. 52. Quod probris affecerunt calcaneos Messiæ tui. Ubi intelliguntur animæ generationis ultimæ.

Hinc quoque sapientes nostri dicunt: Cum perventum erit ad calcaneos Meschiach, proterviamultiplicabitur. Nam quia membra pedum admodum sunt materialia atque opaca; hinc animæ ab inde dependentes magis quoque sunt materiæ addictæ: unde augebitur protervia. Hinc quoque dixerunt Magistri nostri: Non veniet filius David, donec plene exierint omnes animæ, quæ fuerunt in corpore [*primum illum protoplastæ,*] quod probe notandum.

Cap. II.

§. 1.

POstquam jam exposuimus, quomodo bonum cum malo fuerit permixtum: jam tibi explicabimus dictum Ecclesiastæ c. 8. v. 9. Tempus nimirum esse, quo dominatus est homo in hominem in malum sibi. Nam Adam Belial, id est, cortices dominati sunt in Adamum sanctum, quæ erant animæ Adami protoplastæ; easque superinduerunt, & occultarunt intra seipsos: putantes nimirum id in commodum suum fieri: cùm tamen non nisi in detrimentum ipsorum cedat; prout explicabimus.

§. 2. Hinc quoque satis superque cognoscemus causam: quare externi tantopere aspirent in mundo hoc, ut in peccatum compellant hominem; omnemque movent lapidem, ut ad iram commoveat conditorem suum benedictum; ut nempe in exilium abeat gloria ejus cohabitans, & devastetur domus sanctuarii ejus. Quæ quidem omnia fiunt propter peccata Israëlitarum: vera tamen ratio in hoc consistit, quod sequitur. Exteriores illi sive cortices scoriæ sunt & recrementa atque impuritas septem Regum Edomiticorum supradictorum; appellanturque mortis nomine: cum è contrario bonum illud, quod ex illis secernitur, vocetur vita. Quamdiu igitur aliquid Sanctitatis inter ipsos est, hoc ipsum illis vitæ loco existit; & exhinc ipsis vitalitas nutrimentum atque influxus suppetit: sublatâ autem ab illis sanctitate mortui sunt. Hinc manibus pedibusque in id contendunt, ut ad peccandum alliciant hominem, quo anima ejus ipsis subjiciatur, & intra ipsos abscedat; ipsique hac ratione vitam, tranquillitatem atque alimenta sortiantur: prout alii operam dant rei suæ Oeconomicæ: unde scriptum extat Prov. 6. v. 29. Non probris afficiunt furem, cum furatus fuerit ad implendam animam suam, cùm esuriverit, &c.

§. 3. Totumque negotium in hoc versatur, quod impossibile sit animam Israëliticam, cùm sancta sit, etiamsi peccaverit, & subter cortices abscesserit, [*juxta illud 2. Sam. 14. v. 14.*] penitus tamen expelli expulsam: cum ne minima quidem scintilla sanctitatis (dispergi queat.) Et quoniam illa descendit è loco sanctitatis Illius qui benedictus sit; hinc ille alimenta demittit pro talibus animabus, quæ vinctæ stant sub corticibus: & hoc ipso medio ipsi quoque nutriuntur cortices: ad instar arboris, quæ succum quidem atque alimentum attrahit pro fructu; ita tamen ut exhinc quoque cibum & alimentum capiant folia atque cortices: sublatô vero fructu folia deinceps atque cortices arefiunt.

§. 4. Neque id solum: sed supra jam tradidimus capite primo, quod exulantibus Israëlitis gloria quoque cohabitans in medio illorum exilium sustineat: illa igitur cùm ignis sit consumens, scintillas animarum, quæ inter ipsos sunt, undique colligit. Cùmque hac ratione tàm animæ, quàm gloria cohabitans

tans superindutæ quasi sint ipsis corticibus; tum sane magnum sibi assugunt influxum. Hinc omni studio in hoc incumbunt, ut peccare faciant Israëlitas, atque hoc medio animas eorum gloriamque cohabitantem cum illis intra sese attrahant.

§. 5. Certè enim, quo major est sanctitas animæ cujusdam, eò copiosior quoque est influxus, quem ab illa assugunt, & per illam. Unde quò excellentior est anima quædam, eò magis illi operam dant, ut ad peccandum illam inducant, eamque introducant intra profunda corticum. Unde maxima corticum copia versatur circa discipulos Sapientum: ex quo etiam dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ, quod cavere debeat sapientum discipulus, ne solus exeat noctu. Et huc quoque pertinet dictum illud alterum: Quo major quisque est proximô suô, eò major quoque est (prava) concupiscentia ejus, quàm quæ in altero, ut dictum supra capitulo primo. Et hæc quoque ratio est, quod homines reperiantur tàm insignes tamque excellentes præ aliis, qui peccatis maximis atque horrendis sese contaminarunt; prout infra prolixius id explicabimus, auxiliante Deo, hôc ipso capitulo.

§. 6. Quamvis autem jam dixerimus propterea exulare gloriam cohabitantem, ut nimirum colligat omnes illas scintillas; nihilominus omnia tamen dependent ab ipso homine, quippe qui ipse horum omnium fuit causa; unde qui aliquid corrupit, necesse habet ut restituat idem. Et propterea præceptum nobis extat de prolificatione & multiplicatione: utque sanctificemus nos ipsos tempore copulæ maritalis, ut hac ratione extrahere queamus atque educere è corticibus animas illas, illæque seligantur à malo.

§. 7. Quoniam autem propter peccata nostra non satis cautè nec satis perfectè id agimus; hinc extrahimus animas aliquali malo commixtas. Et hoc ipsum est mysterium pravæ concupiscentiæ, quæ cum homine quasi creetur, undè studendum est homini per omnem vitam suam, ut à se separet malum illud, quod in ipso relictum est: quod ipsum fieri debet per opera ejus. [*Ex ungue hic Pharisaismum cognoscimus, quem Christus impugnat atque Apostoli, quod nempe non propriis viribus id fieri queat, sed per fidem atq; preces, propter fœdus novum impetrato à Patre Spiritus auxiliô atque concursu.*]

§. 8. Quæ omnia tamen non sufficiunt; cum non plene ab illo separetur malum usque ad diem mortis ejus. Tunc enim putrescit malum intra terræ pulverem, tolliturque ab eo, & absedit. Quæ etiam ratio est percussionis in sepulchro, prout auxiliante Deo latius dicemus suo loco.

§. 9. Et huc quoque pertinet illud, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, quod multi justi non aliam ob causam moriantur, quam ob consilium serpentis [*quo Chavvam alliciebat ad peccandum.*] Atque hinc responderi potest ad quæstionem illam, quomodo fieri queat, quod moriantur absque peccato: cum exhinc videretur iniquitatem quandam versari in sinu Dei Benedicti? Sed in hoc versatur negotium, quod jam ante in illis est malum primum, quod commixtum fuit cum animabus illorum cum peccaret Adam protoplastes; & serpens injiceret impuritatem suam intra animam ejus: unde malum illud primum ab ipsis tolli nequit nisi per mortem: prout nempe dicebat Deus benedictus Gen. 2. v. 17. In die quo comedes ex ea, morte morieris.

§ 10. Ab illa ergo die, qua peccavit Adam protoplastes, continuis tam cogitationibus quàm operibus in id enitendum nobis est, ut extrahamus atque educamus animas supradictas è medio corticum per opera nostra supradicta. Quò etiam digitum intendit scriptura Psal. 68. v. 35. Date fortitudinem Deo. Quod si igitur essemus justi & converteremur conversione perfecta, facultas in nobis esset omnes illas animas, quæ intra cortices degunt, unico extrahendi momento; atque confestim veniret Meschiach. Prout nimirum inquiunt Rabbini nostri bonæ memoriæ. Non venit filius David, donec plenè prodierint omnes animæ, quæ in corpore. Sed peccata nostra debilitant, ut ita dicam, potentiam conditoris, id quod & Scriptura docet Deut. 32. v. 18. Petram, quæ genuitte, debilitas.

§. 11. Quando autem plenè prodierint omnes illæ animæ è corticibus, quæ mortis nomine vocantur: tunc etiam abinde exibit gloria cohabitans, quæ intra illos exulat, eosque vivificat: & illi relinquentur mortui, & absorbebuntur atque peribunt. [*Sublata nimirum privatione sive curvatura atque pravitate, in qua consistit formalis ratio corticum. Et hoc pertinet, quod Paulus inquit*, 1. *Cor.* 15. v. 24. 25. 26. 27. 28; *ubi notetur particula* Καταργήσει. *Confer.* 53. 54.] Et hoc ipsum est, quod dicit Jesch. 25. v. 8. Absorbebit mortem in æternum. Id est cortices, qui vocantur mors. Quid de illis dicitur? nimirum postquam exillis prodierit gloria cohabitans, quæ vocatur vita; tunc absorbebuntur in æternum, nec ulla ipsis continget restitutio; prout fiebat tempore promulgatæ legis, ubi mors redibat in locum suum pristinum.

§. 12. Porrò jam quoque dictum est: animam quò sit excellentior, eò profundius immergi corticibus: eòque magis externo illos (hostes) conari omnibus suis viribus, ut eandem polluant omni pollutionum genere, quò semper permaneat intra illos in potestate illorum, ipsique commodo suo exinde fruantur. Metuunt ergo ne forte per justum quendam perfectum ab illis educantur tales animæ tempore copulæ suæ maritalis, ut dictum supra. Antequam ergo justus ille talem animam ab illis educat, ipsique alimentum suum quod ejusdem beneficio capiunt, amittant; Quid faciunt? Cum nempe vident locum quendam corruptissimum admodum, [*seu corpus quoddam pessimi temperamenti, intra quod sub illa generatione pro fœtu novo immittenda sit anima*] tunc animam quandam excellentem dimittunt extra se, ut subintret illuc, quo deinde quia in loco tantùm malo existit, magis illam ad peccandum impellere, eamque corrumpere queant vehementius, quam fuerat antea; ita ut redire cogatur in potestatem illorum vitiata ut prius: atque hac ratione semper manent ipsis subjecta. Atque hac ratione illi dominium exercent in hominem juxta Ecclesiast. 8. v. 9. putantes id suum fore commodum: cùm tamen è contrario in detrimentum illorum cedat.

§. 13. Res autem ita se habet. Sanctus nempe ille benedictus juxta Deut. 32. v. 4. Petra est, cujus opus est perfectum: & quoniam per peccatum Adami dominium acceperunt in illas animas; hinc easdem non vult educere è manu eorum, nisi jure. Quid ergò facit? Expectat, donec locus aliquis vitiatus occurrat, ut dictum supra; illumque ostendit exterioribus illis inquietis: Velle se, ut illuc introducatur hæc vel illa anima in

in locum nempe istum impurum [*quo nempe subigatur corruptum illud temperamentum*] Illi ergo in contrarium intenti melius consultum sibi putant, si præclaram illam animam illuc introduxerint; & magnoperè delectantur isto actu. Cùm tamen Deus laudatissimus rem jure persequi cupiat, opusque perficere illis volentibus. Planè sicut fiebat per præceptum de hirco in locum Asasel educto, Levit. 16. v. 26. quo auferebantur omnia peccata Jisraëlitarum: prout exponitur in libro Sohar. Cùm igitur talis anima sancta in locum istum viliorem immittitur, e. g. in filium hominis perfectè impii, l. in proselytum quendam atque similes, illi, quasi conclamantes, eandem in sua omninò potestate esse censent, & casu veluti desperato nullam ipsi fore restitutionem sibi spondent.

§ 14. Contingit autem quod anima illa robusta atque sancta insigniter excitetur operibusque bonis præcellat, ut penitus separetur à corticibus: neque id solum, sed etiam scintillas alias secum assumat, easque è profundis corticum educat. Id quod sic eveniebat in Abrahamo Patre nostro, super quo pax, qui erat filius Tharach idololatræ & magni Sacerdotis idolorum: & tamen è contrario de ipso dicitur Gen. 12. v. 5. & animas, quas [*proselytas*] fecerant in Charan. Quod similiter quoque accidit in omnibus proselytis justitiæ: quales erant Ruth & Thamar & Rachab; & omnes reges domus David, & ipse Meschiach: & R. Akibah & R. Meir & similes plures. Usque adeo, ut David, qui exinde prodierat, penitùs extirparet corticem illum, quo superindutus fuerat primitùs: nimirum corticem Moab, intra quem immersa fuerat Psyche Davidis, prout exponemus suo loco. Unde funiculis distribuebat terram Moab incolis occisis. Unde patet, quod Adam Belial dominium quidem habuerit in hominem sanctum; sed in malum sibi, perverso sc. homini, ut dictum supra.

Id quoque exhinc patet, quod anima quò sit excellentior, eò magis quoque immersa sit similibus corticibus; ita ut prava illius concupiscentia omnino magna sit atque insignis. Unde mirum non est, quod David tale quid perpetravit cum Bathschebah & Abigail: prout juvante Deo, gesta illa Davidis & Abrahami locis debitis explicabimus.

Exhinc quoque perspicuum est, quare interdum justus quidam sit filius impii? cùm tamen meritò omnes justi tantum generare deberent filios justos sibi similes.

Cap. III.

§. 1.

Postquam jam ostendi, quod omnes animæ contentæ fuerint in Adamo Protoplaste, secundum omnem speciem Psyches, spiritus mentis, &c. Prout etiam quod in qualibet specie sint ducenta quadraginta octo membra, ut dictum supra capitulo primo: Jam porro in specie sciendum est: Cum in homine sint ducenta quadraginta octo membra & trecenta sexaginta quinque vasa venarum & similia, quæ efficiunt sexcenta & tredecim: Quod nimirum sexcenta hæc & tredecim sint numerus radicum in quamlibet ani-

ma

ma: ita ut quodlibet membrum aut vas ex illis sexcentis & tredecim, quoniam singula unum constituunt membrum integrum, constituant unam radicem integram.

§. 2. Jam porro notum est, singula membra iterum subdividi in ducenta quadraginta octo membra: Prout exempli gratiâ in membro brachii inveniuntur venæ Capitis atque oculorum adeo ut caput & jecur quasi & omnes reliquæ venæ Capitis in brachio sint: atque sic porro quoque in reliquis sexcentis & tredecim membris: In quorum singulis, membra continentur singula.

§. 3. Et quoniam jam quodlibet membrum vel vas è sexcentis illis & tredecim membra continet omnia: Hinc in singulis quoque membris ex eadem ratione sunt sexcentæ & tredecim animæ: quoniam in quolibet membro vel vase reperitur persona quædam integra, constans ducentis quadraginta octo membris & trecentis sexaginta quinque vasis. Adeoque quodlibet membrum vel vas animæ capitis, una est radix, in qua continentur sexcentæ & tredecim animæ aliæ.

§. 4. Jam porro quodlibet membrum è ducentis illis & quadraginta octo dividitur in tres partes. Carnem nempe, Vasa, & Ossa. Et vasa ista non sunt de numero, Trecentorum illorum & sexaginta quinque, de quibus supra: Sed tantum termini sunt venarum & Nervorum intra Carnem finientium & absorptorum. Ossa autem inter hæc supremum habent gradum: & deinde vasa: de quibus plura videri possunt Tract. de format. hominis.

§. 5. Hinc patet, quòd minus quàm sexcentæ & tredecim radices non possint supponi in anima Adami protoplastæ: Et quælibet radix iterum minus habere non potuit quam sexcentas & tredecim scintillas animarum.

Et quia per peccatum Adami Protoplastæ bonum permixtum fuit malo, hinc revolvi cogimur pluries, donec restituamur: [*Quæ revolutio refertur inter species judiciorum, de quibus Heb. 9. 27. Joh. 5. 24. Unde patet quod verum Christianum nulla tangat revolutio. Conf. Apoc. 14, 13.*] Quia singulis vicibus parum tantum restituitur. In quantum ergo quis restituitur, in tantum anima ejus dividitur in scintillas varias. Hinc fieri potuit, ut sexcentæ & tredecim radices Adami protoplastæ singulæ subdivisæ fuerint in sexaginta myriades radicum parvarum Adami, quarum singulæ essent persona una integra constans ducentis quadraginta octo membris: Unde etiam vocantur radices, ut supra.

§. 6. Eodem modo quælibet radix è sexaginta illis Myriadibus parvarum radicum iterum dividi potuit usque ad sexaginta myriades scintillarum; ita ut singulæ illæ scintillæ sint anima quædam per se. In plures autem scintillas subdivisio fieri non potuit, deq; his videri potest Cap. 29. ubi rationes adduximus è supplementis Sohar isticis f. 122, col. 1. quorum verba sunt sequentia: Quoniam dum extenduntur usque ad sexaginta Myriades; &c. Ubi particula *usque* non strictè involvit sexaginta myriades; quia pauciores esse possint quam sexaginta myriades: sed sensus est, non esse plures, quam sexaginta myriades: Quare particula, *usque ad*, usurpatur. Quod probè notandum.

Quælibet autem radix è sexaginta illis myriadibus parvarum radicum, non necessariò

sariò eôdem modò subdividitur: fieri enim potest, ut una de sexaginta illis myriadibus radicum dividatur in scintillas sexcentas & tredecim; vel in mille; donec forte quædam inveniantur quæ divisionem admittant usque ad sexaginta myriades animarum: ita ut radicum numerus minor non sit quam sexcentarum & tredecim: Et tunc vocantur radices magnæ: nec scintillarum numerus sexaginta myriades excedat. Quæ omnia fiunt pro ratione defectus illius vel corruptelæ cujus causa radix illa opus habet divisione ista pro revolutionibus suis.

§. 7. Hæc omnia tamen paulò latiùs nobis diducenda sunt. Sciendum que est animam Adami protoplastæ divisam fuisse in tres partes juxta numerum trium Patriarcharum, [*Prout exercitus divisi solent in duas alas & corpus*] Et tres illas partes porro subdivisas fuisse in partes duodecim juxta numerum duodecim tribuum Israëliticarum. Porro duodecim illæ portiones iterum subdivisæ fuerunt in septuaginta partes juxta numerum septuaginta animarum quæ descenderunt in Ægyptum: Et septuaginta istæ partes sunt radices magnæ sub quibus comprehenduntur omnes Animæ Adami protoplastæ.

Deinceps septuaginta istæ partes iterum subdivisæ fuerunt, in sexcentas & tredecim radices medias: Et istę sexcentę & tredecim radices ulterius divisę fuerunt in sexaginta myriades radicum parvarum, secundum numerum generationis deserti.

§. 8. Sciendum autem numerum istum sexcentorum & tredecim in se continere omnes reliquos numeros supra dictos. Numerus enim sexcentorum ejusdem computi designat sexcenta illa millia, sive sexaginta myriades supra dictas. Et in numero tredenario, qui etiam pars est numeri supra positi latet numerus duodecim tribuum: Unitas autem existentiam illorum respicit, sive totum complexum illorum. Numerus quoque ternarius tres Patriarchas respicit: & denarius respectum habet ad septuaginta animas, si nempe sexaginta myriades & denarius iste addantur; unde resultabunt septuaginta illæ nimirum animæ. Unde apparet, quod in numero sexcentorum & tredecim contineantur omnes numeri supra dicti: nempe trium Patriarcharum; & duodecim tribuum; & septuaginta animarum; & sexaginta myriadum.

§. 9. Quemadmodum autem tota Synoche sive coagmentatio animæ Adami protoplastæ dividebatur secundum tres Patriarchas & duodecim tribus & septuaginta animas: Sic singulæ porro radices è sexaginta myriadibus radicum Adami ulterius dividuntur per se secundum numerum trium Patriarcharum & duodecim tribuum & septuaginta animarum.

In hoc tamen est differentia quædam, quod nempe septuaginta quidem animæ in Adamo divisæ fuerint in sexaginta myriades radicum (parvarum), sed septuaginta illæ animæ, quæ in singulis radicibus sexaginta illarum myriadum supradictarum non porrò ita subdividantur, ut una plus quam una radix sola fiat: sed singulæ istarum septuaginta radicum subdividuntur in sexcentas & tredecim scintillas vel plures, adeò, ut fieri queat aliquas istarum radicum è septuaginta, subdividi in sexaginta myriades, scintilla-

rum quidem, quæ sint animæ; sed non radicum, eò quod simplices tantum sint animæ.

§. 10. Ista autem omnia, quæ hactenus diximus, intelligenda saltem sunt de Psyche factiva. Eodemque modo instituenda est divisio spiritus è mundo formativo; & mentis è systemate creativo, atque sic porrò, cum notum sit, animam Adami protoplastæ in sese continuisse omnes animarum species à psyche systematis factivi usque ad longanimum mundi emanativi.

Cap. IV.

§. 1.

POstquam igitur jam explicatum tibi est, quomodo omnes animæ comprehensæ fuerint in Adamo protoplaste; omnesq; per peccatum ejus superinvolutæ fuerint corticibus: jam porrò aggrediemur doctrinam ipsam de animarum revolutionibus. Ab illo enim tempore, quo bonum permixtum fuit malo, duo jam sunt necessaria. Primum ut homo bonum separet à malo: id quod sit observatione trecentorum & sexaginta quinque præceptorum prohibitivorum. Alterum autem ut portio boni restituatur: quod fit per præcepta affirmativa seu jubentia. Nullum enim fuit membrum in Adamo protoplaste, quod non compositum fuerit è ducentis quadraginta octo membris aliis & trecentis sexaginta quinque vasis venarum vel nervorum, quorum numerus efficit summam sexcentorum & tredecim.

§. 2. Quod si ita est, dici fortè posset sufficere, si singula membra adimplerent præcepta hæc sexcenta & tredecim; quamvis non omnes scintillæ eorum adimplerent omnia præcepta.

§. 3. Scito autem rem ita se non habere. Quia enim ipsa quoque membra subdividuntur in sexcentas & tredecim scintillas, ut dictum supra, vel plures; & quælibet scintilla constat ex omnibus: hinc quælibet scintilla animæ tenetur adimplere omnia sexcenta & tredecim præcepta legis, quæ correspondent membris vasisq; hominis: & si vel unicum præceptum desit, propterea revolvi tenetur, prout traditur in supplementis Sohariſticis suppl. 1.

§. 4. Revera enim non est par ratio istorum duorum; si nempe quis impleverit omnia sexcenta & tredecim præcepta mediantibus scintillis membri illius, unde descendit radix animæ ejus; quamvis non ipse adimpleverit omnia: & si quis nondum implevit omnia sexcenta & tredecim præcepta; ne quidem per scintillas radicis suæ quod planum est per se.

§. 5. Neque id solum, sed omnia sexcenta & tredecim præcepta adimplenda sunt ab homine, factô, verbo, & cogitatione. Quod indigitatur verbis illis Levit. 6. v. 9. Hæc est lex holocausti, &c. Ubi dixerunt Magistri nostri: Quicunque studet super præcepto holocausti, eidem imputatur, ac si obtulisset holocaustum, &c. [*Hæc phrasi com-*

si commodè exponi possunt ea, quæ Paulus sapiùs dicit de imputatione fidei, qua nimirum opera illa, quæ fidelis non propriis viribus, (quippe quas abnegavit,) sed per Spiritum Sanctum verâ fide atque precibus à Patre per Filium Messiam impetratum, operatur (quæ revera nil nisi fides ejus sunt;) eidem, in justitiam imputantur, i.e. ac si ipse ea præstitisset, unde & pro iis merces promittitur. Ad Rom. 4. v. 5. 11. &c.]

§. 6. Si autem defecerit scintilla animæ unica saltem in una parte illorum; quæ sunt opus, verba & cogitatio; tamdiu revolutionem pati cogitur, donec impleverit omnia.

§. 7. Sic quoque qui non studuerit in lege secundum פשט, sive sensum literalem, רמז sive Allegoricum; דרש sive Anagogicum & סוד sive Mysticum sive Cabbalisticum quæ voces juxta literas suas initiales continentur voce פרדס; ille cogitur revolvi, donec absolverit omnia secundum singulos sensus; quilibet nimirum secundum illam partem, quam potest assequi pro notione radicis suæ: & hæc est illa portio, quæ ipsi data est in monte Sinai; prout notum est.

§. 8. Hoc ipso autem responderi potest ad multas quæstiones multaque dubia. Videmus enim multos justos gradu sat exiguo per cæteris justis justitiam colentibus; qui tamen tranquille atque quiete gaudent mundo venturo. Cum è contrario justi sint excellentes admodum, exempligratia, Moses Magister noster super quo pax: de quo dicitur in supplementis Soharisticis, quod revolvendus sit, & extenso ejus pertingat usque in sexaginta myriades generationum. Cujus hæc est ratio, quod absolvere teneatur portionem suam, quæ magna est admodum: unde revolutiones ejus non absolvi queunt tam velociter?

§. 9. Hinc quoque intelligitur, quare dentur justi quidam, qui quasi excisi moriantur in Juventute sua: quales exempli gratia fuit R. Bon & ipsi similes. Quod non propterea factum est, quasi commiserit delictum aliquod, cujus causa reus factus sit excisionis: sed cardo rei in hoc versabatur, quod jam perfecissent, quicquid complendum erat ex omnibus sexcentis & tredecim præceptis, cum pluribus aliis; unde dissolvebatur [*Conferphrasin ad Phil. 1. v. 23.*] & ex hac vita migrabant in juventute sua (justi isti). Quod indigitarunt Magistri nostri bonæ memoriæ dicentes: R. Bon novendecim ætatis suæ annis plus impendit operæ, quam discipulus quidam alius septuaginta annis. Quod nota.

§. 10. Hinc quoque intelliges, cur dentur justi quidam, qui inviti moriuntur, qualis fuit Moses Magister noster super quo pax: Cùm alii contrarium testati sint. Cujus ratio in hoc consistit, quod Moseche nondum adimplesset omnia sexcenta & tredecim præcepta; præsertim quæ concernerent terram promissam atq; domum sanctuarii, cû ergo durum ipsi videretur reverti per revolutionem, quod ipsi tamen faciendum erat: hinc invitus omnio subiit mortem. Justi autem alii, qui jam absolverunt, quicquid ipsis necessarium fuit; morte sua gaudent. Et hoc ipsum est, quod dicitur Danielis cap. 12. v. 13. Et tu vade ad finem & requiesces. Non enim opus fuit ipsi revolutionem pati ulteriorem.

§. 11. Hinc quoque intelligi potest, quare redemtio tanto tempore suspendatur.

Quod nimirum opus sit infinitis quasi revolutionibus, donec scintilla quævis adimpleat omnia sexcenta & tredecim præcepta cum omnibus supradictis speciebus.

§. 12. Hinc quoque intelligi potest dictum illud Gemaræ. Ubi R. quidam interrogavit alterum: Quodnam præceptum pater ejus potissimum observasset? iste autem respondit: Præceptum penicilamentorum. Et sic eodem modo alii inveniuntur justi, qui præcepta quædam alia potius observant, quàm cætera. Ubi quæstionem movent Sapientes nostri bonæ memoriæ: Annon præcepta levia eodem modo observanda sint, quò gravia? Ubi respondetur, illos fuisse sapientes, qui sciverint, quid ipsis defuerit; unde præcepta illa, quæ jam observaverant in revolutionibus prioribus, non usque adeò observaverunt.

§. 13. Quod tamen intelligendum saltem est de illis præceptis, quæ corpus non obligant: qualia sunt, præcepta ad terram promissam pertinentia, item primitiæ tonsuræ; & similia. Sed quæ corpus obligant, qualia sunt struendi tabernacula, instandi tubam & gestandi frondes, item fundendi preces & legendi lectionem Audi, & similia; illa sanè quilibet observare tenetur in singulis revolutionibus. Quod probè notandum.

§. 14. Cæteri autem homines, qui ignorant quam ob causam in mundum venerint; & quid ipsis desit: omnia observare tenentur. Et propterea admoniti sint, præcepta levia pari observare respectu quò gravia.

§. 15. Hinc quoque intelliges, cur quidam homines omne studium summa cum delectatione impendant in sensum legis literalem; cùm alii sibi proponant sensum Anagogicum vel Moralem, alii Allegoricum sive Tropicum, alii Gematriis sive Arithmeticæ sacræ invigilent; & alii Viam Veritatis seu Cabbalam sectentur. Quæ omnia sic eveniunt secundum finem, propter quem quis illa vice revolutionem passus est. Quia enim jam semel absolvit illorum quædam in prima revolutione; hinc non opus est, ut in quavis revolutione operam det omnibus. Atque hac ratione intelligere poteris quicquid difficile videtur atque dubium est circa negotia hominum illorumque revolutiones.

§. 15. Cumque jam expositum sit, quæ sit ratio radicum animarum; & quomodo singulæ scintillæ adimplere teneantur omnia sexcenta & tredecim præcepta modis supra expositis: jam porro notandum est, magnopere opus esse homini ut sciat radicem animæ suæ, & unde illa provenerit. Prout monetur in Sohar Cantici Canticorum ad locum Cant. 1. v. 7. Indica mihi, quem diligit anima mea &c. Prout scire quoque teneturhomo, in quem finem in mundum venerit?

§. 16. Res autem eò redit: quoniam jam notum tibi est, omnes Jisraëlitas vadimonio ergà se invicem obstringi; ob causam supra jam expositam cap. 1. quod nempe omnes Jisraëlitæ fuerint in Adamo protoplaste. Veruntamen vades non sunt pro se invicem, nisi ratione peccatorum manifestorum: sicut dictum est Deut. 29. v. 29. Et manifesta nobis & filiis nostris &c. Sicut etiam non sunt sponsores pro se invicem nisi illò casu, si possint impedire malum illud, & non impediverint: prout notum est.

§. 17. Verum enim verò rationes dantur plures specialiores atque intimiores aliæ. Nimirum quod quicunq; ab una descendunt radice sponsores atq; vades sibi sint invicem in

in quovis particulari: ita ut non tantùm pœnam sustinere cogatur propterea, sed ut etiam hanc ob causam revolvendus sit aliquis: prout ulteriùs exponemus.

§. 18. Quod ita se non habet in descendentibus à radicibus diversis. Quoniam si quis manifesto delicto polluatur, & alter idem potuisset impedire, quod tamen non fecit; iste sane propterea non punitur nisi in hoc mundo: non autem tenetur propterea redire per revolutionem vel per impræ gnationem; prout exponemus. Unde omnes sexcentæ & tredecim scintillæ animarum contentæ in radice una è septuaginta radicibus parvis, quæ reperiuntur in singulis membris Adami protoplastæ, ut dictum supra capitulo 3. omnes, inquam, sexcentæ & tredecim scintillæ, sive etiam si plures fuerint, ut dictum; omnes sponsores sunt pro sese invicem sponsione perfectissima. Quoniam omnes illæ sexcentæ & tredecim scintillæ habentur pro anima una. Quod probè notandum tibi; quoniam insigne est axioma circa negotium revolutionis. Quod si igitur una quæpiam è sexcentis illis & tredecim scintillis peccaverit, vel vitium aliquod admiserit; tunc omnes illæ sexcentæ & tredecim scintillæ ad eandem pertinentes radicem vitium hoc vel defectum illum restituere tenentur: nec vocantur perfectæ vel restitutæ, quamvis omnia ipsis necessaria suo tempore adimpleviſſent; donec resarciatur vitium illius scintillæ. Quapropter omnes illæ scintillæ tenentur associari eidem per mysterium revolutionis [*Notetur eadem mysterii phrasis in eodem negotio à Paulo adhibita ad Rom.* 11. v. 25.] vel per mysterium impræ gnationis. Prout latius declarabimus Deò juvante. Ut nempe opitulentur ei quoad impleat omnia sexcenta & tredecim præcepta impletione perfecta. Postquam autem adimpleta sunt sexcenta & tredecim præcepta; nullo amplius erga se invicem obstringuntur vadimonio alio, cò quod ex una radice sint; quamvis illa anima fuerit de septuaginta radicibus parvis contentis in uno membro Adami protoplastæ.

§. 19. Porrò sciendum quoq; est, ex sexcentis & tredecim illis scintillis alias semper viciniores esse atque cognatiores aliis, unde cognatiorem hujus vel illis embryonem fieri oportet, vel revolvi, ut eandem juvare queat; prout auxiliante Deo cap. 5. declarabimus.

§. 20. Hinc ergò constat omnes illas sexcentas & tredecim scintillas unam esse animam, quæ sive per peccatum Adami protoplastæ sive per ipsius hominis commissa, distracta saltem sit, veluti, si per malleum saxum diffringatur in sexcentas & tredecim particulas sive scintillas. Jirm. 23. v. 29. vel plures.

§. 21. Exinde quoque intelliges, quod reperitur in libro Cabbalistarum: Aliquem per revolutionem venisse in alium quendam: cùm tamen absurdum videatur intellectui, virum illum excellentem coactum fuisse reverti atque revolvi; & præcipuè reditu talirevolutivo, ut revolvatur in homine multum viliore, quàm ille fuisset antea. Verum enim verò res ita se habet; quoniam omnes sexcentæ & tredecim scintillæ sponsores sunt atque vades pro se invicem, (eò quod ab una radice sint); hinc aliquando scintilla excellens admodum revolvitur in scintilla quadam vel minima: eo quod vadimonio obstricta sit alteri, cùm sit de radice ejus; ut nempe opituletur ei, eamque perficiat.

§. 22. Porrò notandum singulas sexcentarum & tredecim illarum scintillarum sive particularum vel plurium, quæ sunt in eadem radice, omnes appellati radicis

nomine. Jam verò quælibet radix partim continet discipulos Sapientum sive majoris sive minoris eruditionis, observatoresque Præceptorum, partim quoq; idiotas plebejos atq; impios. Exempli loco sit arbor, in qua ligna quoque & rami atque folia sunt, & corticis præter fructus: quæ tamen omnia sunt anima una. Jam verò in qualibet radice necessariò esse debent sexcentæ & tredecim scintillæ unius animæ, systema constituentes juxta mysterium 248. membrorum & 365. vasorum ad illam pertinentium; quæ omnes sint discipuli Sapientum, ita ut numerus eruditorum minor esse nequeat, quàm 613. Cætera verò massa istorum membrorum, prout sunt rami, folia lignumque arboris, sunt patresfamilias sive plebeji. Summa hucredit, in qualibet radice pro fructibus arboris tantum haberi discipulos Sapientum, quos 613. esse oportet numero certo: atque hæc omnia in Psyche seu anima inferiore vel Nephesch. Et sic 613. alii reperiuntur in spiritu; totidemque in mente &c. ita pergendo per omnes partes singulorum systematum emanativi; creativi, formativi, & factivi, de quo vide cap. 2. Quod probè notandum. Quoniam scitu valde necessarium est, nisi confundi velis cognitione tua.

§. 23. Ratio in hoc consistit, quod in qualibet radice persona repræsentetur integra, 613. membris constans.

§. 24. Adeoq; sicut magna est differentia inter ipsas radices, quarum aliæ ad caput, aliæ ad pedes referuntur: sic talis quoque est differentia inter scintillas ejusdem radicis. Unde non est quod mireris, quod omnes impii atque populi mundani progeniti sint ab Adamo protoplaste & Noach & Abraham & Jitzjak eorumque similibus: quod vix videtur possibile. Sed difficultas in id resolvitur, quod anima illa & quævis constet è 248. membris, in quolibet autem membro sint caro & medulla, sanguis cutis pili quoque & quandoque ungues. Quicunque ergò pertinet ad medullam interiorem, ille insignis est admodum: atque sic porro usque ad pilos & ungues, qui quasi cortices sunt illius membri. Unde mirum non est, quod dixerimus in radice animæ Abrahami & similium dari scintillas sive particulas impiorum atque ingloriorum viliumque admodum. Quod probè notes, ne opus sit ubique eadem repetere: videasque cap. 32.

§. 25. Ulterius multa quoque sunt præcepta, quæ non à qualibet scintilla ex illis impleri vel observari queunt. Ratio hæc est: quoniam non omnes animæ, quamvis sint ab una radice, propterea tamen veniunt in unam familiam, vel in unam tribum: sed quædam revolvitur in Sacerdotem vel Levitam; alia in revolutione sit Judex, alia sinarius vel similis: ubi non quælibet scintilla observare potest omnia sexcenta & tredecim præcepta; eò quod quædam solos sacerdotes, quædam Levitas; aliæ Reges vel Judices & similes concernunt: prout etiam præcepta sunt alia specialia, qualia sunt de redimendo primogenito; de leviratu vel discalceatione. Quod si enim cuidam filius non sit vel frater vel primogenitus; ille sanè hæc observare nequit. Porrò tamen alia quoque sunt præcepta, quæ à singulis observari possunt, qualia sunt de lectione Audi; de precibus; de fimbriis [*vid. Matth. 9. v. 20. Matth. 23. v. 5. Matth. 14. v. 36.*] item adeundi domum conventus, & similia. Alia quoque sunt præcepta, quæ homo non obligatus est persequi; qualia sunt spicilegium, oblivione relicta, angulus agri, primitiæ tonsuræ & similia: ad quæ quilibet obligatus est, si nempe habuerit agrum vel oves: sin minus, libet est.

est. Alia deinde præcepta templum saltem concernunt, qualia sunt sacrificia & similia.

§. 26. Jam ergo dicendum, quæ sit singulorum ratio. Quoad illa igitur præcepta, quæ homo posset persequi, v. g. ut emeret agrum & daret decimas, &c. ob illa, si neglexerit eadem, tenetur revolvi; eademq omni modo adimplere. Quod autem ad illa præcepta attinet, quæ observari queunt citra respectum templi; & quæ tamen occasione deficiente à quodam impleri nequeunt, qualia sunt redemtio filii; & leviratus; & discalceatio: circa illa hæc versatur differentia: quod si occasio cuidam offeratur; & tamen ea non observet; tunc se habent ad instar omnium præceptorum, quæ ab homine præstari queunt: unde quis propterea obligatus est perfecto reditu revolvi, ut illa observet. Quod si verò occasio eidem defuerit; non quidem propterea tenetur revolvi, sed sufficit ipsi, si embryonetur per mysterium embryonatus, ut nempe subintret in hominem quendam vivum, qui sit de radice ejus, & obligatus sit ad ea, ut supra dictum per revolutionem. Cùm ergo obvenerit ilsi homini tale aliquod præceptum, quod ipsi defuerat; tunc alter ille idem simul observare potest mediante hoc: quo facto mox iterum ex illo dimittitur atque avolat. Et de his satis.

§. 27. Quantum autem præcepta illa concernit, quæ à templo dependent; propter illa omnes scintillæ, quæ venerant ante exstructum sanctuarium sive stante templo obligatæ tunc erant revolvi in sacerdotes vel Levitas, vel Jisraëlitas; donec omnia adimplevissent. Quæcunque autem scintillæ non venerunt in mundum nisi post destructum templum; illas omnes redire oportet tempore adventus Messiæ, qui benedictus sit: atque tunc observabunt omnia illa præcepta.

§. 28. Atque hinc facile intelliges rationem, quare dies Meschiach venire debeant ante mundum venturum; quod est millennium septimum; quia tunc fundamentum erit pœnarum. Quam diu autem anima sola est, eique occasio deficit; tunc illa præcepta observare nequit: unde circa initium dierum Messiæ observanda erunt omnia præcepta dependentia à templi structura. Et hinc quoque intelligi poterit, quod dixit R. Jischmael filius Elischah, cùm emungeret lucernam nocte Sabbathina, inquiens: Cùm restaurabitur domus Sanctuarii, sacrificium offeram pro peccato &c. Sed hæc sufficiant: eaque probè notes.

Cap. V.

§. 1.

Cum capitulo præcedenti satis edoctum sit, omnes animas mixturam pati boni atque mali; inque mundum venire, ut restituant separentque bonum à malo: quodque aliæ veniant in mundum per mysterium revolutionis, aliæ verò per mysterium embryonatus: jam porrò declarandum est, quid propriè sit גלגול seu revolutio, & quid sit embryonatus, seu עיבור.

§. 2. Revolutio ergo, quæ Gilgul dicitur est, si cùm infans quidam de utero matris prodit, in corpus illud subintrat anima quædam; eademque tolerare cogitur omnes illos dolores atque miserias, quæcunque supervenerint eidem corpori, ex quo prodiit in auram mundanam usque ad mortem ejus; ita ut penes illam non sit abhinc exire usque

que ad diem mortis. Sed embryonatus, qui Ibbur dicitur, est, si anima quædam in hunc mundum venit in hominem jam natum in hunc mundum, atque adultum; tunc enim si anima quædam alia intra talem subintret, iste similis quasi evadit fœminæ prægnanti, quæ infantem embryonem in utero suo gerit: unde etiam dicitur embryonatus: eodem enim modo in talem virum præter animam suam radicalem, quæ in ipsum intrat cum prodit in auram mundanam; per novam imprægnationem venit anima quædam alia, postquam jam adolevit. Unde fieri non potest, ut anima quædam embryo fiat in aliquo per mysterium embryonatus; nisi alter ille jam natus fuerit annos tredecim & ultra, id est, si natus sit annos tredecim & diem unum: quoniam ab illo tempore jam pro viro habetur, qui obligatur observare præcepta: tunc ergò eidem advenit anima altera, ut eundem adjuvet, & justum reddat, dirigatque ad studium præceptorum atque legis.

§. 3. Duplex autem est embryonatus. Primò; cum anima illa, quæ de novo imprægnat hominem illum, ipsa hoc casu indiget, quia ipsi deest aliquod præceptum, quod non observavit in revolutione præterita: quod tamen tale est, ut ad illud implendum ipsi defuerit occasio: qualia sunt leviratus, discalceatio & similia, propter quæ non opus habuit descendere in revolutionem, ut dictum supra cap. 4. Unde venit ut embryo in istum hominem, ut impleat illud præceptum, in quo deficiebat.

§. 4. Vel etiam secundò fieri potest, ut imprægnet illum hominem pro necessitate illius hominis; ut nempe opituletur ei, eumque justificet, atque gubernet: ipsa verò anima embryonata pro seipsa nullò laborat defectu. Utroque autem casu non imprægnatur homo nisi postquam natus sit tredecim annos & diem unum: abhinc porro enim obligatus est observare præcepta.

§. 5. Differentia tamen hæc intercedit: quod cum quis embryo sit in proprium usum, ut adimpleat defectum suum; anima illa imprægnans extendatur per totum corpus hominis illius instar animæ corporis illius propriæ: toleretque omnes dolores & cruciatus corporis, prout ipsa illius corporis anima, ibique moretur, donec adimpleat illud præceptum, quo carebat: quo impleto auferetur ab homine illo & abit.

§. 6. Quæ autem embryo sit pro necessitate hominis cujusdam, ut nempe eundem adjuvet; illa non suffert dolores ullos miseriasque corporis: cum ipsa defectu non laboret, nec ob propriam necessitatem adveniat: unde nec tempus habet definitum, quo egredi debeat; sed potiùs ibi permanet secundum arbitrium suum & cum homo bene operatur, in illo persistit; & quidem quò melior evadit, eò fortiùs cum ipso unitur. Cùm autem in deterius ruit, ipsa auferetur ab homine illo, dicens è Numer. 16. v 26. Recedite quæso à tentoriis virorum istorum impiorum &c. atque abit.

§ 7. Quod autem ad revolutionem attinet, possibile est, ut revolvantur simul duæ vel tres scintillæ in corpore uno; prout infra declarabimus hôc ipsô capite. Quod tamen fieri nequit, nisi hæ revolutæ omnes sint de una radice animæ; & de 613. scintillis illius radicis: prout dictum est cap. 4. quod nempe omnes pro se invicem spondere coguntur, omnesque sint anima una.

§. 8. Quod si autem quis seducat proximum suum; tum ambo coguntur pati revolutionem unam in uno corpore: & ille qui seduxit, juvare tenetur alterum ut impleat præceptum illud, & restituat quod corrupit, propter illum. Quo in casu simul revolvi possunt, quamvis non sint de una radice: Videatur Cap. III.

§. 9. Sic etiam in imprægnatione sive embryonatu plerumque sunt de una radice. Nisi cum homo quidam operam dat præcepto cuidam prout decet, illique semper inhæret ad instar justi cujusdam qui ante illum vixerat, eidemque præcepto operam dederat ex omni perfectione: Tunc enim quamvis anima justi illius non sit de radice hujus, tamen hunc imprægnare potest.

§. 10. Dein scito, fieri quoque posse, ut talis imprægnatio accidat viventibus ambobus. Verbi gratiâ, si justus quidam est in generatione quadam, & præcepto cuidam operam dat secundum requisita ejus; deinde autem homo quidam in eadem generatione vivit, qui idem præceptum secundum requisita ejus implet, prout id fecerat justus ille; tunc fieri potest, ut Nephesch seu Psyche vel anima inferior justi illius imprægnet illum, quamvis ambo sint in vivis. Et hoc est quod dicitur 1. Schmuel. 18, 1. Et Psyche Jonathanis ligata est ad Psychen Davidis: quamvis ambo simul viverent, in una generatione. Quod probè notandum.

§. 11. Quod autem dictum est de Embryonatu, indigitatum quoque est in libro Midrasch Hanneelam 42. Ubi dicitur: Qui venit ut purificetur, illum adjuvant. R. Nathan inquit: Animæ justorum adjuvant illum. Quod notandum. Res autem ita se habet, quod nempe justi illius anima veniat in hominem istum, ut illum adjuvet ad implere præceptum: Unde justus ille hîc quoq; portior em habet in istis præceptis; (& observatione eorum particeps fit.) Id quod etiam à Magistris nostris piæ memoriæ alibi annotatum est, cum inquiunt: Majores sunt justi post mortem suam quam in vita sua: Quoniam post mortem suam merentur habere liberos. Quod sic intelligendum: Quia homo iste quasi est ad instar filii justi illius, qui ipsum dirigit ad præcepta sicut Pater filium suum. Et Capitulo undecimo latiùs exponemus quantum auxilii sortiri queat homo si ipsum imprægnet justus quidam; quæ evolve. Et hoc intenderunt Magistri nostri, dum inquiunt: Si probus est accipit portionem suam & portionem socii sui in horto Eden. Ecce enim justus talis unam jam accepit portionem suam in horto Eden; Et quando nunc Embryo fit in hoc vel illo homine ut illum adjuvet; iterum portionem suam accipit, etiam ex illo præcepto.

§. 12. Fit autem revolutio ex pluribus causis. Nam

1. Quis revolvitur ex eo quod peccavit & vitium contraxit; qui propterea revolvendo redit ut illud vitium relinquat. Et si talis revolvatur, is sanè facile iterum peccat.
2. Alius revolvitur ut adimpleat & perficiat aliquod præceptum, quod neglexerat. Et hujus casus duæ sunt species. Primò; si id tale sit, quod cum daretur occasio, tamen noluit observare. Exempli gratia, si festum tabernaculorum sit & non construxerit tabernaculum: vel simile quid: quamvis non manibus quasi præceptum destruxerit, sed tantum quod quietus federit, & non fecerit.

Et iste remotior est à peccando, quam ille, qui venit ad restaurandum vitium aliquod, vel peccatum. Deinde aliquis etiam revertitur ad observandum præceptum aliquod, cujus ipsi quidem non oblata fuit occasio; ipse tamen ex desidia eandem quoque quærere noluit. Exempli gratiâ: Si non emit agrum ut observaret præceptum de spicilegio; derelicto ex oblivione & de angulo agri, &c. Et talis adhuc remotior est à peccato & certior est quod non sit peccaturus.

3. Quidam etiam revolvuntur ut justos reddant alios & in viam rectam ducant homines: Non verò revolvuntur pro necessitate propriâ. Et hi certissimi sunt quod omnino non sint peccaturi. Ratio hæc est; quoniam Sanctus ille, qui benedictus sit, non cupit, (quod absit!) ut culposæ fiant creaturæ ejus, postquam absolverunt pensum suum: Et quoniam tantum adveniunt in usum aliorum, ipse conservat eas ne omnino peccent.

4. Quidam etiam propterea revolvuntur, quia non fuerant meriti in revolutione priore veram suam comparem ducere in uxorem: unde redeunt, ut eandem accipiant.

§. 13. Postquam autem jam declaravi quomodo se habeat revolutio: Et quomodo fieri queat, ut plures scintillæ revolvantur in corpore unico; & quod omnes de una radice esse oporteat: jam porro ad specialiora descendam. Scito ergo, aliquando fieri posse, ut simul revolvantur in corpore uno anima vel una, vel duæ vel tres vel quatuor. Plures autem animas quam quatuor simul in uno corpore reperiri impossibile est. Res autem ita se habet. Quandoque una tantum venit anima nova: Quandoque autem cum ipsa revolvuntur animæ aliæ veteres de radice ejus; ut restituant cum illa quod corruperant, & propter quod venire debuerunt in revolutionem. Aliquando ergo ut dictum, venit anima una tantum nova. Aliquando anima una revoluta. Vel una nova & una revoluta. Vel una nova & duæ veteres. Vel una nova & tres veteres. Vel duæ vel tres veteres tantùm. Plures autem quàm una & tres veteres concurrere non possunt.

§. 14. Et huc pertinet dictum illud Job. 33, 29. Ecce omnia ista operabitur Deus bis & ter cum viro. Ubi per virum intelligitur anima radicalis nova propter quam corpus illud vocatur vir & individuum: Et Deus benedictus jubet fieri revolutiones cum illa, quæ sunt tres veteres; cum una nova quæ vocatur vir. Hic quoque est sensus dicti Exod. 20, 5. visitans iniquitatem patrum super filios & super nepotes & super pronepotes. Quoniam mysterium revolutionis ad quartam usque tantum sese exporrigit cum nova ut dictum supra.

§. 15. Scito quoque quod in embryonatu pariter id fieri soleat, ut cum uno homine plures animæ aliæ sociari nequeant quam tres; ita ut tres sint animæ alienæ præter hominem ipsum; ita ut cum anima ejus quatuor sint: Impræg nantes tamen eundem non nisi tres sunt vel pauciores: Plures autem quam tres esse nequeunt.

§. 16. Verum enim verò in omni embryonatu, dum animæ cuidam associantur, quæ ex una radice sunt cum anima ejus, tum impræg natio fit ordine sumpto à graduminore ad majorem. Primo enim Embryo fit in eo talis quæ est minore gradu; & deinde major ista; Et postmodum tertia adhuc major: Atque tunc justior evadit; & lumen prius

prius obfuscatur eumque impræg nat anima alia excellentior omnibus. Idemque modus semper observatur, ita ut nunquam in mysterio embryonatus plures manifestari queant animæ quam tres, præter hominem ipsum.

§. 17. Alia tamen adhuc quoque explicatio illius loci, Job. 33. v. 29. Ecce ista omnia operabitur Deus bis & ter cum viro. Dicere enim debuisset tribus vicibus: cum tamen dicat vicibus duabus & tribus, vel bis tribus, ita ut videri queat ternarium bis repetitum intelligi. Sensus autem iste est: Quod tribus revolutionibus primis cum quis in mundum venit, ipse venit solus; scintilla nempe sive particula illius sola: ita ut auxilio non egeat. Cum autem jam revolutus est tribus vicibus, tunc tres revolutiones secundæ incipiunt: Et ab illo tempore atque porro ipse non revolvitur solus; sed cum ipso revolvitur vel embryo sit scintilla quædam è radicibus suis ut opituletur ei: Unde cum alia quædam scintilla præparatur ut cum illo societatem ineat, illud fiat in hunc finem, ut alter ille eum dirigat eumque adjuvet. Cùm ergò textus inquit, vicibus duabus & tribus, hæc operatur Deus cum viro; sensus est: id fieri secunda periodo trium revolutionum: & multo magis in tertia, & ulterius quando ipse est cum viro; id est cum scintilla alia; ut nempe scintilla ista illi opem præstet, & viam rectam commonstret. Prout etiam explicabimus, auxiliante Deo Capitulo duodecimo super locum Deut. 22, v. 3. Et sic facies omni rei amissæ fratris tui, &c. ubi vide.

§. 18. Sciendum quoque est, si homo revolvitur ob neglectum præceptum aliquod, ut dictum supra; Tunc revolvitur solus multis vicibus; donec impleverit omnia 613. præcepta, & quicquid ipsi perficiendum est pro portione sua. Et deinde cum resurget in resurrectione mortuorum, omnia illa & singula corpora in quibus revolutus est accipient partem suam ab illa scintilla quæ analoga est præcepto illi, quod implevit cum esset in illo corpore.

§. 19. Si autem revolvitur ob vitium aliquod commissum atque delictum; tunc necesse est ut revolvatur cum scintilla quadam alia concurrente & restituatur per illam scintillam.

§. 20. Si autem scintilla prima peccavit peccatum aliquod ex illis ob quod corpora in morte absumuntur & pereunt, ut ipsis nulla contingat resurrectio è morte: tunc scintilla illa, quoniam corpus ejus periit, sola revolvitur in corpore quodam secundo; quod resurget in resurrectione mortuorum cum omnibus partibus scintillæ corporis primi: Corpus autem primum perit.

§. 21. Cùm autem supra expositum sit, quod multæ animæ revolvi nequeant in corpore uno nisi sint ex unica radice: jam porro scias; quamvis omnes 613. scintillæ illius radicis revolvi queant cum una; illam tamen revolutionem non fieri simul: sed scintillas tantum propinquiores & similiores sibi invicem, concurrere.

§. 22. Fieri tamen potest, si quis dignum se præbeat ut cum eo embryones fiant omnes 613. scintillæ per modum supra hoc capite expositum: ubi tamen tres tantum scintillæ in embryonatu prævalent; & reliquarum lumen obfuscatur intra illas.

§. 23. In specie autem, si ista scintilla perfecta sit penitus, fieri potest, ut in illa

revolvantur 613. animæ radicis suæ: & secundum proportionem perfectionis ejus, prout nempe multa præcepta implet, ita multi radii in illa revolvuntur: Sicut etiam si forte, quod absit, peccet & corrumpatur pro ratione peccati illius multæ scintillæ ab ipsa tollunturr. Et hæc omnia in parte Psyches seu animæ inferioris: nec non pariter in parte spiritus & in parte mentis.

§. 24. Sunt autem scintillæ aliæ propinquæ homini admodum; aliæ remotiores ab illo; aliæ circumdant eum è longinquo; & aliæ circumdant eum quam proximè & superinduunt hominem. Et hæc omnia fiunt secundum opera ejus hominis.

§. 25. Sciendum quoque tibi, quòd homo justus secundum opera sua colligere possit scintillas tàm psyches, quam spiritus & mentis suæ, ut illas elevet è profundo corticum easque perficiat ipse: prout juvante Deo latiùs diducemus, cùm tractabimus de prolapsu in faciem inter preces: sicut etiam capite 9. explicabimus, quod multæ revolutiones contingant Psychæ soli per se, nec non spiritui per se: item menti per se. Cum ergo dicant Magistri nostri, filium David non venire, donec plenè in lucem venerint omnes animæ quæ in corpore: quomodo igitur id possibile est? cùm optandum esset, ut per plurimas istas revolutiones hac nostra generatione factas saltem psyche illorũ perficeretur ad plenam ejus restitutionem. Quod si ita est, quomodo igitur consummabuntur & perficientur omnes illæ species? Verum enim vero prout jam dictum est, spiritus vel mentes in mundum prodire queunt per se in corporibus diversis, ut si v. gr. involvantur psychæ proselyti cujusdam: & hac ratione restitui possunt omnes simul, nec opus est, ut aliæ alias expectent.

§. 26. Quod si autem psyche quædam exiverit è profundo corticum, &, quod Deus avertat, iterum peccet, & ad corruptionem redeat; tunc corticibus iterum immergitur ut antea cum omnibus reliquis scintillis ab ipsa derivatis; quæ omnes in profunda corticum detrahuntur. Cum ergo psyche illa redit in revolutionem, tunc ipsa & omne consortium scintillarum ejus revolvuntur in corpore uno: fundamentum tamen istius revolutionis tantum consistit in illa scintilla de sodalitio psyches istius quæ ad illud corpus pertinet; reliquæ autem particulæ istius psyches, quæ cum ipsa revolvuntur, ibi saltem versantur sub mysterio embryonatus; nihilominus tamen dolores atque cruciatus omnes, qui corpori isti accidunt, ipsas quoque sustinere oportet, prout corpus ipsum; prout & dolores mortis. Peccata tamen, quæ ab isto corpore committuntur, ipsas non concernunt; sed illam saltem scintillam in specie, quæ ad istud corpus pertinet: quoniam cæteræ non accedunt, ut malè agant, sed potius ut benè. Etsi impleverit præceptum aliquod, ipsæ quoq; portionem in eo habent (& illius impletionis participes fiunt) quoniam saltem adsunt, ut illam adjuvent.

§. 27. Patet ergo exhinc, quod aliquid participent de natura revolutionis & de natura embryonatus. Ratio hæc est, quia per cruciatus & dolores mortis, quos sustinuerunt in corpore primo & secundo, expiantur peccata earum; & per bona opera, quæ fecerunt in corpore primo & secundo, ipsæ perficiuntur & restituuntur, fiuntque justæ. In embryonatu autem corporis secundi pœnam nullam sustinent sicut dictum est.

§. 28.

§. 28. Atque hinc intelliges, quomodo tandem finis sperandus sit atque terminus omnium revolutionum. Quod si enim scintillæ primæ etiam participarent de peccatis corporis secundi, dicendum esset, quo plus revolverentur, perque revolutiones in mundum venirent, eò plus peccatorum eas semper cumulare. Verum enim vero res ita se habet, prout diximus. Nempe omnes quidem particulas psyches revolvi, nihilominus tamen scintillam illam, quæ potius ad illud corpus pertinet illudque movet, scintillam esse fundamentalem, à qua denominetur ista revolutio: ipsamque etiam afficiendam pœnis ob commissa. In resurrectione mortuorum autem unumquodque corpus accipiet scintillam unam sibi debitam secundum tempus, quo hæc in ipso fuit, & secundum gradum radicis illius, in qua facta est divisio.

Cap. VI.

§. 1.

EXposita nunc natura revolutionis; & quomodo in Adamo protoplaste omnes fuerint animæ à psyche factiva usque ad singularitatem longanimi emanativi; jam hæc omnia paulò latius à nobis extendenda sunt. Scito igitur ordinem revolutionis pergere ab imo ad summum. Primò enim revolvitur psyche systematis factivi; deinde revolvitur spiritus systematis formativi; atque sic porrò usque ad singularitatem emanativam. Vilius enim præcedit; & quo quis evadit justior, eò elevatur altius. Atque hoc planum est: prout etiam dicitur in Sohar Sectione Mischpatim his verbis: Veni, vide. Cum homo generatur, datur ipsi psyche; si dignior evadit, spiritus, &c.

§. 2. Tenetur enim homo perficere atque restituere omnes species; quæ sunt psyche, spiritus, & mens è mundo factivo, formativo, & creativo. Quia hi gradus in se admittunt elevationem vel depressionem; quæ non accidunt vitalitati & singularitati, quæ sunt de mundo emanativo. Quodsi enim homo perfecit psychen, spiritum & mentem, de tribus systematibus inferioribus, non opus est ut timeat, se peccaturum.

§. 3. Istæ autem tres species, nempè psyche, spiritus & mens tenentur revolvi, donec restituantur. Primò igitur venit psyche: & si restauratur, benè: sin minus; redeundum ipsi trina revolutione. Et sic spiritus; & sic quoque mens. Et hoc ipsum est, quod dicit Scriptura Jobi 33. v. 29. Omnia hæc operatur Deus bis, ter cum viro, &c. ubi primo venit psyche prima vice; atque tunc vocatur vir: quia nondum fuit revoluta, sed adhuc nova est, unde vocatur nomine viri. Deinde Deus cum ipsa tres instituit revolutiones alias præter accessum primum; quo vocatur vir ut supra. Atque hoc usitatum est in psyche tribus vicibus exceptâ primâ: & sic tres revolutiones accidunt spiritui: & tres revolutiones aliæ menti.

§. 4. Et hic quoque est sensus dicti Exod. 40. v. 5: Visitans iniquitatem Patrum super filios. &c. & super pronepotes. Ubi exprimuntur quatuor vices; primus nempe accessus animæ novæ & trina ejusdem revolutio. Atque hoc nonnisi oforibus ejus contingit, qui sunt impii. Sensus hic est: quod tribus revolutionibus primis, etiamsi ne inceperit quidem corrigi homo; adhuc tamen spes ipsi sit. Sed si jam elapsæ sunt tres revolutiones ultra primam, cum anima vocatur nova, & non incepit corrigi; tunc nulla ipsi spes est amplius; nec amplius revolvitur, sed de ipso dicitur; Et exscinditur psyche illa. Exod. 12. v. 15. 19. cap. 31. v. 14. Levit. 7. v. 20. Quid autem sit excisio, suo tempore volente Deo luculenter describam. Et hoc ipsum est, quod scribunt Magistri nostri ad locum hunc: Et super pronepotes eorum, qui oderunt me, &c. Quod nimirum illi intelligantur, qui tenuerint opera patrum suorum manibus suis, i. e. si opera prima adhuc persistant in statu illo. Revolutio enim prima vocatur pater, & secunda filius, &c. quod probè notandum. Si autem quis nondum inceperit corrigi ullatenus (in tribus istis revolutionibus prioribus); tunc vocatur osor. Et tales non amplius revolvuntur, sed ad quartos usque reditus processus est: unus nempe accessus animæ novæ, & tres revolutiones.

§. 5. Cum vero quis inceperit corrigi, & deseruerit opera patrum suorum; tunc comprehenditur sub verbis, qui diligunt me & custodiunt præcepta mea. Atque tunc sanctus ille Benedictus hanc ipsi facit gratiam, ut revolvatur millenis vicibus, imò in infinitum, donec nimirum plenariè restitutus fuerit. Et hoc ipsum est, quod dicitur: Et faciens misericordiam in mille generationes, i. e. gratiam ipsis offert, etiamsi revolutiones extendantur usque ad mille. Cui autem? Iis qui me diligunt & custodiunt præcepta mea. Cum autem dicit in mille, non necessario indigitat hunc numerum in specie; sed intentio hæc est, quod si opus fuerit, fieri id posse millies: quamvis revera possibile sit, ut restituantur pauciori reditu, quam isto numero. Necesse autem est, ut singulis revolutionibus plus corrigatur quàm præcedenti.

§. 6. Mysterium autem in hoc consistit: quod qui revolvitur tribus vicibus, & ne quidem incipit: ille ostendit malum quod in ipso est, multis gradibus præcellere bono ejus. Unde tribus illis primis vicibus, quod edule est; id est bonum, secernitur è recrementis & putaminibus; quod est malum. Sic enim moris est, cum putamina copiosiora sunt edulibus; ut seligantur edulia, & relinquantur recrementa. Atque tunc bonum illud datur filiis, qui ipsi nati sunt; vel aliis hominibus, qui fuerint de radice animæ ejus: prout explicabo cap. 9. ad locum: Si esuriverit hostis tuus, ciba eum pane, &c. Atq; tunc revolutione secunda consummatur malum, quod in ipso est: Quicquid autem boni in ipso est, ab ipso amovetur atque tollitur. Atque postmodum, cum omnia sunt mala, non opus est, ut revolvatur: Sed exscinditur anima illa, &c. quia tota mala est.

§. 7. Si autem edule, prævaleat recrementis; tunc moris est secernere atque tollere recrementa ex edulibus. Atque sic in qualibet revolutione aliquid mali tollitur & bonum

bonum remanet selectum; donec consummatum sit omnino; ut purus sit atque bonus absque omni malo. Quod probè notandum.

§. 8. Quanquam & alia detur ratio, quare impius non revolvatur nisi tribus vicibus, & justus vel millies. Sensus autem idem est, qui in historia Elischæ alterius occurrit, de quo nimirum dictum, quod non sit judicandus, nec intromittendus in mundum venturum. Ubi res ita se habet, sicut dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Super discipulos sapientum ignis Gehennæ non habet dominium. Quod si ita esset; quid faciendum ipsis, ut abolerent iniquitates suas? Hinc sanctus ille Benedictus pro justis & discipulis Sapientum potius elegit multas revolutiones præ pœna infernali: & quantus est numerus atque proportio iniquitatum eorum, tantus est numerus revolutionum eorum, earumque temporis diuturnitas. Imò adhuc lucrantur aliquid per revolutiones: quia quoties revolvuntur, toties plura observant præcepta, justioresque evadunt. Unde revolutio pro auxilio ipsis est: quod dici nequit de Gehenna.

§. 9. Impio autem in quem dominium habet ignis Gehennæ, ita ut intret in eum ibique absumantur delicta ejus; melius est in Gehenna pati quam venire in revolutiones plures. Quoniam singulis vicibus cumularet peccata super transgressiones priores, unde disperderetur è mundo, nec subsistere posset. Hinc statim post trinam revolutionem Gehennæ committitur: ita ut nisi inceperit corrigi, intret illuc, & absumantur delicta ejus.

§. 10. Scito etiam, id quod de excisione diximus, nonnisi quoad partem psyches contingere, quæ est de mundo factivo: quoniam ibidem maximum est corticum robur, ita ut propterea eadem queat exscindi. Sed in spiritu & mente, quæ sunt de systematibus formativo & creativo nulla est excisio: sed necesse est, ut corrigantur, & potiori hoc jure gaudent, ut restaurationem admittant, etiam in tribus revolutionibus primis.

§. 11. Differentia tamen hic quædam occurrit. Quia dantur spiritus & mentes, quæ citius restituuntur, quam aliæ: aliæ autem pluribus revolvuntur vicibus. Res autem ita se habet, quoniam in potestate hominis est omnes assequi gradus ab imo ad summum; à psyche systematis factivi, usque ad singularitatem systematis emanativi: prout nempe cap. 1. ordo graduum istorum latiùs describitur est, quæ ibi videas; cum aliis quæ ibid. de quatuor mundis traduntur, & quomodo singuli dividantur in quinque species. Ubi nempe reperies totam Synochen systematis fabricativi vocari psychen de mundo factivo; & Synochen mundi formativi vocari spiritum formativum; & Synochen sive coagmentationem systematis creativi vocari mentem creativam; & generalitatem systematis emanativi vocari mentem mentis seu vitalitatem mundi emanativi. Ubi deinceps in quolibet systemate quinque iterum occurrunt species: psyche, spiritus, mens, vitalitas & singularitas. Unde patet, quod homo assequi possit primitus psychen Regni s. τῆς βασιλείας factivæ, & postmodum meretur accipere spiritum τῦ Μακροπροσώπυ, seu potius brevi irascentis, systematis factivi, &c. usque ad singularitatem τῦ Μακροπροσώπυ seu potius μακροθύμυ sive longanimi ejusdem systematis: Quæ

omnia

omnia continentur sub genere psyches factivæ. Atque sic si dignus porrò evadat homo etiam mundo formativo; tunc quoque psychen, spiritum & mentem illius systematis accipit distinctis nempe speciebus. Et quamvis jam in ipso præcesserint psyche, spiritus & mens de systemate factivo; illorum tamen non habetur respectus, quoniam lumen portionis factivæ tamopere in ipso clarificatur, ut acquirat proportionem mundi formativi, nec percipiatur præ lumine psyches formativæ: unde etiam omnia appellitantur formationis nomine. Atque sic pariter assequi potest psychen, spiritum & mentem omnes nimirum de systemate creativo per modum supradictum: & sic quoque de systemate emanativo. Summa huc redit, quod homo assequi possit psychen, spiritum & mentem omnes fabricativas; & quandoque simul omnes formativas; vel etiam tres illas de mundo creativo, vel similem triadem systematis emanativi. Quamvis enim antea jam habeat species omnes de tribus mundis inferioribus, qui vocantur vestes & involucra naturæ emanativæ; illæ tamen tunc denominationem non habent; sed omnia vocantur nomine emanativo. Quod probe notes.

§. 12. Atque id quoque traditum est in libro Sohar Sectione Bo fol. 73. ubi de Mose dicitur super quo pax: Tu filius es emanationis, &c. Item sectione Kedoschim; prout jam exposui.

§. 13. Porrò quidam assequuntur psychen de fabrica; & spiritum & mentem de formatione. Et quandoque psychen de formatione; & spiritum & mentem de creatione. Quandoq; etiam psychen de creatione, & spiritum & mentem de emanatione: atque omnia hæc, modo jam exposito. Hoc enim certum est, quod nemo species emanativas solas assequi valeat; nec etiam creativas, & similes.

§. 14. Et similes casus particulares plures sunt, quàm describi queant deficiente calamo; ubi prudentes tamen in particularibus illis sufficienter informati erunt.

§. 15. Porrò notum sit, quamvis omnes homines obtineant quinque species psyches factivæ; atque sic deinde & alias usque ad singularitatem emanationis; non tamen omnes animas esse æquales. Quædam enim factæ sunt atque proveniunt è basilia sive regno factionis; & quædam è basi factionis; & quædam è ⟨illegible⟩, qui est gradus Hod; & sic usq; ad Coronam factionis. Atq; sic quoque se habet notio spiritus: & sic per cæteros mundos, quo posito non sufficit, quod homo restituat illam saltem partem, unde radicem habet psyche ejus: sed licet radix psyches ejus proveniat è basilia factiva; nihilominus perficere tenetur ulteriora, ut perfectus sit juxta omnes quinque species, quæ sunt in mundo factivo, quarum singulæ continent 10. numerationes, prout dictum supra cap. 1. Postquam autem perfecit totam factionem; tunc porro assequi poterit spiritum formationis. Unde patet illum, in quo nihil restitutum est, nisi regnum factionis; nihil habere nisi psychen saltem mundi factionis. Quod si etiam restituit Microprosopum factionis; tunc habebit psychen & spiritum de genere psyches factivæ. Et sic porro; ita ut qui restauratam habet factionem, illi sit psyche spiritus, mens, vitalitas

litas & singularitas ex factione, quæ omnes vocantur psyche mundi factivi. Postquam ergo sic impetravit totum genus psyches factivæ; tunc porrò obtinere poterit quinque species spiritus formativi: atque sic deinde similia in mundo creativo; nec non tandem in emanativo.

§. 16. Quod autem diximus, quemlibet teneri perficere omnes partes factionis; nimirum & illas, à quibus radix animæ ejus non dependet; quodque postmodo demum assequi valeat spiritum formativum: id saltem intelligendum est de systemate fabricativo. In formativo, creativo & emanativo enim plura perficere non tenetur nisi illam saltem partem, quam ipse attingit.

§. 17. Et exhinc responderi potest ad objectionem aliquam quæ talis est: Si omnes animæ restituere atque perficere tenentur, omnes partes mundi factivi usque ad macroprosopos cæterorum mundorum, sequitur nullam fore differentiam inter animas, sed omnes fore æquales. Quod tamen fieri nequit: quia notum est quasdam apprehensionem, possessionem vel locum habere in regno factivo; quasdam in fundamento factivo, atque sic deinceps. Verum res ita se habet, prout diximus: Quod nempe species mundi factivi aliquis expresè quidem teneatur perficere juxta omnes partes: Nõ idem tamen in aliis mundis. Ratio hæc est, quoniam in mundo factivo multi sunt cortices duriſſimi; unde quamvis jam restituerit locum suum; exempli gratiâ: si unionem obtineat cum regno factivo; ulteriùs tamen secernere & elevare tenetur partes reliquas usque ad macroprosopum fabricationis, ob metum cortiçum ibidem versantium, ne fortè prehendant eum. Adeoque etsirevera anima tua tantum sit de regno factivo; attamen hæc ipsa portio usque adeo clarificatur de gradu in gradum, donec elevetur usque ad longanimum factionis, ibique assumitur ascenditque in sublimitatem illam. Quamvis autem eo usque ascendat & generalitate illa gaudeat: attamen ibidem aliam non habet notionem quam regni factivi, illuc nempe assumpti atque elevati. Quod si autem anima quædam alia sublimior ista adforet; verbi gratia, si esset de fundamento factivo; ita ut huic etiam ascendendum esset usq; ad macroprosopum: fieri tamen non poterit ut ambæ sint æquales, utut utraque ascendat: quoniam una assumetur, in regnum longanimi factivi, & altera in fundamentum ejusdem longanimi. Et sic quoque in cæteris gradibus: quod probè notes.

§. 18. Atque sic Psychæ cæteræ omnes restitui tenentur, donec assumantur in longanimum factivum; singula tamen secundum speciem loci sui.

§. 19. Alia quoque porro est ratio, quare differentia sit, inter systema factivum & systemata reliqua: quam nimirum jam etiam explicuimus Capitulo primo. Nempe, quod totum systema factivum, quod habet notionem regni, ut notum est; una tantum sit numeratio: quod ita non est in systemate formativo, in quo existunt sex numerationes. Notio nimirum microprosopi. Atque sit creatio & emanatio singulæ consistunt in mysterio decem numerationum; nimirum respectu decem numerationum patris & decem numerationum matris. Ob quam rationem quilibet obligatus est restituere atque perficere omnes partes factionis, quia hæc tota una tantum est numeratio; in quo

differt à reliquis mundis. Unde cum occupatur circa restitutionem partis Psychicæ consummare tenetur omnes partes factivas, ob causas istas duas supradictas. Deinceps autem absolutis omnibus partibus factivis, demum assequitur spiritum formativum de notione regni formativi.

§. 20. Cum autem adeptus fuerit spiritum de regno formativo: ulterius emendat opera sua donec mereatur adipisci spiritum de fundamento formativo. Sed spiritum primum, quem accepit à regno formativo, non opus est altiùs elevare; quemadmodum fieri oportuit in parte Psyches factivæ: Sed ille relinquitur infra suo loco in regno formativo, nec abinde ascendit. Atque sic etiam in omni notione mundi formativi in quam quis ascendit ut ibidem assequatur notionem Spiritus; ibi non opus est inquam omnes partes Spiritus elevare usque ad macroprosopum formativum; sed singulæ manent suo in loco.

§. 21. Idque etiam innuitur in Sohar Sectione Lechlecha f. 13. Ubi dicitur quod Abraham primo acceperit Psychen; atque deinde mentem. Item f. 24. Ivit atque profectus est in parte meridionali gradu post gradum; donec coronatus sit in parte meridionali portione suâ atque sorte sua, &c. ubi si objicis quod etiam in notione Psyches factivæ sint meridies atque septentrio, & omnes reliquæ numerationes totius decadis: unde meritò quæri posset, quare de spiritu dicatur quod coronatus sit in meridie portione atque sorte sua: non autem in parte Psyches; Responsio sequitur ex eo quod declaravimus supra: quod Psychen quis teneatur absolvere totam: sed quoad Spiritum sufficiebat Abrahamo quod restituisset portionem atque sortem suam. Quamvis interea obligatus quoque fuerit restituere omnes reliquas portiones & gradus qui in Spiritu sunt, cum distinctione tamen supra dicta.

§. 22. Hinc quoque intelliges, quare totam partem mundi factionis unum tantum vocet iter; Omnes autem partes mundi formativi vocet itinera Numero Plurali: prout reperies sub finem f. 23. Quo ipso ostenditur quod ibi in mundo formativo restituendus fuerit unus gradus post alterum. Id est, cum in mundo factivo gradum suum elevare teneatur ad sublimitatem omnium graduum: Quod in mundo formativo cum restituerit unum gradum eumq; ibidem reliquerit; deinde porro ascendat ad restituendum gradum isto altiorem. Unde dicitur: gradum unum post alterum: qui nempe singuli relinquuntur suo loco: unde patet, quod remaneant gradus post gradum: Non vero omnes gradus comprehendantur simul sicut in mundo factivo. Qui sensus est verborum illorum; gradum post gradum, donec coronaretur in meridie portione & sorte sua. Tunc enim non opus est perficere plura altiora gradu illo, prout in factione fieri oportet, sicut dictum est supra in expositione hujus textus.

§. 23. Eodem quoque modo se res habet in parte mentis mundi creativi: & in partibus vitalitatis mundi emanativi.

§. 24. Et hic quoque sensus est textus ilius mystici 2. Schmu. 14, 14. Et non tollit Elohim Psychen, &c. ubi per Elohim intelligitur mundus factivus: In eo non tollit vel aufert Psychen, i. e. ut quælibet notio relinquatur suo loco: juxta ritum cæterorum mundorum, ut dictum supra: Sed reponit eas in supremo loco mundi factivi, nempe in cogitatione suprema systematis factivi. Unde textus inquit: & cogitat cogitationes. Ratio est: Ne expellat à se expulsum: Quia cortices ibidem multi sunt admodum; Et si species quædam ibidem remaneret, fieri posset ut expelleretur ad cortices, quod absit. Unde non dicit: Non tollit Elohim sive Spiritum sive mentem: sed non tollit Elohim Psychen.

§. 25. Datur tamen & alia istius textus explicatio, quæ etiam convenit cum supradictis, quod scilicet in mundo factivo Psyche non ascendit illo modo, quo diximus fieri in cæteris mundis: Quod nempe quis in singulis notionibus atque gradibus per quos ascendit, accipiat atque lucreturnotiones spiritus vel mentis sublimiores aliis, ut dictum est: sed illam Psychen ipsam primam retineat; quam primo loco accepit; nec assumta aliâ: præter illam; nisi quod in sublime tollat illam psychen, sicut dictum est. Ratio est, ne forte expellat à se expulsum: Quia si Psyche illa inferius maneret etiam loco suo; ille vero acciperet & assumeret aliam sublimiorem, tunc fieri posset, ut prima illa quam reliquit infra expelleretur ad cortices, sicut dictum est.

§. 26. Hinc intelligi quoque poterit quod dictum est supra capitulo secundo: Quod nempe dentur animæ venientes, ut auxilientur homini per mysteriũ embryonatus. Ubi quis objicere posset, mentem certè hominis atque spiritum quæ quis assecutus est, manere supra suo loco, vinctain fasciculo viventium cum Domino: Unde non sit possibile illas relinquere fruitionem lucis istius supernæ atque venire in mundum hunc. Quamvis enim jam dixerimus quod partem habeant in observationẽ præceptorum illorum: sic tamen nodus non tollitur. Res igitur ita se habet ut diximus supra, quod nempe mentes & spiritus illorum fundamentales sint illę species quas acquisiverunt per mysterium graduum suorum: Et illæ semper manent cum Domino. Sed isti Spiritus qui relicti sunt infra singuli juxta notionem suam descendunt in mundum hunc, ut juvent hominem per mysterium embryonatus, quod notes.

§. 27. Hinc quoque intelliges: possibile esse cuilibet gradum assequi post gradum usque ad sublimitatem graduum omnium; sicut Moses Magister noster super quo pax, si nimirum voluerit.

Cap. VII.

§. 1.

Cum traditum jam sit Capitulis prioribus, quomodo omnes animæ contentæ fuerint in Adamo protoplaste: Item, quomodo se habeant revolutiones; & qua ratione homo ascendere queat ad summum usq; omnium graduum: jam porro dicendum est,

quod non omnes animæ sint æquales: nec omnes homines digni, ut accipiant spiritum & mentem, vitamque sublimem & singularitatem, prout dicemus, auxiliante Deo.

§.2. Res ergo ita se habet: quod omnes mundi, ne emanativo quoque excepto, primò conditi sint, sub mysterio junctorum tergorum, ita ut deinceps demum conversi sint ad instituendam copulam junctis faciebus, prout exposuimus parte secunda Capitulo secundo.

§.3. Et sic quoque animæ primò creatæ sunt per mysterium copulæ junctorum tergorum: & deinde venire tenentur per mysterium copulæ junctarum facierum, ut perficere possint veram suam restaurationem atque selectionem, de quibus supra cap.1. eò quod sint de septem regibus Edom.

§.4. Jam autem declaravimus parte secunda, quidnam sit copula junctorum tergorum, ibique ostensum est, quod quandoq; partes posteriores & vestimenta, quæ sunt exteriora numerationum invicem copulentur. Si verò eædem copulentur naturis suis internis, copula illa vocatur de facie ad faciem [*Confer. 1. Cor. 13. 12. Per ista autem copulas intelliguntur actus distincti Divini conatus ad communicationem m quandam inferioribus faciendam, cujus differentia variant secundum majorem vel minorem communicatæ lucis quantitatem.*]

§.5. Unde consequens est, illas animas, quæ veniunt per mysterium junctorum tergorum, viliores esse, quam quæ veniunt per mysterium copulæ de facie ad faciem factæ; quoniam illæ sunt exteriores; istæ verò intimiores.

§.6. Dicæ autem sunt animarum species: una est illarum, quæ continebantur in Adamo protoplaste: & altera illarum, quæ non continebantur in Adamo. Et istæ quidem animæ sublimiores sunt & præstantiores omnibus illis, quæ continebantur in Adamo.

§.7. Sicut autem supra jam exposuimus cap.1. quod anima in Adamo protoplaste comprehensæ in varios divisæ fuerint gradus, à pfyche nimirum mundi factivi, usque ad sublimitatem emanationis: sic quoq; dividuntur animæ illæ in protoplaste non contentę.

§.8. Hæ autem animæ non veniunt in mundum nisi tempore millennii septimi: prout traditur in Sohar sectione Schemoth fol.6. Unde patet, quod sicut in illis animabus dantur pfyche, spiritus & mens, uno gradu alterum superante: sic istæ animæ omnino cum illis correspondent, quæ in protoplaste comprehensæ erant; & in milleanio septimo coronabuntur animæ protoplasticæ animabus illis sublimioribus; singulæ nempe partes cum suaanaloga. Quod probe notes.

§.9. Istæ animæ non contentæ in Adamo vocantur animæ omnino novæ: protoplasticæ autem vocantur animæ veteres. Cujus regulæ sis memor.

§.10. Omnes autem animæ tam novæ quam veteres creatæ sunt tempore creationis mundi per mysterium copulæ posttergatione factæ.

§.11. Animæ autem veteres, quæ sunt illæ, quas in se continuit Adam protoplastes, iterum creatæ sunt per mysterium copulæ facierum. Unde Adam & Cavvah primò creati sunt junctis tergis, deinceps autem serrâ quasi dissecuit eos sanctus ille Benedictus, ut facies ad invicem convertere possent: atque tunc omnes animæ in illo contentæ erebantur per mysterium copulæ facierum. §.12. Ani-

§.12. Animæ autem novæ non contentæ in Adamo nondum creatæ vel constitusunt in statum jungendarum facierum, quod notandum.

§.13. Postquam autem peccavit Adam protoplastes, & gloria cohabitans per inquinamentum serpentis descendit, & involuta est corticibus juxta illud Psal. 103. v. 19. *Et regnum ejus in omnibus dominatur*; tunc omnes animæ cum illa exilium revera patiuntur, & immersæ sunt putaminibus, ut dictum supra cap.1.

§.14. Ista tamen hic extat differentia, quod omnes animæ novæ non aliter immersæ sint corticibus, nisi secundum illas partes, quas habent à creatione, formatione & factione; illæ autem partes, quas habent à mundo emanationis, relictæ sunt superius juxta illud Psal. 5. v.5. *Non pernoctabit juxta te malus.*

§.15. Exillis autem animabus, quæ in protoplaste erant, veterumque nomen habent, quædam remanebant intra corpus Adami protoplastæ post peccatum; quædam autem ab illo desciscebant; quæ tamen & ipsæ immergebantur intra cortices. Et hoc ipsum innuitur dicto illo Psal.139.v.5. *Et posuisti super me* כפך *volam tuam.* Ubi dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, staturam Adami protoplastæ pertigisse ab uno extremo mundi usque ad alterum: sub finem autem ipsum diminutum esse, (& membra in tantum ab ipso delapsa esse, ut saltem 100. cubiti ipsi residui essent, (quem centenarium è numero vocis כך loci citati eruunt.

§.16. Sicut etiam dixerunt Magistri nostri b. m. sic delapsa esse ab illo membra ejus, sicut dicitur de Jephtach, Judic. 12. v. 7. *quod sepultus fuerit in civitatibus Gilead*: & non in civitate Gilead. Ubi sensus est, sicut corpus Adami diminutum, & membra ab ipso delapsa sint; sic idem contigisse membris animæ ejus.

§.17. Hinc etiam dixerunt Magistri nostri b.m. pedes hominis vades ejus factos, quod portare eum velint ad illum locum, quo mori debeat. Sicut enim omnes animæ dependebant ab anima Adami protoplastæ, ut dictum supra cap.1. Sic corpora hominum dependebant à corpore ejus, inque eo continebantur. Unde dixerunt Sapientes nostri: quod Deus Benedictus, cùm crearet Adamum protoplasten, pulverem ejus desumserit è quatuor mundi cardinibus: ut si homo moreretur loco uno, dicere non posset terra illa: Ego illum recipere noso: sicut de Caino dicitur Gen.4. v.11. *Maledictior tu, quàm terra, quæ aperuit os suum*, &c. Unde patet, quod omni loco, ubi iterum concident & prolabentur membra Adami, (id est, corpora hominum,) ibi sepelirí queant corpora illa, quæ à membris supradictis provenerunt: redeunt enim ad locum illum, è quo fuerunt excisa. Quæ etiam una de rationibus est, quod omnes justi & Israëlitæ dispersi sunt per totum mundum; & quilibet sepelitur illo loco, qui ipsi proprius est.

§.18. Eadem quoq; ratio fuit omnium animarú contentarum in anima Adami; ita ut delabentibus membris ejus, delaberentur illæ animæ, in illis membris contentæ: & secundum loca illa, unde delabebantur, eædem quoque immergebantur in loca similia membrorum Adami Belialis; ita ut quæ de capite essent, in caput hujus decíderent, & sic deinceps. Et quando in hunc mundum redeunt & moriuntur, tunc ad illum quoque locum illudque membrum ipsum revertuntur, è quo excisæ fuerunt, quod probè notandum.

§. 19. Patet ergò, quod quædam illarum animarum, quæ in Adamo contentæ erant, delapsæ sint, id est, ab eo desciverint, & immersæ sint in profundum corticum, ut dictum supra cap. 2. (quæ sint A.) Quædam autem remanebant in eo pro necessario usu vitæ ejus. (quæ sint B.) Et quædam ab illo auferebantur, & non immergebantur intra cortices: (quæ sint C.) Et istæ vocantur splendor supernus Adami protoplastæ, prout latius dicemus infra c. 15. Novæ ergò animæ illæ duplicis sunt generis; quædam non sunt immersæ corticibus; sunt quæ partes mundi emanativi. (quæ sint D.) Quædam verò sunt partes mundorum creationis, formationis & factionis, quæ sunt mens, spiritus & psyche, quæ corticibus immersæ sunt. (quæ sint E)

§. 20. Animæ veteres autem triplicis sunt generis: quædam quæ manserunt in Adamo: & quædam quæ ab ipso delapsæ sunt corticibus non immersæ: & tertiò quædam, quæ ab illo semotæ, immersæ sunt corticibus. Ex illis igitur duabus speciebus animarum novarum species prima, quæ sunt de mundo emanationis, non possunt venire in hunc mundum, nisi post resurrectionem mortuorum: Quod adducitur in Sohar sectione Pekude fol. 253. Ubi verba: *Ab illa die, qua vastatum est sanctuarium, non ascenderunt animæ novæ in palatium amoris* &c. plura vide ibid. Sed post resurrectionem mortuorum illæ in mundum redibunt per copulam junctarum facierum, quæ ipsis defuit tempore creationis, ut dictum supra.

§. 21. Alterius autem speciei animæ novæ, quæ sunt de partibus mundorum inferiorum venire possunt in mundum hunc hoc tempore; per meditationem justi cujusdam, qua illas conatur extrahere è corticibus tempore congressus sui maritalis; prout cæteris animabus accidit, ut dictum supra cap. 1. & 2.

§. 22. Est tamen differentia inter illas & alias animas, eò quod, quoniam non continebantur in Adamo protoplaste tempore peccati ejus; propterea aptiores sint, ut non peccent, quàm animæ cæteræ.

§. 23. Quomodo autem animæ veniant in statum junctarum facierum tempore copulæ expositum est Part. 2.

§. 24. Liquet ergò, quod omnes illæ animæ in tres dividantur species: quarum una est animarum omninò novarum, quæ non continebantur in Adamo, & tamen immersæ sunt corticibus: quia de illis, quæ corticibus non immersæ sunt, & partes sunt mundi emanativi, jam non est sermo: nec venient in mundum hunc nisi post resurrectionem mortuorum. Secunda est earum animarum, quæ remanserunt in Adamo, & hæ non amplius sunt planè novæ, quia jam venerunt & contentæ fuerunt in Adamo protoplaste: veruntamen etiam vocantur novæ, quoniam cùm venirent & continerentur in Adamo, id saltem fiebat per copulam junctorum tergorum: quod idem quasi est, ac si nondum venissent in mundum, donec accedant per copulam facierum. Atque tunc talis anima, cùm redit faciebus junctis, primâ vice vocatur nova, & non revoluta & vetus.

§. 25. Et ex his animabus, quæ remanserunt in Adamo nati sunt Cain & Hebel filii ejus. Easque illis concessit tempore congressus sui maritalis, ut generari possent, prout exponemus juvante Deo cap. 14.

§. 26.

§. 26. Deinde fuerunt animæ, quæ manserunt in Adamo per totam vitam ejus; & hæ reputantur quasi jam semel excessissent; & prima vice, cum veniunt in mundum vocâtur animæ veteres revolutæ: quod sequenti cap. 8. auxiliante Deo latius explicabimus.

§. 27. Porrò etiam dantur psychæ proselytorum, quæ formantur à cortice quæ Nogah seu splendor dicitur, & compósita est è bono & malo, prout traditur in Sohar sectione Vajakhel fol. 203. Et fiunt è copula animarum justorum singulis noctibus in Paradiso terrestri, prout traditur sectione Vajischlach fol. 168.

§. 28. Sed species animarum Jisraëliticarum tres sunt: vel plane novæ; vel mediæ, quæ sunt animæ Cain & Hebel: vel veteres, quæ sunt illæ, quæ delapsæ ab Adamo protoplaste immersæque sunt corticibus, prout dilucidè de tribus his speciebus agemus cap. 15. ubi etiam dicetur, quomodo Cain & Hebel partem psyches acceperint de mundo emanationis, & quæ sit illorum natura.

Cap. VIII.

§. 1.

Propósita jam divisione de triplici specie animarum: quod nempe vel sint novæ, vel Caini & Hebelis; vel tertio, quæ delapsæ sunt ab Adamo protoplaste: jàm porrò docendum est, quæ sit inter illas differentia in negotio revolutionis atque embryonatus.

§. 2. Quod ergo attinet ad speciem primam, quæ est animarum planè novarum: Scito animas tunc sic vocari; cùm, ex. gr. anima quædam talis primò in hunc mundum venit in corpus quoddam. Et sic quoq; dicuntur illę, quę sunt de specie Hebelis & Caini.

§. 3. Sed tertii generis animæ, quamvis prima vice in mundum veniant; tamen non vocantur novæ, sed revolutæ prima vice; & quoties deinde talis anima in mundum redit, tot vicibus appellatur revoluta nempe secunda vel tertia vice. Nihilominus tamen differentia quædam est inter singulas trium istarum specierum.

§. 4. Ante omnia tamen de animabus Cain & Hebel, quæ est secunda species, sciendum, quod psychen quidem contineant à supremo gradu psyches emanativæ usque ad infimum psyches factivæ: spiritum autem & mentem ex emanatione accipere digni non fuerunt Cain & Hebel: sicut infra, juvante Deo, cap. 21. uberius exponemus ea, quæ diximus de tribus istis speciebus animarum veterum, quæ nempe contentæ fuerunt in Adamo, de quibus cap. 5.

§. 5. Jam dicemus de differentiis, quæ inter ipsas sunt. Quod ergo ad speciem primam, quæ sunt animæ planè novæ, attinet; quicunque talem acceperit, ille prima vice cum in mundum venit, statim adipisci poterit omnes animarum species, etiam mentis mentem juxta omnes partes emanativas: idque quàm facillime, nempe secundum opera sua. Istud tamen nihilominus non fit citra respectum annorum ejus. Nam, exempli gratia, cum nascitur, & in auram prodit mundanam, datur ipsi psyche factionis. Dein quamvis dignus sit, non tamen datur ipsi spiritus formationis, donec compleverit annos tredecim, & diem unum. Et sic deinde, quamvis evadat dignior, non tamen mens ipsi datur de mundo creationis nisi completis annis viginti.

§. 6. Duæ ergo in illo requiruntur conditiones: una operum bonorum, ut illis

dignus

dignus evadat; & altera annorum: sicut dicitur in Sohar sectione Miſchpatim fol. 98. ubi verba: Cùm natus est annos tredecim, datur ipsi spiritus: & si probè se gesserit, & annos habeat viginti, datur ipsi mens. Eodemque modo se res habet, cum mentis mente è mundo emanativo; ut opus habeat vitæ probitate, & simulationis. Id quod indigitatur in Miſchnah, verba sunt: Ben Achah inquit, filius quinque annorum applicetur ad textum Biblicum &c. Quæ paulo infra latius explicabuntur.

§. 7. Patet ergo, quod talis anima duo habeat commoda, & unum defectum: qui est hic, quod non possit accipere psychen, spiritum & mentem per opera sua, sed simul etiam opus habeat annis debitis pro singulis illis speciebus. E commodis autem primum est, quod si veniat prima vice, talis anima vocetur omninò nova: & si redeat in revolutionem, illa vocetur revolutio prima, & sic semper porrò deinceps. Commodum secundum est, quod etiam includitur in primo; nimirum quoniam vocatur nova, quod prima illa vice, cum in mundum venit, omnes posset accipere gradus, à psyche factionis usque ad singularitatem emanationis. Verum enim vero secunda vice & ulterius similis habetur omnibus cæteris revolutis, quæ vocantur animæ veteres.

§. 8. Species animarum secunda, quæ est animarum Caini & Hebelis, una parte similis est priori: & parte altera prærogativam habet præ illa: una tamen parte defectu quoque laborat. Primò enim quod etiam prima vice, ut species prior, quando tempe in mundum venit talis anima, post mortem Caini & Hebelis, accipere possit psychen, spiritum & mentem vice una &c. Atque in hoc conveniunt cum specie prima: ubi simul aliquam habent prærogativam. Sed defectus, quo laborant, est iste: quoniam illo tempore, quo Adæa protoplastes Caino & Hebeli hæreditario communicavit istas animas, iisdem non adfuit species spiritiritus & mentis de mundo emanativo; sed reliquæ saltem à psyche emanationis & porro infra: unde nec jam possibile est, ut prima vice plures assequantur gradus, nisi psychen factionis, & spiritum formationis, & mentem creationis, tandemque psychen emanationis, nec ultra; quod ita non est in specie prima omninò novarum, quæ prima vice assequi potest, vel singularem emanativam. Prærogativa autem, quâ præ specie priori gaudent, est hæc: quoniam prima, ut psychen, spiritum & mentem &c. accipiat, opus habet annis ætatis suæ certis, ut supra dictum: species autem hæc secunda Caini & Hebelis animarum nullos requirit annos, sed opera saltem. Et hoc innuitur in Sohar sectione Miſchpatim fol. 98. Verba sunt: Veni, vide, cum homo nascitur, datur ipsi psyche, &c. Sique dignior evadit, datur ipsi spiritus, &c. Atque sic duo illa loca conciliantur, quorum unus videtur justitiæ rem tribuere; & alter annis simul, sicut fol. 98. Si pertigerit ad annos viginti, & si promeruerit. Altero enim casu etsi nondum quis natus sit annos tredecim, accipere potest spiritum & mentem. Scito autem etiam secundam hanc speciem, cum altera vice in mundum venit atque porrò, æstimari sicut reliquas revolutas, quæ vocantur animæ veteres: & cum secunda vice in mundū venit, revolvi dicitur primum: atque sic deinceps porrò. Videatur quoque in Sohar tractatus de Sabha; ubi clarè intelliges, quænam animæ vocentur Caini & Hebelis, & ratio, quare vocentur novæ.

§. 9.

§. 9. Quamvis autem dixerimus, quod duæ hæ species prima nempe & secunda in hoc conveniant, quod prima vice, qua in mundum veniunt, adipisci queant psychen, spiritum & mentem &c. usque ad psychen emanationis: nihilominus tamen in hoc differunt: quod quicunq; est ex hac specie Caini & Hebelis, non omnia possit adipisci vice una, nisi fuerit sapiens, & possit attentè talia meditari; prout explicabimus juvante Deo. Cæteri enim qui meditari nesciunt, (nec intelligunt mysteria precum,) absoluta parte psyches mori tenentur, nec accipiunt spiritum, nisi adventu altero: atq; sic etiam mentis est ratio, sicut nempe in cæteris revolutis, prout uberius dicetur.

§. 10. Meditatio autem illa, quæ huc conducit, ita se habet. Qui enim sapiens est, atque scit, se jam accomplevisse psychen suam juxta omnia, quibus opus habuit studia atque perficiendi modos; ille singulis noctibus, cum iturus est cubitum cum attentione psychen suam commendat in manus Dei benedicti, postquam ordine recitavit lectionem Audi, coram lecto suo: sicuti in scriptis nostris expressum est tractatu de meditationibus, ad Lectionem Audi; dicitque è Psal. 31. v. 6. בידך אפקיד רוחי *In manus tuas commendo spiritum meum* &c. Atque tunc dicat ex Jeschajah 26. v. 9. *Psyche mea desideravit te in nocte* &c. Atque tunc simul meditetur mysterium illud, quod indigitatur per literas initiales dicti illius Psalmi 31. v. 6. quæ efficiunt באר Fons; quo indicatur, quod elevare debeat psychen suam sursum in punctum Zijon regni sive uxoris Microprosopi; ubi nimirum est notio fundamenti fœminini, ubi locum habent aquæ fœmininæ provenientes ab animabus justorum sicut traditur in Sohar sectione Vajechi fol. 298: ubi simul ratio traditur, quare locus iste vocetur fons aquarum viventium. Attentè ergò meditetur, ut psychen suam elevet illuc usque, quò ibidem ascendere faciat aquas fœmininas de fonte illo ab imo sursum versus maritum. Verum idem faciendum singulis noctibus, ut quis conetur attenta sua meditatione elevare psychen suam ad fontem istum, [*Confer Johan. 7. v. 39. cap. 4. v. 10, 14. Apoc. 7. v. 17. Ubi Spiritus sanctus, quem Cabbalistæ ad modo expositum gradum regni referunt, fontis quoque nomine vocatur*] sed per mysterium Depositi tantum. Si quis autem viderit, psychen suam jam esse perfectam; desideret que assequi spiritum suum: ille psychen suam penitus illuc elevet atque tradat, & non per mysterium depositi, sed ut ibi permaneat intra fontem istum: descendetque portio spiritus intra eum, cum expergiscetur de somno suo, intrabitque in eum loco psyches. Ratio est, quia spiritus adhuc vitiatus habitare non posset intra psychen jam restitutam; unde psychen suam omninò dimittere debet, atque meditari, ut spiritum suum elevet è profundo corticum, inque se attrahat & introducat: atque tunc ambo illi gradus sociari demum poterunt: prout pluribus dicetur infra.

Deinde quoque meditetur super loco Jesaiæ 26. v. 9. *Psyche mea desideravit te in nocte, etiam spiritu meo in interiori mei quæram te mane.* Sicut enim ibi meditationem instituit super fonte superno, ita hic meditetur, quod initium fiat à Psyche, & finiatur cum spiritu: item quod incipiatur à nocte, & finiatur tempore matutino; quia dicit, mane quæram te. Sensus est, quod psyche quasi penitus sit mortua, cupiat atque desideret illuc nocte somni tempore, ut nempe illuc ascendat per mysterium aquarum fœ-

minarum [*Aquæ fœminæ dicuntur illecebræ, quibus uxor favorem mariti sibi conciliat, & in specie, si preces & opera justorum, in regno seu Spiritu Sancto exhibita, à filio seu Microprosopo ulteriorem eliciant influxum. Confer Rom.* 8. *v.* 26, 27.] in fontem illum: & quoniam ita percupit atque desiderat, hinc ibi remanet semper: cumque venerit diluculum & aurora, tunc intrat in eum spiritus, quem intendit textus verbis illis: *Et spiritus, qui in medio mei* &c. Psyche in supernis relictâ. Dicit autem: etiam spiritus meus sensu auctò, & aliud quippiam præmittente: quia, nisi desiderium & meditatio hæc accederet, etiam non posset accedere spiritus ille vice: Jam verò mediante desiderio hoc atque meditatione fieri potest, ut & spiritus species in illum ingredi queat tempore surgendi; nec opus habeat revolutione alia pro assequendo spiritu. Mediantibus igitur recitationibus dictorum istorum tempore somni, cum omni meditatione supradicta meretur homo assequi spiritum, ita ut psyche ejus supra remaneat, donec plene restitutus fuerit spiritus. Postquam autem restitutus etiam est spiritus; tunc somni tempore eodem modo meditetur aquas fœmininas elevare illuc: atque sic etiam spiritus ibidem in supernis remanebit cum psyche ejus, quippe quæ species jam erunt restitutæ, ibique residebunt: & horum loco mens descendet in corpus hominis, ibique residet, donec plene restituatur, ut dictum de spiritu. Cumque perfectionem sortita est & Mens; tunc & hæc somni tempore ascendit attrahitque Psychen & spiritum, in supernis degentes; & sic omnes tres hi gradus in corpus veniunt, & Mens superinvestitur spiritu, & spiritus involvitur Psychæ. Atque sic, si dignior evadit, secum etiam deferunt Psychen Emanationis; quæ involvitur Menti; & Mens spiritui; & spiritus Psychæ. Postquam enim restituti sunt gradus hi omnes tres, Psyche nempe, Spiritus & Mens, omnes simul in corpore permanent, nec opus habent ut amplius revolvantur.

§. 11. Quod si quis objiciat: quomodo fieri queat, ut sursum elevetur Psyche, ibique permaneat, donec perficiatur spiritus: cum tamen per naturam impossibile sit, ut spiritus in corpore habitet, atque eodem vestiatur, nisi indutus Psyche suâ? Responsio est: illum vestiri Psyche Proselyti cujusdam, ut auxiliante Deo latius exponemus, cum in specie agemus de tertio Animarum genere, nempe Veterum, ubi vide.

§. 12. Hæc quoque indigitantur dicto Psalmo 24. v. 5. *Accipiet benedictionem à Domino* &c. Primò enim dicitur: Quis est ille, qui meretur ascendere in montem Domini; ubi intelligitur, Regnum: *& quis stabit in loco sanctitatis ejus?* hoc est sanctum Sanctorum, Zijon, quò semper illuc elevet Aquas Fœmininas. Et respondet: *Innocens manibus* &c. Quoniam vir talis, qui innocens est omninò atque perfectus, certè non frustra sursum elevabit Psychen suam & citra auxilium, sed eadem manet ibidem cum magno suo commodo, & continuò ibidem elevat aquas Fœmininas: & qui hoc modo meretur elevare animam suam, ille omnino dignus est parte Spiritus & Mentis eâ ipsâ Revolutione, ita ut non opus habeat propterea revolvi alia vice. Atque hoc ipsum est, quod dicitur: Benedictionem accipiet à Domino. Nam per Dominum intelligitur Seir Anpin seu Microprosopus (dictus aliàs Filius.) Quoniam enim complevit Psychen suam, eamque elevavit, ut ibi semper attollat Aquas Fœmininas, à Regno ad Microprosopum; hinc Dominus, qui est Microprosopus, præbet ipsi partem spiritus à se; quia spiritus à Microprosopo descendit, ut notum est: quod id ipsum est, quod dicitur: Accipiet benedictionem à Domino.

§. 13. Scito quoque, quod etiam qui revolvitur per Leviratum, mereatur accipere Psychen, spiritum & mentem vice una; prout docebimus cap. 12. Unde literæ initiales istorum verborum dicti citati: &c. נשא ברכה מאת accipiet benedictionem A Domino: referunt vocalum נבם, Fratris absque liberis defuncti uxorem ducere: ut indicetur, talem (qui hoc loco describitur) dignum esse, ut Psychen, spiritum & mentem adipiscatur simul; prout aliàs ille, qui revolvitur per leviratum. Quod notandum.

§. 14. Idem quoque innuitur verbis Job. 34, 15. *Obibit omnis caro simul, & homo in pulverem revertetur.* Quia propter omnes tres partes hominis, quæ vocantur caro; Psychen sc. spiritum & mentem, homo cogitur exirare atque mori, ut perficere queat singulas species in singulis revolutionibus. Sed si homo est sapiens, & attentè applicet cor suum decubitûs tempore; mediteturque ut dictum supra; tum spiritus quoque & mens ejus ad ipsum, id est, ad Psychen ejus admittuntur, ut simul sociata omnia tria complementum accipiant, ut dictum; nec opus habeat revolutione & morte & expiratione alia.

§. 15. Si verò nulla in ipso sit sapientia, ut meditari queat, & spiritum ad se attrahere, ut dictum est; tunc mori tenetur; & spiritus ejus alia revolutione redit per Psychen Proselyticam, ut monitum est; donec perficiatur. Deinde iterum moritur, si nondum sciverit meditari; & Mens advenit, aliâ iterum revolutione: ita ut opus habeat pluribus revolutionibus, eò quod destituatur Sapientia meditandi, ut dictum est. Unde Scriptura ait: Job. 4, 21. *morientur & non in Sapientia.* Et paulò infra explicabimus juvante Deo, quid faciendum sit, si Psyche sit consummata, & homo non possit attrahere spiritum, ut supra monitum? ubi vide.

Cap. IX.

§. 1.

NUne accedimus ad tertiam Animarum speciem; quæ nempe ab Adamo delapsæ sunt vocanturque Animæ veteres & revolutæ, etiam prima vice cum homo talis in mundum nascitur: Cum priores duæ species tum demum, postquam prima vice in mundum jam venerunt, vocentur revolutæ, ubi deinde par omnium est ratio.

§. 2. Anima igitur talis revoluta vilissimi gradûs est inter omnes, ob revolutionem suam, sicut patebit: quoniam non est in potestate ejus restaurare aliquid præter se, unum nempe gradum qualibet vice. Ex. gr. Si primò restauranda veniat Psyche, eaque sit perfecta; tunc acquiri non potest Spiritus, multò minus Mens; sed moriendum prius est homini, & deinde spiritus advenit in corpus in revolutione alia, atq; con-

summatur pro omnibus sibi necessariis; iterumque moritur homo. Atque porro revolvitur Mens in corpore alio, donec & ipsa restituatur, Et sic porrò.

§. 3. Quod si autem advenerit Psyche, nec plenè restituta fuerit illa vice; necesse est illam Psychen solam toties revolvi donec complementum adepta sit, quotiescunq; reverti debeat. Atque deinde & spiritus revolvitur solus, multis quoque revolutionibus donec restituatur. Et porrò quoque Mens eodem omninò modo.

§. 4. Cum autem jam monuerimus quod impossibile sit Spiritui & Menti ut jungantur corpori, nisi id fiat mediante Psyche quadam Proselytica; de qua in fine capitis 8. Sciendum psychas Proselytorum fieri (id est, è corticibus educi) à copula justorum in horto Eden facta. Nam cùm talis spiritus descendit, ut vestiatur corpore, & psyche ejus, quæ jam est restituta eum ipso commorari nequit, ut supra dictum; tunc spiritus ille occurrit Psychis Proselytorum, qui in Paradiso terrestri, & cum tali unitus illam ceu vestem induit, atque ceu Psychen propriam assumit, & loco Psyches propriæ in illa Proselytica in mundum hunc descendit, inque corpus aliquod intrat, donec perficiatur. Et quia psyche hæc proselyti cum spiritu hoc sociata fuit in omnibus operibus ejus hujus mundi, & ille per hanc complevit, quod ipsi complendum fuit; hinc eadem hæc psyche Proselytica quoque ascendit in illum gradum, in quo Psyche ejus propria est, & elevatur ad eandem sublimitatem, ita ut ambæ semper penes ipsum futuræ sint in mundo venturo.

§. 5. Et sic quoque evenit, si mens quædam sola descendit. Quod etiam innuitur in Sohar sectione Miscbpatim in Historia de sene illo, locò supra citato, ubi verba sunt hæc: Qui ingressus, eam accipit apprehensis alis ejus, eam retinet &c. Vide plura ibid. Huc quoque respexerunt Magistri nostri b. m. cum inquiunt, quod proselyti Israëlitis tam sint molesti ac apostema quoddam. Quia nempe Psyche Proselyti cui involvitur vera anima Israëlitica in causa est, ut ista peccet: unde Psyche Proselyti molesta est Israëlitæ, ut abscessus. Deinde quoque aliter exponi potest hoc: quia nempe proselyto difficile est expurgare sordes suas: nam quando proselytus fit, tunc in ipsum intrat Psyche quædam Proselytica, quæ oritur à generatione, & congressu justorum, qui in Paradiso terrestri, ut dictum supra: cùm autem in Proselytismo suo digniorem se præbet, vocatur Proselytus justitiæ, quia in eum intrat Psyche alia involuta intra primam, estque Psyche sancta, sicut omnes aliæ Psychæ Israëlitarum, (ratio enim, quare quis Proselytus justitiæ dicatur, hæc est, quod illi adveniat Psyche sancta ab uxore Microprosopi, quæ vocatur justitia.) Et illa Psyche Proselyti prima, quia adhæsit impuritati primitus, necessario adhuc aliquid inquinamenti in se habet, quod deinde Psychæ illi alteri sanctæ, quæ in illam ingressa est, etiam adjacet. Unde dictum illud tantum molestos Israëlitis esse Proselytos &c.

§. 6. Atque hinc intelliges, quare R. Akibha natus jam fuerit 40 annos, (cùm ad studia sese applicaret,) quia jam patet ejus factus erat Proselytus, & non ipse. Unde patet, quam difficile sit sordes separari è Proselytismo ad plures usque generationes: præsertim cum etiam anima sancta R. Akibhæ qui in cæteris totus erat Israëlita, investita fuerit

erit intra psychen Proselyticam. Quod probè notandum. Unde quoque mactandus fuit tanto supplicio. Quod notes.

§. 7. Ut autem ad id redeamus, unde digressi sumus, scito, quod, si talis tam sæpe revolutus ut dignus factus sit psychen, spiritum & mentem accipere simul, iterum peccaverit, & vitium contraxerit; tunc iisdem omnino modis jam recitatis reverti atque revolvi cogitur: ita ut revolutionibus opus habeat peculiaribus per se, ut restituat Psychen; & revolutionibus singularibus pro spiritu; & sic pro mente ut dictum.

§. 8. Sicut autem cap. 8. diximus, quod species animarum secunda, earum nempe quæ sunt Caini & Hebelis certa quadam methodo acquirere possit Psychen, spiritum & mentem, in eadem revolutione, per mysterium depositionis Psyches suæ tempore nocturno: sic in hac quoque specie tertia, quæ est animarum veterum revolutarum methodus quædam datur, juxta quam uno tempore in mundum venire queant: quanquam id fieri debeat in duobus corporibus divers is. Res autem ita se habet: si nempe homo quidam sapiens atque justus congruas meditationes instituat, (super Psalmo sexto vel vigesimo quinto) tempore prolaplus in faciem sub precibus matutinis, quas meditationes aliò locò prolixè descripsimus, ubi vide: atque tum meditetur educere spiritum suum è profundis corticum per mysterium aquarum fœmininarum, eumque elevare sursum, ut nempe in mundum veniat per copulam junctarum facierum, ut dictum supra cap. 5. Tunc enim revolvetur spiritus, venietque in mundum in corpus quoddam: atque sic fieri potest, ut ipso vivente spiritus revolvatur, quamvis in corpore alio. Unde patet in hoc differre speciem secundam animarum ab ista specie tertia: quoniam in specie secunda Caini & Hebelis non potest advocari spiritus ille, ut communicetur aliis; sed tantum pro seipso: unde quis non potest educere Spiritum suum è profundis corticum, nisi postquam perfecit psychen suam, atque tum meditetur ut dictum supra cap. 8. Sic enim per depositionem nocturnam dignus evadet dimittere Psychen suam, & spiritum suum in seipsum evocare; extra se autem illum communicare nemini possibile est. Sed hæc species introducere potest spiritum in alium quendam eodem illo tempore; nec opus habet expectare, donec completa sit pars Psyches.

§. 9. In hoc tamen, alio respectu, viliores sunt istæ; quod opus habeant duobus corporibus: cum Cainiticæ & Hebelicæ uno tantum corpore opus habeant.

§. 10. Alia quoque adhuc inter illas est differentia, quia Cainiticæ & Hebelicæ perficere possunt tres gradus Psyches, spiritus & mentis, ut dictum supra cap. 8. (sed nihil amplius; nisi quod simul in Psychen emanativam assequi possint illa vice.) Sed species tertia etiam per methodum prolabendi in faciem, ut dictum supra, aliud nil proficit, nisi ut spiritum saltem educat, ut dictum supra: mentem autem impossibile ipsi est ulla methodo educere in mundum, nisi postquam mortui

fuerint ambo illi homines, quibus insunt Psyche & spiritus; & ambo hi gradus plenè fuerint restituti: tunc enim prodire potest in mundum mens in corpus aliquod. Alia non est methodus pro illis qui sunt de specie tertia, nisi per Leviratum, prout infra latiùs dicetur.

§. 11. Adhuc alia est differentia inter secundæ & tertiæ speciei animas, nempe quamvis homo ille per methodum prolabendi in faciem eduxerit spiritum suum è profundis corticum, & hic intraverit in corpus hominis cujusdam alterius, ille tamen suo adhuc expositus est periculo: nimirum si homo ille, qui spiritum ejus accepit, citius perfecerit spiritum illum, quàm primus ille compleverit Psychen suam, tunc in resurrectione mortuorum Psyche & Spiritus ambo vestientur corpore secundo, illius nempe, qui citius perfecit spiritum. Si verò ille, qui psychen habet, citius absolverit rem suam, per methodum, quam audivi à doctore meo, tunc ambo vestientur corpore primo illius nempe, qui citius perfecit Psychen.

§. 12. Atque hinc intelliges illud, quod dicit David Rex super quo pax Psalm. 3. v. 3. *Multi dicunt Psychæ meæ.* Ubi nota, Davidem regem super quo pax *nonnisi* gradum saltem Psyches habuisse, quæ tamen robusta fuit & magna admodum: unde etiam dicitur 1. Sam. 18. v. 1. *Et adhæsit Psyche Davidis in Jonathane.* Atque sic in plurimis locis, ubi Davidis fit mentio, nonnisi de Psyche illius sermo est. Ista ergo Psyche Davidis de specie hac tertia fuit illorum membrorum scilicet, quæ delapsa sunt ab Adamo: atque tum prima vice in mundum venerat prodiens è profundis corticum; unde nihilominus revoluta dicenda est, juxta supra tradita hoc capite. Locus autem quò immersa fuit intra cortices ista psyche, fuit ex parte uxoris corticum. Nec incepit abinde prodire, nisi sub notione Psyches factivæ tantum. Unde in Sohar pluries dicitur, quod David venerit de parte uxoris: quapropter etiam immersus est similiter in uxorem corticalem. Quod etiam innuitur in historia de sene, sectione Mischpatim fol. 23. ubi dicitur de Obed, Jischai & David, qui nempe dicitur arbor infima, quæ prodierit è ramis, &c. ubi vide latius, & intelliges quæ hic dicuntur. Quare etiam prodiit è Ruth Moabithide, quæ immersa fuerat in cortice Moab. Notum autem est, quod Ammon & Moab duo sint cortices oppositi numerationibus prudentiæ sive informatrici; & regni; de quibus suo loco: sicut etiam infra cap. 13. ubi de Davide agitur.

§. 13. Quia igitur, ut ad propositum redeamus, psyche Davidis Regis exista specie supra dicta erat; hinc impossibile erat, ut acciperet spiritum suum. Hinc necessariò eundem spiritum homo quidam alius obtinere debuit, ut dictum supra. Et nisi commisisset peccatum illud cum Bathscheba, fieri potuisset, (quoniam Psychen suam omnino perficiebat), ut restaurationem suam absolvisset, antequam consummatus esset spiritus: atque exhinc corpus Davidis fuisset radicale, ita ut Psyche & spiritus simul surrexissent in resurrectione mortuorum in corpore Davidis. Jam verò propter peccatum istud cum Bathscheba factum est, ut alter ille homo, qui acceperat spiritum

spiritum ejus, prius perficeret opus suum. Unde in resurrectione mortuorum, (quia tunc erit tempus, quo salvabuntur corpora,) nulla erit resurrectio è mortuis pro corpore Davidis, sed Psyche & spiritus ejus ambo simul resurgent in corpore altero illius viri, qui acceperat spiritum, eumque perfecerat ut dictum. Hinc dicit: *Multi dicunt Psychæ meæ:* id est, multi dicunt, nulla est salus Davidi, id est, corpori ejus, quia Psyche ejus adhuc erat revoluta, & nondum restaurata: unde etiam non loquitur. Non est salus pro ea, quasi sermo esset de Psyche; sed, pro eo; ut sermo sit de corpore Davidis. Unde etiam addit Selah, quasi diceret, etiam tempore resurrectionis mortuorum non resurget. Et iste Psalmus loquitur de Achitophele & Doëgo, qui erant hostes ejus: erantque Sapientes atque Doctores magni. Prout dixerunt sapientes nostri bonæ memoriæ quod Achitophel viderit ignem prodire de membro suo naturali. Quod notat, illum propinquum fuisse Spiritui sancto: Unde & Scriptura inquit: *Consilium Achitophelis, si aliquid consuleret illis diebus,* tanti fuisse, ac si quis *interrogaret Verbum Dei.* 2. Schmuel 16. v. 23. Sed propter maledicentiam rejectus est, quod non est mirum. Patet ergò, quod Achitophel non ignotum fuerit, quomodo res is haberet cum Davide: præsertim cum sciret, illum unctum fuisse in Regem per Schmuelem Prophetam. Et quia Scriptura inquit 2. Schmuel. 14. v. 14. *Non expellet à se expulsum,* id est, ne minimum quid è de Davide perdetur: quomodo ergo locuti essent de psyche Davidis? cum nemo esset, sicut ille inter omnes Israëlitas: quod nulla ipsi salus sit apud Deum; Selah. (i. e. in mundo venturo.) Sermo igitur est de corpore ejus, prout nunc exposuimus. Quod intelligentibus satis perspicuum est. Unde etiam cum juxta Talmudem ipsum interrogarent; qua morte multandus sit, qui vitiaret uxorem alterius? ipse respondisse fertur iisdem; morte strangulationis, ita tamen ut partem habeat in mundo venturo. Ubi argutè ipsis retorsit, quod surrecturus sit in resurrectione mortuorum.

§. 14. Revertendo ergò ad propositum dicimus, illos qui ad tertiam hanc speciem pertinent, & illos, qui revoluti sunt, etiamsi de prioribus duabus speciebus sint, ut dictum in principio capitis hujus; omnes esse æquales: & quamvis quis per illam methodum, de qua diximus, complevisset Psychen; in magno tamen adhuc est periculo corpus ejus. Ne igitur quæstionem moveas, qui fieri queat, si citius absolvatur spiritus, quod corpus primum non surrecturum sit in resurrectione mortuorum: hinc rem istam paulò clarius dilucidabo.

§. 15. Hoc autem indigitatum est Psal. 7. v. 10. *Consummetur nunc malum impiorum, &c.* Item in loco Proverb. 25. v. 21. *Si fuerit odio habenti te, cibo illum pane.* Quorum locorum hic est sensus: Quoniam in animabus bonum permixtum est malo, ut dictum supra cap. 1. & 2. hinc factum est, quod aliquando aliquid boni cujusdam justi insertum sit malo cuidam: sicut etiam aliquid mali cujusdam impii insertum est justo cuidam. Unde intelligi potest, quod dicitur, multos dari justos, quibus usu venit, ac si haberent

haberent opus impiorum. Eccles. 8. v. 14. &c. Reperiuntur enim justi insignes qui perficiunt opus aliquod malum, atque turpe, ut mirari liceat, quomodo vitia tàm turpia & peccata tam grandia reperiantur in justis illis. Atque sic etiam è contrario deprehendimus in impiis, quod ipsis quædam obveniant, ac si haberent opera justorum, ita ut observent præcepta insignia, & opera quædam præstent ex toto corde & anima sua. Cujus causa est, quod bonum illud ipsis immixtum in illis desiderium excitet faciendi opera illa: quod probè notandum. Unde præceptum nobis est inquirere in merita, & in culpam delinquentis; quoniam hac ratione quandoque justificantur impii ratione desiderii nempe & intentionis. Desiderando enim justus ad se trahere potest bonum illud, quod in malo est permixtum: sicut etiam malus ad se trahit malum illud, quod immixtum est justo. Ratio hæc est, quia pars maxima ad se trahit partem minimam. Unde deinceps ambo reperiuntur consummatè tales, alter nempe omnino malus; & alter omnino bonus. Unde inquit textus: *Si esurierit osor tuus*, &c. Atque hinc responderi potest ad objectionem, quod nempe vetitum sit, odisse proximū suum, & multo magis cumulare prunas super caput ejus. Sermo enim est de impio, qualem odisse licitum est. Si ergo esurierit talis impius desideransque panem legis propter aliquod bonum, quod immixtum est ei; ciba eum pane legis: atque sic pota eum aqua legis, atque sic prunas cumulabis super caput ejus: id est omne malum, quod in te est, reponetur super illum; ut dictum supra. Eodem modo ut dicitur Levit. 16. v. 22. *Et portabit hircus super se omnes iniquitates eorum.* Atque sic portiuncula illa boni, quæ in illo est, adjicietur tibi, eamque accipies; atque sic perfectus eris omni bono, & ille perfectus in omni malo. Et quia sanctus ille Benedictus non denominat nomen suum super re mala, sed tantum super bona: hinc in fine additur: *Et Dominus reddet tibi.* Sed de malo cum sermo est (sub initium versus), non mentio fit nominis Divini: sed tantum dicitur, *tu prunas capies super caput ejus.* &c. Atq; hæc etiam est mens dicti alterius Psalm. 7. *Consummetur quæso malum impii*, id est, sanctus ille Benedictus complebit & consummabit impium, ut sit perfecte impius: pars autem boni, quæ in illo, dabitur & adjicietur justo, ut evadat consummatè justus, unde subjicitur: *Et stabilias justum.* Hæc omnia autem nemo scit in homine, nisi Deus Benedictus, qui probat corda & renes: ille enim notificat, quisnam justior sit proximo suo, & cujus maxima pars bona; item cujus maxima pars mala sit, ut cumulare queat omne bonum in hoc, & omne malum in illo. Omnia autem ab operibus hominum dependent atque ita se habent: si revera in quodam præponderet malum, ut tandem consummetur, & hat omnino malus, & sic vice versa in bono. Sed si quis sit status medii ex utriusque naturæ medietate constans, atque sic & alter, tunc res in æquilibrio quiescit, donec è bilance appareat, uter præponderet; atque tum alter omne bonum, & alter omne malum accipit.

§. 16. Et hinc quoq; intelliges, quare dixerint Magistri nostri bonæ memoriæ in Thalmude: quod Achab Rex in equilibrio fuerit, quod mirum videri queat, cum idololatra esset, cui vix fuerat similis. Sensus nempe est; illum non in æquilibrio fuisse, quoad opera sua; dicunt enim in æquilibrio simpliciter, & absolute, i. e. quoad Psychen suam, quæ medietas generis ex dimidia nempe parte bona, & ex dimidia parte mala. Et quamvis esset idololatra, & similia perpetraret, quoad partem mali existentis in ipso; tamen quoque reperimus, quod regnavit cum humilitate, seque submiserit, atque induerit saccum, atque processerit involutus: & quod rex Jehoschaphat illum quotidiè castigarit, sicut dicunt magistri nostri bonæ memoriæ ad locum illum: Annon vidisti, quod humiliet se Achab &c. Atque id faciebat quoad partem boni in ipso existentem. Et hinc quoque intelliges, quare Elijahu bonæ memoriæ tantopere insecutus sit eum, ut nempe ad pœnitentiam eum reduceret.

§. 17. Hinc quoque intelliges, quid sit perfectè justus; & non perfectè justus, & medius; quæ omnia intelligenda sunt secundùm scintillas boni vel mali, à quibus perfectio resultat. Hinc quoq; non miraberis, si videris, justos quosdam magna aliqua peccata committere, quæ alias vel impius non perpetraret: ubi nempe peccatum illud adscribendum est parvæ illi scintillæ mali in ipso latentis.

§. 18. Scito etiam hæc omnia tantum contingere, si uterque in vivis sit unò tempore, quod nimirum justus aliquis in se capiat omne bonum impii, & impius omne malum justi. Hinc multi justi reperiuntur, qui se associant impiis, atque deinde ab iisdem iterum separantur: quia nimirum omne jam bonum, quod in illis fuit, consummatum est, atque datum alteri.

§. 19. Patet ergo, ut ad rem propositam revertamur; quod qui révolvuntur, & qui distinctis corporibus habent animas suas, in magno stent æquilibrio atque periculo: si enim alter ille, qui spiritum accepit, prior sit benè agendo & corrigendo opera sua; tunc per eadem in ipsum attrahitur omne bonum, quod in priori illo corpore est, in quo psyche existit: & hanc ob causam in resurrectione mortuorum corpus istud annihilatur, & corpus alterum sit radicale.

Cap. X.

§. 1.

Exposita nunc differentia, inter priores animarum species quoad revolutionem, & inter tertiam: nec non quod duæ priores species; animæ nempe quæ planè novæ dicuntur, & quæ sunt Cainiticæ & Hebelicæ, cum altera vice in mundum veniunt, omnes quoque vocentur veteres & revolutæ: jam aliquid proponemus, quod omnibus tribus, quatenus illis nomen veterum & revolutarum competit, ex æquo attribuitur.

§. 2. Scito ergò, quod animæ revolutæ, (prout etiam jam diximus,) prima vice & in uno corpore, non possint assequi, nisi vel mentem solam postquam nempe quis perfecit psychen & spiritum: vel spiritum solum, postquam perfecit Psychen: vel spiritum & mentem singulatim, si perfecerit Psychen & spiritum, ut veniant in tribus corporibus.

§. 3. In hoc tamen differentia adhuc alia est, ita ut istarum revolutarum duæ sint Species: una earum, qui initio tantum merentur accipere Psychen in specie; nec adhuc

digni sunt spiritum accipere vel mentem; vitium autem admittunt quoad Psychen tantum, atque moriuntur.

§. 4. Altera est eorum, qui digni sunt non Psyche saltem, sed & spiritu & mente; sed pariter vitium admittunt, per quod non Psyche tantum, sed & spiritus vel mens contingitur, ita ut omnes hi gradus vitientur.

§. 5. Qui ergo primo non merentur nisi Psychen tantum accipere, nec vitium admittunt, nisi in hac solum; illis, cum revolvuntur secunda vice; Psyche tantum revolvitur: qua penitus restituta & purgata ab omnibus; merentur & spiritum accipere, vel etiam mentem in uno eodemque corpore: quia spiritus & mens non contraxerunt vitium.

§. 6. Sed qui digni sunt statim sub initium Psyche, spiritu & mente, & vitiant omnes tres gradus: illi non possunt revolvi, ut restituantur una vice, pro omnibus his tribus partibus: sed opus habent tribus revolutionibus, & tribus corporibus: uno pro Psyche, altero pro Spiritu, & tertio pro mente: nec alia ipsis datur restitutio, nisi per duas illas methodos, de quibus cap. 8. & 9. nimirum per meditationem nocturnam somni tempore, & tempore prolapsus in faciem, (ad Ps. 25.)

§. 7. Alia quoque notanda est differentia: quod nempe illius, qui primitus non dignus est nisi Psyche, (ut illa vice non etiam accipere queat Spiritum & mentem;) si in illa quædam corrupit, ut opus habuerit corpore secundo, in quo absolvere tenetur, quæ ipli defuerunt in corpore primo, vel etiam restaurare spiritum cum superstite parte Psyches; illius, inquam, corpus primum, in resurrectione mortuorum non merebitur accipere, nisi illam tantum portionem, quam absolvit de Psyche: sed reliquæ portiones Psyches, quæ manserunt corruptæ, prout etiam spiritus & mens servantur corpori secundo, quoniam in illo restitutionem & perfectionem acceperunt.

§. 8. Et huc respicitur in Sohar sectione ChaiiaSarah fol. 131. col. 2. ubi dicitur illos, qui improsperi fuerunt (i. e. qui Psychen suam non plenè compleverunt) reputantur, ac si non fuissent. Quod intelligendum de corpore eorum primo, quod non accipiat, nisi exiguam saltem portionem de Psyche, quanta nimirum in ipso restituta fuerit: unde idem ipsi contingit, ac si non fuisset. Fundamentum autem gaudii post resurrectionem consequendi, consistit in mysterio spiritus & mentis: quos gradus quia talis non obtinuit; idem est ac si non fuisset. Atque hinc conciliantur *חיי מתים* duorum locorum illorum, quæ omnia tamen sunt verba Dei viventis. Nam historia de sene illo, sectione Mischpatim fol. 172. loquitur de tali corpore primo, quod periit; quod sic videri posset talem frustra observasse præcepta legis &c. Sensus autem est, omnino illas partes Psyches, quæ restitutæ fuerant, ipsi traditum iri, ut cum illis resurgat tempore resurrectionis. Quia autem dignus non fuit, spiritum & mentem accipere, hinc reputatur, quasi non fuisset, &, (quod absit tamen,) non sit, vel futurus sit, comparativè scilicet; cum tamen revera rediturus & resurrecturus sit; & saltem pro tali habeatur, qui non sit, ratione exiguæ voluptatis, quam consequetur.

quetur. Quod probè nota. Et hoc ipsum est, quod dicitur in historia de sene illo, loco citato, de illo corpore primo, quod dignum non fuit liberos generare, quod nempe homo in uxore sua spiritum quendam relinquat, qui in ipsa maneat, donec frater ejus eundem susciteat, prout de his latius infra cap. 10. Unde patet, quod qui liberis caruit, nihil quoque habeat quam illum spiritum, quem reliquit in ea.

§. 9. Si autem vitium aliter se habuerit v. g. si aliud quoddam peccatum peccaverit, illa portio Psyches secunda, in qua remanserat vitium supradictum, quæque inserta fuit corpori secundo; tunc hoc corpus secundum eò quoque saltem gaudebit, quod perfecit, & omnia reliqua istius partis, quæ restituta fuerunt in corpore primo, dantur corpori huic tempore resurrectionis.

§. 10. Adhuc alia tamen hic est species, quod si nempe quis primo nonnisi Psyche fuerit dignus, & perfecerit maximam partem illius, ita ut paululum saltem restitarit perficiendum pro revolutione in corpore altero: si talis meretur absolvere paucusum hoc residuum è Psyche superstes; & dignus etiam sit spiritu vel quoque mente; tunc voluptate fruetur corpus hoc secundum etiam respectu spiritus, vel etiam mentis, ut dictum. Si vero corpus hoc secundum nihil amplius obtineat, quam quæ sunt psyches; respectu ejus tantum delectabitur.

§. 11. Hinc etiam intelliges, quod dixit, referente Gemara, Rabh Schescheth, cùm studeret in lege: Gaudeas Psyche mea; pro te legi, pro te studui &c. Ubi objici potest, quomodo hæc dixerit Rabh iste, cum sanè impossibile videatur, quod pro alio studuerit, & necessario id fecerit pro anima sua? Res autè clarior evadet ex iis, quæ diximus, quod nempe animam suam allocutus sit & non corpus suum, vel aliud quid extra se. Nam Rabh Schescheth in ista revolutione erat ille, qui antea fuerat Babha Ben Buta, qui fuerat homo eximius, de quo Magistri nostri bonæ memoriæ scribunt; quod quotidie obtulerit Sacrificium pro peccato dubioso: unde uterque quoque fuit cœcus; Ille igitur Babha Ben Buta fuerat sapiens atque justus insignis, absolveratque portionem suam, superstite saltem exigua quadam parte: quapropter tota merces Psyches R. Schescheth consistebat in corpore Babhæ Ben Buta: adeoque respectu corporis sui contristabatur tanquam qui frustra laboraret: nam corpus ejus non erat fundamentum inhabitantis psyches, sed tantum quasi hospes in mundo, unde omnis ejus voluptas futura saltem erat pro Psyche ejus; quare inquit; Gaude Psyche mea, quia tibi auxilium emergit, & non corpori: quia fundamentum boni redundabit in corpus Babha Ben Buta, & non in corpus hoc secundum. Quod nota.

§. 12. Si quis autem primò dignus fuerit Psyche, spiritu & mente, & corrupit gradus omnes; ille non potest restaurare illos simul omnes, sed spiritum, exempli gratia; in corpore singulari. Jamque dictum est, quod Psyche ejus in eadem vita cum spiritu non possit jungi, nisi ambo gradus sint perfecti: & tamen spiritus sine Psyche in corpus non potest intrare: quomodo ergo spiritus ille intrabit in corpus secundum sine Psyche? nimirum responsum supra jam est cap. 9: Quod veniat vestitus Psyche quadam Proselytica.

§. 13. Idem tamen fieri potest alio modo; si nempe in corpus hoc secundum intret Psyche quædam altera; & spiritus atque mens Psyches primæ associentur Psychæ huic alteri in corpore secundo, ibique benè agant, & restituantur. Tunc autem in resurrectione spiritus & mens redeunt in corpus unum suæ nimirum Psyches. Et hæc vocatur revolutio duplex: quia nempe revolvuntur cum Psyche alia.

§. 14. De spiritu autem & mente illa notandum, id fieri non posse, nisi duæ illæ psychæ fuerint de radice una, sicut dicitur cap. 5. Ubi etiam plura habebis de spiritu vestito à Psyche Proselytica, an nempe hæc semper cum ipso maneat?

Cap. XI.

§. 1.

POrrò sciendum, duas esse species revolutionum illius generis, ubi primò Psyche, spiritus & mens concurrunt, & omnes hi gradus vitientur: ita ut primo redeat psyche sola; eâque consummatâ moriatur corpus primum; & accedat spiritus in corpore alio, ut restituatur. Duo, inquam, hîc occurrunt casus; primo, Si Psyche benè quidem restituta sit, sed non ad ultimam perfectionem; tunc enim hæc, quando spiritus revolvitur in corpore altero cum illo etiam revolvi potest simul, donec & spiritus restituatur. Si vero Psyche perfecta fuit omnino, pro omni suæ necessitate; tunc non opus habet revolutione tali in corpore alio cum spiritu; sed relinquitur superius in Paradiso loco suo debito: spiritus autem solus redit ut restituatur per Psychen proselyticam, vel per psychen aliam, ut dictum supra. Differentia autem hæc, denominatur à divertitate perfectionis psyches usque ad consummationem. Si enim ipsi aliquid adhuc defecerit, tunc adhuc vitiata est, & sola revolvi cogitur, ut dictum Cap. 9. donec perficiatur omnino.

§. 2. Res igitur ita se habet, ut supra dictum in fine Cap. 4: quod dentur præcepta quædam propter quæ hominem omnino revolvi oportet; & alia ubi quidem revolutione non habet opus, sed ipsi sufficit imprægnatio.

§. 3. Cum ergo psyche illa defectu laborat præcepti cujusdam, propter quæ revolvenda est; tunc revolvitur sola, donec perficiatur. Ratio est, quia omnia præcepta dependent à psyche; studium autem legis à Spiritu.

§. 4. Si autem deficit ipsi præceptum quoddam, propter quod imprægnatio sufficit: tunc psyche illa revolvitur cum spiritu: sed ipsius psyches revolutio vocatur Embryonatus ejusdem respectu, & non revolutio propriè dicta. Ratio est quia cum plenè restauravit omne id quod vitiaverat, tunc spiritus non amplius attingit psychen, sed vitium vocatur spiritûs non vero psyches: quia aliàs res ista fine careret, quod psyche revolvenda esset sola. Venit ergo ut particeps fiat bonorum operum spiritûs; & non vitiorum & corruptionum ejusdem, quibus vitiatus est Spiritus postquam ipsa jam perfecta est. Unde ista revolutio ejus, respectu psyches, imprægnatio vocatur & non revolutio: seque habet eo modo de quo dictum sub finem Cap. 4.

§. 5. Sed

§. 5. Sed psyche proselyti, quâ vestitur spiritus, ut ante dictum; est in revolutione propriè dicta.

§. 6. Sic quoque se habent mentes quando restitutus est etiam spiritus & homo decessit: tunc mens venit in corpus aliud ut restituatur mediante psyche proselyti existente in statu revolutionis perfectæ; si nempe psyche & spiritus ejûs plenariè restituti sint. Si vero adhuc opus habent aliquâ restitutione; tunc spiritus & psyche quidem cum mente veniunt sicut dictum: sed quicquid vitiatur in corpore illo, id dicitur vitium mentis; & non vitium psyches & spiritus; quia isti jam perfecti sunt. Et quamdiu non restaurata est mens etiam post multas revolutiones, ut dictum Cap. 9: Omnes illæ corruptiones tribuuntur menti soli.

§. 7. Jam autem revertimur ad id quod diximus supra: restituendam nempe primo psychen: ubi deinde spiritus veniat in mundum hunc in corpore alio ut restituatur, quod paulo uberius diducendum. Cum igitur psyche illa perfectè restituta est, secundum gradus debitos; tunc in illam sic perfectam venire potest imprægnando psyche alia justi cujusdam eidem analogi & conformis, proilla notione, quæ restaurata est.

§. 8. Et psyche illius justi quæ absolvit revolutiones suas, nec pluribus opus habet, saltem embryo fit in psyche tali ut dictum cap. 5. Atque tunc psyche illius justi sustinet vices Spiritus ratione psyches hujus imprægnatæ; quamvis restituta tantum sit sub notione psyches. Eo casu igitur quando homo restitutus est in psyche sua, fieri potest, ut eum imprægnet psyche quædã, è primis patribus: prout aliquando fieri potest, ut quidam sic imprægnetur psyche Abrahami patris nostri super quo pax: vel Mosis Magistri nostri super quo pax; Nempe omnia prout opus habet talibus, psyche illa. Unde dixerunt Magisti nostri p. m. nullam dari generationem in qua non sint justi quidam ut Abraham & Jizchak & Jaacob & Mosche & Schmuel & David. Atque sic explicuerunt dictum illud Gen. XV, 6. זרעך כן יהיה *sic erit semen tuum*, ut numerus voculæ כן sit 25: quibus innui volunt in qualibet generatione dari 25. justos, qualis Abraham: quod clarum est intelligentibus.

§. 9. Fieri etiam potest ut eandem ulterius imprægnet psyche quædam justi cujusdam majoris quam prior erat: ita ut ista psyche secunda justi hujus alterius in ipsa locum teneat mentis; cum psyche justi illius primi minoris locum habeat spiritus; locum psyches occupante psyche propriâ. Idque sic procedit ab imo ad summum usque, ut imprægnationes faciant psychæ Patriarcharum vel Mosis Magistri nostri p. m. ut dictum; quamvis enim omnes sint psychæ; ibi tamen sunt sub mysterio mentis, spiritus & psyches: præ quibus psychæ aliæ quælibet splendorem suum amittunt, ut dictum supra Cap. 4.

§. 10. Fieri etiam potest ut pro ratione operum & graduum suorum quis mereatur accipere Spiritum verum cujusdam justi, ut eo imprægnetur psyche ejus. Sique plura meretur, adhuc alius Spiritus Justi cujusdam majoris ipsum imprægnare potest, qui locum habeat mentis; donec & ipse dignus fiat Spiritu secundum opera sua.

§. 11. Quod ipsum eousq; procedit, ut & mens justi cujusdam ipsum imprægnet spiritus loco; & mens alia justi alterius mentis loco: atque sic porro ut calamus deficiat particularia omnia enarrare.

§. 12. Dantur etiam præcepta & opera quædam singularia, per quæ homo assequi potest mentem: omnia enim in manu hominis constituit secundum bona ejus opera vel etiam per studium legis vel per meditationes: quia per hæc tria fit restitutio psyches, spiritus & mentis, ut dictum supra.

§. 13. Et hæc omnia accidunt in revolutione illa, postquam scilicet jam restituta est psyche & spiritus revolvitur in corpore alio. Fieri tamen etiam potest, ut eadem accidant post plenariam spiritus restitutionem; ut mirum & ipse imprægnetur psyche quadam cujusdam sancti sub notione mentis vel spiritus; quod etiam fieri potest secundum omnes casus speciales enarratos de psyche sola.

§. 14. Idem quoque fit cum mens venit restituenda & restaurata est; namque & tunc eidem omnes illi casus accidere queunt prout psychæ soli.

§. 15. Sciendū quoque, cum talis psyche revolvitur sola, & imprægnata est à quodā justo, sicut dictū est; illā postquā homo ille moritur, venire posse in aliū quendā hominē, sociatā cum psyche, spiritu vel mente illius justi, à quo imprægnata erat: & per hanc viam influētia accipit in hoc mūdo, quādiu revolvitur cū hoc homine, donec & ille restituatur.

§. 16. Cum autem perfectus quoque est spiritus ejus, tunc illa psyche ejus prior accedit ut adhæreat spiritui suo, dicitque: *Abibo & revertar ad virum meum priorem.* Hos. 2, v. 7. Notum enim quod spiritus sit maritus psyches. Atque sic quoque cum mens perfectionem accepit, tum psyche & spiritus iterum adhærent eidem.

§. 17. Quamdiu enim nondum plenè restituti sunt psyche & spiritus, tamdiu cum justis illis qui in ipsis imprægnantur permanent; quoniam per illos accipiunt influxum in hoc mundo, modo supradicto.

§. 18. Et quia per ipsam stat bona opera peragere & præcepta observare; hinc quoties aliquod præceptum tam accurate observat, & secundū omnes speciales circumstantias atq; justus quidam ex illis; tunc tandem magna evadit admodū: justificari enim potest psyche hæc istius hominis, donec fiat tam clara atq; gloriosa, sicut gradus psyches vel spiritūs vel mentis illius justi; ita, ut quamvis aliquis jam restitutus sit juxta gradū psyches suæ; nihilominus quia vadit cum gradibus justi illius, necesse est, ut etiam tantū clarificetur, quod pervenerit ad gradus illius justi: atq; tunc psyche ista illius hominis multo altius elevatur, quam in locum suum, unde excisa fuit, tamque gloriosa fit, ut fixa ibi manere queat in perpetuum in gradibus justi illius. Ex quo intelligi potest, quod homo, si velit, fieri queat ad instar Mosis; quamvis psyche ejus eodem multo sit inferior.

§. 19. Cum igitur homo restauravit tres suas partes, Psychen, spiritū & mentem, tunc non amplius opus habet revolutione: Sed tunc ascendere potest in mundū illum secundū gradus justi illius, qui ipsum fuit prægnaverat; ita ut in illo mundo ambo sint æquales in statu & gradu uno. Atq; huc respiciunt ea quæ dixit Moses ad R. Schimeon Ben Jochai in præfatione Sohar fol. 2. col. 2. Ubi nota quæ dicuntur à R. Hammenuna Sene.

Cap. XII.

§. 1. Supra jam dictum est, quod animæ jam revolutæ, omnes neutiquā possint simul accipere psychen, spiritum, & mentem. Jam scito id non intelligendū, nisi cum revolvuntur sui causā: verbi gratiā, ut adimpleant præceptū quoddam quod ipsis defuit, velut restituant vitium aliquod. Si vero quis revolvitur pro aliis, ut nempe convertat & dirigat

homines generationis suæ: tales sanè homines perfectè justi sunt, qui merentur gradus omnes accipere usq; ad mentem emanativā. Necesse autē est, ut nullo modo revolvantur sui causā, sed omnino pro aliis. Isti enim certe vice una simul consequi possunt psychen, spiritū & mentē, quoniā jā antehac restituti sunt. Hinc reperimus in parvis quoq; puellis admiranda quædā opera, prout exemplū habemus in filio R. Hammenuna Senis, in sectione Vajechi: & sect. Balak: atq; sic in aliis pueris: quoniā isti nō adveniūt ut perficiāt seipsos, sed pro necessitatibus aliorū: unde prima statim vice assequuntur psychē, spiritū & mentē, & quicquid antea habuerāt. Unde quoq; admirāda pollent sapientiā, quod probè notes.

§. 2. Alia quoq; occurrit differentia inter animas revolutas. Quoniam quæcuq; revolvuntur ob causam aliquā, ex. gr. ob neglectū aliquod præceptum, de quibus videatur Cap. 4: illorū psyche dispescitur in plures scintillas: unde quot præcepta in isto corpore impleverit, tot scintillæ in eo relinquuntur eodē tempore usq; in tempus resurrectionis: Unde melius non est psychæ, spiritui & menti, quam si revolvantur simul in corpore uno.

§. 3. Sed qui propterea revolvitur quod improles excesserit, & uxor ejus Leviro subnubit: illi nulla continget restitutio per dolores, prout sit circa peccata alia: Sed corpus ejus primum æstimatur quasi non fuisset in mundo, nec resurget tempore resurrectionis, nisi in corpore secundo in illo spiritu, quem reliquit in uxore sua, ut dictum supra. Sensus est, psychen ejus radicalem spiritumq; & mentem ejus non excitatum iri tempore resurrectionis nisi in corpore illo secundo quo dignus fuit generare liberos.

§. 4. Patet ergo, quod omnes partes illius, psyche sc. & spiritū & mens, omnes hi gradū, inquā, revolvēdi sunt in ædo hoc corpore novo; eo quod primū reputetur ac si nō fuisset.

§. 5. Patet etiā eum, qui revolvitur per leviratū per opera sua consequi posse psychen spiritum & mentē simul, prout in supplementis reperimus, col. 1. Verba sunt hæc: Per mysteriū Leviratus omnes tres gradus absolvuntur vice una quod ipsum est, quod scribitur Job 34. v. 14, 15. *Si posuerit super eum cor suū; spiritus ejus & mens ejus ad ipsum colliget: exspirabit q, omnis caro simul.* Sensus est quod omnes homines, qui vocātur caro, mori teneantur atq; exspirare etiā illi, qui perfecerint psychen suā; eo quod omnes sint æquales, Leviratu solo excepto, ubi res aliter se habet. Si enim Levir proposuerit cordi suo fratrē suū, qui mortuus est sine liberis, & concupiscentiā suā atq; desideriū per opus congressus ad eundē applicet, ille in facultate sua habet reducendi psychen fratris sui demortui. Quod si enim attente meditetur super præcepto de Leviratu, nec libidinis ergo incestum committat cum uxore fratris sui, tunc propter præceptū reducere potest fratrē suum: imò quamvis ille tantum adfuerit sub notione psyches; attamen etiam spiritum & mentem fratris sui sub specie psyches demortui attrahere potest; ita ut omnes tres hi gradus simul in illo socientur una vice.

§. 6. Scias quoque, quod si quis revertatur revolvendo ob casum improlitatis, etiamsi fuerit sicut Schimeon Ben Asai, qui non opus habebat revolvi propter liberos; si minimum accedat per embryonatum in hominem quendam, aut si revolvatur pro restituendis aliis, & in auxilium alienum; ille nullo modo venire queat solus; quia saltem habetur pro corpore dimidio; & necesse est, ut veniat intra socium quendam, quem secum assumserat.

§. 7. Quandoq; etiam homo restituitur per imprægnationē solā, cum nimirū embryo fit in alio quodam homine, ibiq; absolvit aliquid, quod ipsi deerat; & propter quod omnino debuisset revolvi. Quoniam major est dolor revolvi, quam imprægnare aliquem. Videatur cap. 2.

§. 8.

§. 8. Si vero quis invenerit rem deperditam, nec restituerit eandem; ille restaurari nequit per impregnationem; sed omnino tenetur revolvi totaliter. Hoc ipsum est, quod Scriptura dicit Deut. 22. v 3. *Et sic facies omni rei amissæ fratris tui, quam ille perdiderit, & illam inveneris; non poterùs te abscondere.* Sensus est: Non sufficere impregnationem: quæ saltem quasi est absconsio quædam, qua quis absconditur & vestitur intra animam proximi sui; sed eum teneri perfectam revolutionem perpeti.

§. 9. Quamvis hoc etiam aliam explicationem admittat. Scito enim quod aliquando, cũ anima hominis descendit è supernis, ut comoretur in illa gutta, è qua formatur infans; tempore descensus sui in hunc mundum incidat in animam quandam aliam, quæ etiam revolvenda est; & tunc societatem ineunt ambæ illæ animæ, & in revolutione sua simul intrant in corpus illud: quod tamen fieri nequit, nisi duæ illæ animæ vicinæ sibi sint in statura corporis, adeoq; ex una radice, ut dictum supra capite quinto: vel si observare tenentur unum aliquod præceptum, adeoq; in restitutionis fine sint similes: tunc enim ambæ simul revolvi possunt.

§. 10. Quamvis ergo illa Psyche, quæ corpori illi debebatur, restituta atque perfecta fuerit, ita ut digna esset spiritum accipere: sicut dicitur in Sohar sectione Mischpatim: Si dignior evadit, spiritum ipsi præbent &c. Si tamen altera illa Psyche, cui ipsa occurrerat, & cum qua revoluta erat, quæque vocatur amissum fratris tui, quoniam ambæ ab una radice sunt, nondum omnia perfecerit, quæ ipsi perficienda fuerunt, & propter quæ revoluta fuit: homo ille sane spiritus partem adipisci nequit, donec absolutæ fuerint ambæ animæ. Atque hoc est quod textus dicit: Non poteris abscondi, i. e. non poterit in illo involvi portio spiritus ejus, quamvis jam restituta sit Psyche ipsa; donec etiam perfecta sit amissio fratris, quam nimirum ille perdiderat ob causam corruptionis alicujus. Facta autem restitutione rei amissæ fratris, tunc etiam poterit abscondi, & vestiri portio spiritus.

§. 11. Sciendum etiam in materia de revolutionibus, quandoque accidere, ut in homine sit Psyche quædam sancta; quæ ab illo aufertur, inque eum venit Psyche alia mala. Unde intelliges, id quod accidit Jochanani sacerdoti magno, qui postquam munere hoc functus esset octoginta annis, tandem factus est Sadducæus:

§. 12. Cujus etiam accidere potest contrarium; ut quis primo sit impius, & deinde fiat justus.

§. 13. Verum enim verò ista ablatio Psyches prioris, & accessus alterius aliter non fit, quam unotrium horum casuum, nimirum primò, si homo ægrotaverit morbo quodam, tum enim mutatur; vel si incidat in morbum Epilepsiæ, quæ vocatur morbus caducus; vel si iracatur. Quia nihil tam cito mutare potest Psychen quam ira juxta illud Jobi 18. v. 4. *Discerpit Psychen suam in ira sua.* Atque his cau-

bus etiam mutari potest Psyche cujusdam in aliam meliorem.

Cap. XIII.

§. 1.

Jamque explicabimus revolutionem Mulierum. Et quia homini cum formatur statim coordinatur conjux ejus: quoniam tamen (ut dictum cap. præcedente,) si peccaverit; anima ejus mutari potest ob aliquam ex causis ibidem dictis: hinc perdere etiam potest sociam suam; ita ut ducat aliam; quia iste non est vir prior. Quod probè notandum. Sicut etiam quandoque fieri potest, ut id contingat modo inverso. Adeoque fieri etiam potest, ut uxorem hujus ducat alius ille nempe, qui etiam accepit Psychen ejus.

§. 2. Porro quoque sciendum, quandoque, si quis revolvendus sit ad accipiendam conjugem suam, ita peccare posse hominem, ut conjugem ejus non gravent hoc onere, ut cum ipso in revolutionem redeat, quoniam ipsa non peccaverat, sed maritus solus: unde ipse quoque solus accedit. Et huc respicit locus Exod. 21. v. 3. *Si cum corpore suo, id est, solum ingressus fuerit, cum corpore suo egredietur &c.* Quod in Sohar sect. Mischpatim in historia de sene illo sic exponitur, illum æstimari pro tali, qui conjuge plane careat.

§. 3. Aliquando autem, si multa habeat merita alia fieri potest, ut etiam uxor ejus simul cogatur revolvi, sicut dicitur ibidem: Etiam egredietur uxor ejus cum ipso: id est, etiam revolvitur cum ipso uxor ejus. Atque talis uxor ex illarum numero est, quæ alicui destinantur secundum opera sua: sicut dicitur in Talmude tract. Sotah cap. primo: quod nempe tales, quæ alicubi destinantur secundum opera sua, tàm difficulter copulentur atque divisum fuit mare erythræum. Et tale conjugium dicitur secundum. Explicatio autem istorum verborum hinc eluceſcet: quod nempe si homo habeat animã novam, ita ut prima vice veniat in mundum, tunc etiam uxor ejus ipsi destinata cum eo accedit in mundum: atque hæc vocatur copula prima; quia nunc prima vice cum ipsa copulatur. Atque id nullam difficultatem parit altissimo, sed in momento quasi & absque omni conamine uxor ejus ipsi præsto sit:

§. 4. Si vero peccavit homo, & propterea revolvendus est, atque tum tot pollet meritis, ut & uxor ejus cum ipso redire cogatur, ut dictum supra: hoc matrimonium dicitur secundum, quia secunda vice copulantur. Quod maxima cum difficultate conjunctum est, sicut fissio maris rubri: quoniam enim primo peccavit, hinc quamplurimi accusatores adsunt, qui alterum hoc conjugium impedire conantur, ipsumque undiquaque circumstant, & ex fundamento adversantur. Unde intelliges cur dentur homines, qui uxores suas accipiunt quasi in momento absq; omni labore & conatu: & cur etiam dentur alii, quibus uxores non dantur, nisi post multos labores, conatus, atque defatigationes; qui tamen postquam juncti sunt, pacifice cohabitant: quod signum est, illam esse sociam ejus, sed secundo matrimonio junctam.

§. 5. Aliquando homo nunquam meretur accipere sociam suam, sed aliam tantam; nimirum secundum opera sua ipsi destinatam. Quod si enim quis veram accipit uxorem, ejusdem speciei sit insitio, quasi vitis viti insereretur: attamen alia quoque datur arborũ insitio, ubi diversa species inseritur: quam quidem non per extrema distare oportet.

Sic & hic necesse est, ut talis uxor radici animæ ejus quadantenus propinqua sit; quia aliàs nunquam jungerentur. Quod probè notes.

§. 6. Scito dein, fieri quoque posse, ut si homo revolvitur, & mulier illa quæ ipsi destinata est secundum operæ ejus, quamvis non sit socia ejus, modò illi admodum sit propinqua, pariter cum ipso revolvatur: quod mysticè innuitur verbis Exod. 21. v. 3. *Et exibit uxor ejus cum illo.*

§. 7. Porrò quoque scias, quosdam dari homines, quorum uxorum animæ nunquam prodibunt è corticibus, ex quo nempe peccavit Adam protoplastes, usque ad adventum Messiæ. Et una ex istis est radix animæ Chur filii Mirjam Prophetissæ: quoniam omnium istorum masculorum, quiex hac radice sunt, animæ fœmininæ relinquuntur in profundo corticum, nec inde prodire queunt usque ad adventum Messiæ. Audivi autem à Magistro meo, quod locus ille, ubi tales animæ immersæ sunt intra cortices, sit in potestate Iggereth filiæ Machalath, vel in potestate Naëmæ matris dæmonum; non probè tamen memini, utra harum illas detineat. Videorque mihi à Magistro audivisse, quod & Aharon Sacerdos non duxerit sociam suam; eò quod cognatus fuerit cum radice illa Chur, sicut expositum est cap. 10.

§. 8. Jamque diducam, quomodo se habeat revolutio mulierum. Atque hæc est una, de quadringentis illis quæstionibus, quas Doëg & Achitophel proposuerunt superturri illa in aëre volante, de qua in Sohar sectione Mischpatim in historia de Semoreillo. Scito igitur, masculos regulariter tantum revolvi, donec perficiantur. Ubi nota vocem גלגול derivari à literis גלגל, quæ est phrasis revolvendi, & quia animæ masculorum proveniunt à litera Vav nominis Tetragrammati; Jod verò etiam è Tetragrammato est, quod rotundum est & instar rotæ, & variis modis revolvi potest. Hinc si duæ hæ literæ (quæ ambæ masculinæ sunt,) revolvantur cum voce גלגל exinde fit גולגול i.e. revolutio, sicut traditur in Sohar sectione Pinchas fol. 253. Et hæc est illa litera Vav, de qua dicitur Exod. 21. v. 2. *Vav i.e. sex annos serviet. Et in septimo egredietur liber.* Ubi nota, sex extremitates (quæ sunt attributa Microprosopi,) adhiberi, pro illius masculi consummatione. Septimo autem (quo denotatur litera He nominis Tetragrammati, hæc autem est nota animarum fœmininarum;) nulla occurrit servitus, vel revolutio: nam peccata earum non abolentur, nisi per Gehennam. Huc respicit Ecclesiastes c. 1. v. 4. cum inquit: *Generatio vadit, & generatio redit, terra autem stat in seculum.* In quem locum dixerunt Sapientes nostri bonæ memoriæ: non datur generatio, quæ minor sit sexcentis millibus animarum; quod nimirum est mysterium literæ Vav, & totidem radicum, in qua omnes animæ masculinæ continentur; atque illæ revolvuntur & veniunt. Sed terra; quæ est fœmina inferior; stat in seculum, i.e. non revolvitur, sed accipit pœnam suam in Gehenna, sicut dictum supra. Ratio hæc est, quoniam masculi occupantur studio legis, quæ est columna media (sive litera Vav nominis Tetragrammati:) Notum autem quod dixerint Magistri nostri bonæ memoriæ, in discipulos nempe sapientum (seu occupatos studio legis) dominium non habere ignem Gehennalem, sicut dictum cap. 6. Quoniam ergo peccata eorum non

non abolentur in Gehenna; hinc opus habent revolutionibus pro restauratione sua. Mulieres autem quia non occupantur legis studio; eò quod ab illo loco (literæ Vav atque legis) non descendunt, (nec) illuc applicantur, subsunt dominio ignis Gehennalis, quo etiam respicit locus Proverb. 5. v. 5. *Pedes ejus descendunt in mortem: infernum gressus ejus tenebunt.* Sicut reperitur in Sohar sectione Pekude in discursu de Palatiis. Unde revolutione non habent opus. Præsertim, quod mulieres descendant à judicio rigoroso, & à severitate: hinc in gehennam intrant. Et quia judicium & rigor copiosior est in mundo, quam amor atque benignitas; Hinc quoque in mundo hoc plures existunt mulieres, quam viri. Quod probè notandum.

§. 9. Fieri tamen potest, ut etiam mulier revolvi queat: nempe pro necessitate mariti sui juxta id, quod supra dictū est ex versu Exod. 21. v. 13. *Et uxor ejus egredietur cum ipso.* Si vero non requirat necessitas mariti ejus, ipsa non opus habet revolutione.

§. 10. Quandoque tamen fieri potest, ut veniat mulier sub mysterio embryonatus in mulieribus aliis sibi similibus, quæ sunt novæ; atque ibi embryo fit ad instar virorum, de quibus suo loco. Quod si ergo mulier quædam sic embryo fit in alia quadam muliere, & ista deinde mulier concipitur, & uterum gerit, tunc fieri potest, ut anima illius mulieris revolvendo intret in infantem hunc, fiatque filia mulieris imprægnatæ, in qua ipsa fuerat embryo: ita ut, cùm primò embryonatum saltem passa esset, deinde revolutionem quoque patiatur in ipsa illa filia.

§. 11. Utque rem omnem melius intelligas, notum tibi sit, & hoc; quod quamvis homo sit masculus, tamen species peccatorum dentur, propter quæ converti potest in fœminam. Unde in precibus quotidianis quilibet Deo gratias agat his verbis: Benedictus tu, Domine &c. qui me non fecisti fœminam. Unum autem de peccatis illis hoc est: Si mas admittat masculum contra usum naturæ: talis enim cum revolvitur, fit mulier.

§. 12. Et quia notum jam tibi, fœminam (si imprægnari velit,) elevare debere aquas fœmininas ergo aquas masculinas; talis autem mulier, quæ primo fuerat vir, radicem aquarum fœmininarum non habet; hinc impossibile est, ut talis possit concipere; opusque habet meritis magnis, si imprægnari velit.

§. 13. Quod ita sit, si nempe in tali muliere embryonatum exerceat alia mulier vera, ut supra dictum est, tunc virtute illius psyches mulieris illius, quæ vera fœmina est, potest elevare aquas fœmininas, & concipere à conjuge suo; cumque parit, tunc psyche illa, quæ ibi embryonatum saltem exercuerat, jam veram revolutionem subit in ista filia. Unde patet, quod tales mulieres, quæ fundamentaliter sunt viri, in revolutione sua, non possint parere, nisi fœmellas; & quidem etiam hoc, modò saltem supradictò. Quoniam, cùm vir fuerit, & non fœmina, partum masculinum producere non potest; quia Scriptura inquit: *Mulier (i.e. vera) cum conceperit & pepererit filium &c.* Levit. 12. v. 2. Cùm ergo aliquando vir fuerit, hinc parere saltem potest fœminam. Quod probè notes.

§. 14. Quandoque tamen per meritum quoddam mariti sui maximum atque rarissimum, talis quoque parere potest masculos: ubi dein psyche illa mulieris alterius, quæ in illa embryonatum exercuerat, ut hæc posset elevare aquas femininas (i. e. commiscere semen muliebre,) non revolvitur in illo partu; sed tempore nativitatis abinde discedit; & in infantem illum subintrat anima masculina alia, & nascitur puer.

§. 15. Si autem mulier illa parere debeat altera vice, uterumque gerere; id aliter fieri non potest, nisi per psychen illam femininam priorem, quæ antea embryonatum in illa exercuerat; ut nempe eadem & nunc in eam redeat per mysterium embryonatus altera vice, eodem modo, quo antea. Id quod fieri debet singulis vicibus. Et ad id quoque opus est meritis magnis.

§. 16. Aliquando tamen fieri potest, per magna atque insignia merita, ut singulis vicibus in tali embryonatum exerceat anima diversa. Alia tamen esse non potest talis anima, sive per revolutionem, sive per embryonatum in illam veniens, nisi huic sit admodum propinqua, vel quam simillima. Atq; adeo ut reperiatur talis embryonatus secundum omnes conditiones requisitas, sicut etiam ut ipsa illa mulier fiat prægnans per se, & ut inveniat animam talem cognatam, vel similem sibi, &c. Ad hæc omnia requiritur justitia atque probitas insignis admodum, & conditiones plurimæ: atque sic quoties uterum gerere debet.

Cap. XIV.

§. 1.

SUpra cap. 7. exposuimus, quod ex animabus quædam contentæ fuerint in Adamo cum formaretur; quædam vero non: quæ vocentur novæ penitus: & ibidem quoque dictum est, quòd animæ protoplasticæ dividantur in plures species: juxta quas

(1.) Quædam sunt planè novæ, & quidem de mundo emanationis.

(2.) Aliæ etiam sunt planè novæ, sed de mundis tribus inferioribus; quippe quæ, etsi novæ sint, tamen immersæ sunt corticibus, cum peccaret Adam.

(3.) Aliæ sunt veteres, sed vocantur quadantenus novæ: & sunt illæ, quæ relictæ sunt in Adamo post peccatum (& datæ sunt filiis ejus.)

(4.) Aliæ sunt, quæ ablatæ sunt, & deciderunt ab Adamo.

(5.) Et aliæ tandem manserunt in ipso, & immersæ sunt corticibus. Duæ species primæ inter has sunt animæ planè novæ. Duæ ultimæ autem sunt veteres.

§. 2. Jam igitur loquemur de speciebus posterioribus, quæ sunt veteres. Hæ autem, de quibus diximus quod in Adamo relictæ sint, vocenturque quadantenus novæ, sunt illæ; de quibus dicitur in supplementis Soharisticis & aliis locis à Magistris nostris p. m. quod tres Patriarchæ, Abraham, Jitzchak & Jaacob sint revolutiones Adami protoplastæ: & Mosche sit revolutio Hebelis: Atque sic de pluribus revolutionibus aliis.

§. 3. Re-

§. 3. Reverâ autem res ita se habet, quod omnes animæ contentæ fuerint in Adamo, exceptis novis illis de quibus supra. Ex his autem protoplasticis, quædam ab ipso delapsæ sunt penitus, im nersæque corticibus, eo tempore quò peccabat; quædam autem in ipso manserunt.

§. 4. Jam porrò & illæ, quæ in Adamo manserunt, dividuntur in plures species. Quædam enim illarum datæ sunt Caino & Hebeli; quædam Sethο; Et quædam illis spiritibus, qui producti sunt centum illis & triginta annis è Gonorrhæa ejus, ut notum est: & quædam manserunt in Adamo, pro usu proprio usque ad mortem ejus. Et hæc species ultima fuit vera anima Adami, & omnino illa, quæ revoluta est in tribus Patriarchis, & similibus, quod probè notandum.

§. 5. Illa autem species animarũ, quæ deciderunt ab illis & immersæ sunt corticibus; sunt maxima pars animarũ, omnium hominũ in mundo degentiũ. & quasi totus mundus.

§. 6. Et illas animas, quæ delapsæ sunt ab Adamo immersæq; corticibus, iste non potuit communicare Caino & Hebeli & Sethο filiis suis; quia omnes descenderant in profundũ corticum: Cùm tamen notum sit aliàs, quod pater derivet animam in filium. Quare Caino, Hebeli & Sethο filiis suis aliunde comunicare non potuit animas, nisi ex illis, quæ in ipso remanserant. Quæ autem præter illas pro vita ejus in ipso relictæ sunt, illæ dicuntur anima protoplastæ propria, quæ deinde revoluta est in Patriarchis.

§. 7. Ut hæc rectius intelligas, notandum, quod à Sapientibus nostris dictum est, de Præcepto Evæ dato circa observationem mẽstruorum & placentæ & accendendæ lucernæ Sabbathinæ. Ratio enim, quare Deus benedictus præceptum illud de prima placenta panis pinsendi. [Conf. Rom. 11, 16.] Sacerdoti, quasi in oblationem offerenda, hæc fuit, quia illa fuerat causa, quare prima placenta mundi (Adamus nempe) corrupta fuerit.

§. 8. Prima autem placenta mundi propterea vocatur Adam, non quod per mundum hunc intelligatur corporeitas ejus, sed notio animarum omnium simul sumptarum. Adam ergo erat placenta & selectissima portio inter omnes animas.

§. 9. Capite autem primo jam dictum est, quod anima dividatur in 5. species; singularem, vitalem, mentem, spiritum & psychen: quodque hæ species reperiantur in singulis mundis, emanativo nempe, creativo, formativo & factivo; Ita tamen ut in genere psyche tribuatur factioni, & spiritus formationi, & mens creationi, & mens mentis emanationi. Protoplastes ergo continebat omnes istas species.

§. 10. Mens autem mentis emanativa vocatur splendor supernus.

§. 11. In Adamo ergo erant Psyche è factione, formatione & creatione; & spiritus è tribus istis; & mens è tribus istis. Psyche autem, spiritus & mens è regno pulchritudine & prudentia Informatrice emanationis, quæ vocantur splendor supernus.

§. 12. Cùm ergo peccaret Adam primus, ab ipso tollebantur & avolabant partes istæ emanativæ; sed non immergebantur in cortices; ut dictum supra circa initium Cap. hujus: Atq; hinc intelligi potest, quod dicitur Gen. 2, 17. *Illa ipsa die qua comederis ex ea, morte morieris.* Quamvis enim textus ille intelligi queat de die Dei sanctissimi benedicti, qui continet mille annos: attamen etiam intelligi potest sensu literali, ut eâdem illa die

naturali mortuus fuisse dicatur; cùm nempe ab illo auferretur splendor hic supernus, Major enim mors quam hæc ipsa dari non potest.

§. 13. Jam ergo spectabimus partes illas, quæ in illo remanserunt, & deinde ab illo delapsæ sunt, de genere trium mundorum inferiorum. Unde quoque dilucidabitur illud, quod dixerunt Magistri nostri p. m. sex annos duraturum esse mundum, bis mille vacuum, bis mille cum lege, & bis mille sub diebus Messiæ. Quod ex eo intelligetur cùm dictum est, quinque esse species animæ: singularem à macrothymo, seu macroprosopo; & vitalem à patre; mentem à matre; spiritum ab ornatu; & psychen à regno. De microprosopo autem notum est, quod non reperiatur per se; eo quod ab eo nil manifestetur nisi caput tantum: Corpus autem vestiatur à reliquis personis: Item quod masculus sit sine fœmina, sicut dictum est. Pater autem & mater, item microprosopus & uxor ejus sunt personæ ab invicem distinctæ. Hinc aliam non faciemus mentionem, nisi quatuor tantum harum notionum, nempe patris & matris & microprosopi seu filii atque uxoris ejus, respectu 4. literarum tetragrammaticarum.

§. 14. Jam quoque declaravimus parte secunda, quomodo pater & mater superinvestiant macroprosopum à duobus ejus humeris usque ad foveam pectoris ejus; & microprosopus cum uxore eundem superinvestiant à fovea pectoris usque ad inum.

§. 15. Porro etiam jam diximus Cap. 7. Quod circa initium emanationis pater & mater steterint junctis tergis, & sic etiam microprosopus & uxor ejus, ita ut hoc modo posterioribus cohærentes uno tantum separarentur pariete; ita ut dimidius paries inservierit uni personæ, & dimidius paries alteri. Unde patet quod humerus dexter pro dimidia parte inservierit patri; & pro dimidia parte matri: eodemque modo & sinister humerus. Hinc liquet quod duo humeri macroprosopi vestiti fuerint intra patrem & matrem, duæ nempe medietates humeri pro patre, & duæ medietates humeri pro matre: Ita ut pater sortiatur humerum unum & mater humerum alterum.

§. 16. Ut hæc rectius intelligantur, hic repetendum quod in Daath seu cognitione macroprosopi reperiantur quinque chasadim seu benignitates & quinq; gebburoth, seu severitates, quæ singulæ integram in se habent sui generis centuriam, ita ut quingentæ sint benignitates, & totidem severitates, juxta numerum קיץ seu humeri qui est 500. Duo autem hi numeri simul sumpti, efficiunt millenarium. Et hoc modo, quia in patre & matre reperiuntur quinque benignitates & quinque severitates, qui sunt duo humeri macroprosopi; in illis exsurgit millenarius. Eademque ratione etiam in microprosopo & uxore ejus res se habet; ad quos etiam procedunt duo illi numeri supradicti, qui efficiunt mille annos; unde bis mille anni, qui in mundo emanationis nempe in patre & matre, nec non microprosopo & uxore ejus inibi existentibus.

§. 17. Jam quoque nosti, quod fundamentum formandi embryonis procedat è quinque benignitatibus & quinque severitatibus, quæ efficiunt mille, quæ sunt radix illa, unde guttur seminis provenit. Quamvis enim etiam à duobus cerebris aliquid in infantem influat; fundamentum tamen ejus non nisi ab humeris illis procedit, qui efficiunt mille, sicut dictum est. Ratio hujus indigitatur Gen. 4. v. 1. verbis illis: *Et Adam cognovit*

vit uxorem suam. Ubi copula maritalis vocatur nomine cognitionis. Reliquis enim cerebris opus habet homo pro se ipso: sed benignitates & severitates, quæ in Daath seu cognitione, radix illa sunt, unde provenit gutta seminis ad producendum infantem: nimirum à benignitatibus & severitatibus tam masculina quam fœminina gutta provenit: unde guttam masculinam vocamus quinque benignitates, & fœmininam quinque severitates.

§. 18. Sic etiam incrementum infantis nonnisi à benignitatibus provenit, quæ sunt quasi aquæ, à quibus crescit arbor, prout jam exposuimus parte nona; quod nempe illæ sint scaturigo guttæ seminalis, à qua formatur infans.

§. 19. Cum ergo formandus esset homo, congrediebantur Microprosopus & uxor ejus mundi emanativi; generabantq; ex parte Daath sive cognitionis suæ Adamum protoplasten, qui in se continet omne genus animarum, quæ sunt in tribus mundis inferioribus creationis nempe, formationis & factionis. Omnes ergò animæ totius microcosmi hujus proveniebant è tribus mundis, & benignitatibus atque severitatibus singulorum mundorum: hinc fieri oportuit, ut numerus annorum mundi essent sexies mille anni, quia nimirum ab annis istis proveniebant omnes in universum gradus animarum, qui sunt in tribus istis mundis: unde sicut ibidem sunt sex mille gradus; ita omnes in mundum veniunt intra sex mille annos.

§. 20. Sex mille ergò gradus omnium animarum ita proveniunt à benignitatibus & severitatibus: ut mille sint in patre & matre, & mille in microprosopo & uxore ejus creationis; atque eodem modo bis mille à patre & matre, Microprosopo & uxore ejus in mundo formationis, nec non tantundem eodem modo in mundo factionis; qui sunt sex mille gradus, quorum ratione destinati sunt sex mille anni pro mundo.

§. 21. Restauratio mundi autem ab imo incipit, & sursum procedit: ita ut bis mille anni inanitatis, qui sine lege fuerunt, spectent ad mundum Asiah; eò quod ibi cortices crassissimi: Unde maxima pars hominum illius ætatis impiorum fuit: qualis exempli gratia fuit generatio Enosch; & generatio diluvii; & generatio confusorum linguarum.

§. 22. Postmodum incepit mundus formativus, ubi bis mille annis lex. Notum enim, quod mundus formationis correspondeat cum Microprosopo, quem Vav nominis Tetragrammati indicat. Ille autem vocatur lex scripta: & propterea tunc temporis promulgata est lex.

§. 23. Postmodum sequuntur bis mille anni dierum Messiæ ratione mundi creationis. Notum enim est, quod mundus creationis correspondeat literæ Tetragrammaticæ He priori, qua denotatur Leah, ex qua provenit Meschiach filius David. Atque hinc respondere poteris ad objectionem illam, quare omnes bis mille anni dierum Messianorum tempus vocentur; cum jam plus quam mille anni effluxerint, & aliquot insuper secula è bis mille his annis, nec tamen filius David venit? unde mirum, quare omnes vocentur dies Messiæ? Respondetur autem exillo, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: quod nempe tota redemptio procedat à matre superna, unde ortum trahat

Meschiach's

Meschiach filius David, qui est filius Leah: unde omnes illi bis mille anni destinantur ad restaurationem mundi creationis, qui in se continet bis mille gradus supradictos.

§. 24. Hinc patet, quomodo Adam protoplastes tempore formationis suæ in se comprehenderit totum genus animarum, quæ sunt ab initio mundi creationis usque ad finem mundi formationis: vocanturque sex mille anni, quibus consistere dicitur mundus. Tres enim illi mundi sunt Microcosmus unus, sicut omnes illi, & totus iste mundus sub emanatione existit.

§. 25. Atque sic dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, quod Adam Protoplastes sese extenderit ab una extremitate mundi usque ad alteram illius extremitatem: tandem autem diminutus fuerit usque ad centum cubitos. Quod probè notes, quonam iidem dicunt, longitudinem ejus fuisse iter quingentorum annorum: qui est numerus genericus omnium benignitatum nempe quingentenarius, qui deinde in specie recurrit in Patre, nec non Matre, & sic porrò per omnes mundos inferiores, unde exsurgunt sex mille anni, ut supra.

§. 26. Hinc quoque intelliges, quare dixerint Magistri nostri bonæ memoriæ, animam Adami Protoplastæ exsiliam fuisse è throno gloriæ, quoniam ibidem initium ejus fuit, (nempe in mundo creationis, qui thronus gloriæ cognominatur,) quodque exporrectus fuerit usque ad finem ejus, i. e. usque ad mundum factionis.

§. 27. Ulterius hinc etiam intelligitur, quare dixerint Magistri nostri bonæ memoriæ, quod Adam major fuerit omnibus angelis, omnesque venerint, ut coram ipso procumberent, ipsum que Regem supra se constituerent: quia nempe continuit omnes tres mundos inferiores, creationis nempe, formationis, factionis: angeli vero, imò etiam Metatron, qui ipsorum rex est, nonnisi in mundo formationis locum habet: de quibus infra uberius.

§. 28. Cum autem peccaret Adam Protoplastes, diminuta dicitur statura, & delapsa ab ipso membra ejus, quæ sunt omnes animæ trium mundorum creationis, formationis & factionis; quæ dicuntur sex mille anni. Substitisse autem dicitur sub diminutione centum cubitorum. Hoc ipsum est quod dicitur Ps. 139. v. 5. *Ante & retro formasti me, & posuisti supra me volam tuam*, (quæ vox כף vola numero suo exprimit 100.) Atque 100 hi cubiti vocantur placenta mundi, de quibus plura auxiliante Deo capite sequenti.

Cap. XV.

§. 1.

In fine cap. præcedentis exposuimus, quod per peccatum Adami protoplastæ iste diminutus sit usque ad staturam 100 cubitorum, atque hoc respectu vocatur placenta primitialis mundi. Quod ut melius intelligas scito, videri quidem primo obtutu illud ipsum, quo diminutus fuit, & animas illas quæ ab ipso delapsæ sunt, majus quid atque excellentius fuisse, quam id quod in ipso relictum sit: cum hoc propterea sit vilius, quia diminutio facta est propter peccatum, quod commiserat; notumque sit, quod id quod sanctius

sanctius atque excellentius est, suborta corruptione tollatur: ita ut dici nequeat, quod ab ipso deciderint partes viliores, & meliores in ipso remanserint. Hanc que opinionem stabilire videtur tota ferè scriptura, ubi, cum dicitur, Psyche hominis, Adam Protoplastes intelligitur, quasi indicetur in ipso nonnisi Psychen remansisse, & ab ipso sublatas esse animam mediam & supremam, quæ multo sunt altiores.

§. 2. Nihilominus tamen juxta dicta Magistri nostri bonæ memoriæ dicendum, illud quod in ipso remansit, sublimius fuisse atque excellentius, quam cætera omnia; quoniam istud vocant placentam mundi primitialem: placenta enim tollitur è parte præstantissima, juxta Num. 18. v. 30. *Quando elevabitis pinguedinem ejus*, i. e. optimum.

§. 3. Sciendum itaque, utramque harum opinionum recte se habere & veras esse, quod ita intelligendum. Supra jam diximus capite præcedente, quod Adam protoplastes in se comprehenderit omnem quoque Psychen, spiritum & mentem Systematis emanativi, quibus tribuitur nomen Splendoris superni. Nec non contentas in illo fuisse omnes partes trium mundorum inferiorum, quæ vocantur sex mille anni, ut dictum supra. Cum igitur peccaret, ab illo sese submovebant atque avolabant omnes illæ partes, quæ dicuntur splendor supernus; nempe Psyche, spiritus & mens de emanatione: quia scriptum est de mundo emanationis Ps. 5. v. 5. *Non habitabit tecum malus*. Quam primum ergo peccabat, & cortex ipsi superinducebatur, splendor ille supernus ab ipso avolabat atque submovebatur. Et tamen hæc ipsa portio ab Adamo sublata non immersa est corticibus, ut dictum supra cap. 14.

§. 4. De partibus autem trium mundorum inferiorum, quæ dicuntur sex mille anni, etiam quædam ab ipso submotæ sunt; & quædam in eo manserunt. Illæ autem quæ abillo auferebantur, & immergebantur corticibus, ab illis proveniunt maxima pars vel potius omnes animæ omnium hominum à Protoplaste usque ad dies Messiæ, ut dictum cap. 14. Quicquid igitur in ipso remanebat de partibus trium mundorum inferiorum, post peccatum ejus; id vocatur placenta primitialis mundi.

§. 5. Jam autem diximus capitulo præcedente, quod sex mille anni illi proveniant à quatuor personis, patre nempe & matre, nec non Microprosopo & uxore ejus, quæ sunt in singulis tribus mundis creationis nempe, formationis & factionis; quæ sunt duodecim personæ, singulæ constantes quingentis annis, ut summa sit sex mille.

§. 6. Cum igitur placenta tollitur, & velut elevatio separatur, de centum capiuntur duo, quod denotatur voce תרומה (quasi dicatur תר i. e. duo; ממאה è centum.) Placenta ergo illorum sex mille annorum efficeret 120: Adam vero non obtinebat nisi 100 saltem partes; sicut dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, quod retinuerit 100 cubitos: quæ saltem placenta est & elevatio è decem personis trium mundorum inferiorum, ita ut non meruerit placentam quoque accipere à primis duabus personis eorundem, quæ sunt pater & mater systematis creativi: sed incipiebat à Microprosopo creationis usq; ad finem mundi factivi, qui sunt 5000 anni, à quibus tantum accepit primitias.

§. 7. Notum autem omnes animas in Adamo contentas, & omnes justos in his mundis generatos fuisse membra Adami protoplastæ, ita ut singuli restituant vitium illius

membri, quod vitiaverant atque corruperant, cum adhuc dependerent ab Adamo tempore nempe peccati ejus.

§. 8. Cum autem nasceretur Mosheh, ille selectissimus erat omnium hominum, vitiumque Adami Protoplastæ magis restituit, quam ulla creatura ad ultimam nempe perfectionem usque: quare Mosheh etiam accepit placentam primitialem omnium 6000 annorum, qui sunt anni 120, quibus vixit Mosheh; cujus nomen etiam includitur voci בְּשַׂגַּם Gen. 6. v. 3. (ubi de 120 annis agitur.) Breviter, iste meruit accipere totam placentam, nempe etiam à Patre & Matre mundi creativi. Id quod etiam denotat nomen מֹשֶׁה, cujus numerus est 345, quem numerum etiam habet posttergatio seu retrogradatio Tetragrammati numerum 72 exprimentis (quæ plenitudo Patri tribuitur;) hoc modo: יוד׳ הא׳ ויו׳ הא׳ : יוד׳ הא׳ ויו׳ הא׳ יוד׳ הא׳ : יוד׳ הא׳ & anterior facies (ad Matrem relati Nominis) אלף למד הא׳ plenè scripti h. m. : הא׳ : ויו׳ הא׳ quorum illud numero suo exprimit 184 & hoc 161. quæ simul sumta sunt 345 sicut nomen מֹשֶׁה: referunturque ad Patrem & ad Matrem.

§. 9. Hinc quoque intelliges, quare dixerint Magistri nostri bonæ memoriæ, „ Mosen meritum fuisse Matrem intellectionis attingere, quoniam assecutus etiam est „ atque accepit placentam primitialem Matris creativæ. Jam vero notum est, quod Pater „ & Mater simul prodeant & simul commorentur, nec ulla inter ipsos contingat separa- „ tio, ita ut qui assequitur Matrem; etiam assequatur Patrem. In Adamo autem non remanserunt partes aliæ, nisi à placenta Microprosopi creativi usq; ad finem mundi factivi, qui sunt centum cubiti illi, in quos diminutus est, cum peccaret, ut dictum supra.

§. 10. Jam igitur ad placentam ipsam nos convertimus. Notum autem est, quod à Microprosopo creativo usque ad finem mundi factivi sint decem personæ. Notum etiam singulis personis tribui 10 numerationes, quarum singulæ iterum suam habeant Decadem numerationum. Cùm igitur deciderent illæ animæ ab Adamo protoplaste, ut dictum, submovebantur novem istæ partes inferiores singularum numerationum, & reliquæ in eo manebant partes priores nempe corona coronæ, corona Sapientiæ, corona Matris intelligendi, & sic porro usque ad coronam regni, quæ sunt 10 coronæ in persona Microprosopi creativi, & sic quoque decem coronæ in uxore ejus, adeoque sic pariter usque ad finem Mundi factivi: ita ut in decem illis personis centum sint coronæ. Centum autem sapientiæ, 100 matres intelligendi &c. ab ipso submotæ sunt & delapsæ intra cortices remanentibes in eo centum coronis tantum. Et quia notionem habent coronarum, hinc vocantur placenta mundi, atque elevatio; nimirum selectissima pars omnium. Et quia Adam protoplastes opus erat ab ipsa Dei manu fabricatum, primumq; creatorum omnium, hinc probabile satis est quod acceperit partem animarum selectissimam, ob quam etiam dicitur placenta primitialis mundi.

§. 11. Est tamen differentia quædam in istis: antequam enim peccaret Protoplastes, omnes illæ species in suis consistebant gradibus: post peccatum ejus vero descenderunt à gradibus suis: ita ut centum illæ coronæ, quæ in illo remanserant, non remanerent

rent sub notione coronarum, sed sub notione regni, quod vocatur psyche. Notum enim quod singulæ numerationes constent sua decade numerativa, & quamvis in Adamo remanerent numerationes coronarum; attamen eædem aliam non habebant lucem, nisi juxta proportionem regno debitam ante peccatum.

§. 12. Unde patet, quod duæ opiniones supradictæ sub initium hujus capitis ambæ veræ sint: quia nempe in Adamo relictæ sunt notiones coronarum, quæ pars omnium præstantissima fuerunt, quamvis alia luce non fulgerent, quàm qua regnum pollebat ante lapsum. Et quia regnum vocatur Psyche: hinc omnes vocantur Psyche (in Scriptura,) quamvis aliàs decem numerationes Microprosopi creativi vocentur Spiritus, & quæ in uxore ejus Psyche; sed omnes sub genere Mentis: atque sic quæ in formatione sub genere Spiritus, & quæ in factione sub genere Psyches: omnia nempe secundum species illas specialiores supra jam expositas, ut alia diceretur Mens de genere mentis; alia Spiritus de genere Mentis; alia Psyche de genere Mentis; alia Mens de genere Spiritus; alia Spiritus de genere Spiritus; alia Psyche de genere Spiritus; alia Mens de genere Psyches; alia Spiritus de genere Psyches; & alia Psyche de genere Psyches: quamvis generatim loquendo, omnibus competeret notio Psyches de genere singularitatis, quia omnes habebant notionem coronarum.

§. 13. Summa huc redit, quod è tribus mundis inferioribus singuli contineant quinque personas, & singulæ habeant decem numerationes; & quælibet numeratio iterum suam decadem: quodque tota species systematis emanativi semota fuerit ab Adamo Protoplaste, quæ vocatur Splendor supernus: omnes autem coronæ numerationum è tribus mundis inferioribus in illo quidem remanserint, ita tamen ut Lux quoque earum, quà talium ab ipso auferretur cum Splendore illo superno, inque illo non remaneret, nisi talis lux omnium harum coronarum, qualis antea erat in regno: omnes autem reliquæ species singularum numerationum è tribus mundis inferioribus, à Sapientia usque ad finem singularum, ab illo delapsæ sint, immersæque intra cortices: quodque ab illis maxima pars animarum in mundum veniat ab illo tempore usque ad dies Messiæ.

§. 14. Omnes autem animæ in Adamo, relictæ sub notione coronarum, vocantur Psyche Adami, quoniam diminuta fuit lux earum usque in notionem regni quod Psyche dicitur. Atque hinc dicitur Num. 9. v. 6. *Et fuerunt homines, qui immundi erant super Psyche Adami*; de quo pluribus infra.

§. 15. Post adventum Messiæ autem, & post resurrectionem mortuorum restituentur omnes illi defectus: ita ut 100 illæ coronæ iterum fulgeant sicut antea sub notione lucis coronarum, & non tantum sub luce regni. Et sic quoque omnes reliquæ animæ, quæ delapsæ fuerant ab Adamo Protoplaste, ad unam omnes redibunt in locum suum pristinum [Videatur ad Ephes. 4. v. 13.] quem habebant ante peccatum Protoplastæ; omnesque perfectæ erunt, prout fuerant, antequam Protoplastes peccaret.

Cap. XVI.

§. 1.

POstquam cap. præcedente jam expositum est, quanta fuerit excellentia Adami ante lapsum, & quomodo diminutus fuerit post lapsum: jam eandem ejusdem excellentiam, quam ante lapsum habuit aliò modo proponemus: atque deinde ad id redibimus, quid contigerit illis animabus, quæ in ipso relictæ sunt, & quæ ab ipso delapsæ fuerunt: atque sic intelligemus, quam faciem habuerint mundi ante & post lapsum Adamiticum.

Scito igitur, quod in omnibus mundis locus numerationum emanativarum, creativarum, formativarum & fabricativarum non fuerit, qualis nunc est, sed multo sublimior: cùm autem peccaret Protoplastes iidem humiliores facti sunt, atque descenderunt è loco suo pristino: quoniam per peccatum Protoplastæ, sit mihi fas ita loqui, defectum quendam passi sunt omnes mundi.

Res autem ita se habet. Illo igitur loco, ubi nunc consistit Microprosopus emanativus, tempore creationis Adami locum habebat systema creativum, ita ut 10 numerationes istius consisterent loco decem numerationum Microprosopi emanativi.

§. 2. Jam autem diximus parte secunda, quod uxor Microprosopi emanativi vocetur Daleth seu litera quaternarii, eò quod statura ejus quatuor tantum numerationes superationis, collaudationis, fundamenti, & regni in Microprosopo expleat.

§. 3. Et quia mundus formativus etiam distribuitur in decem numerationes; hinc quatuor numerationes primæ ibi locum habebant, ubi nunc consistit uxor Microprosopi emanativi.

§. 4. Si igitur quis objiceret, parte secunda dictum esse, quod gradus unus è superioribus tam magnus sit, ac sunt omnes infra ipsum detenti: sicut etiam in Sohar dicitur sectione Beschallach fol. 56. col. 2. ubi dicitur, quod ungulæ animalium sanctorum exæquarint omnia, & genua eorum corresponderint omnibus; & nates eorum erga omnia fuerint. Quæ regula certissima est in omnibus gradibus sanctitatis: adeò ut numeratio infima emanativa tam magna esset, atque omnia sub ipso detenta in omnibus tribus mundis. Quod si ita est, quomodo igitur dici poterit, quatuor primas formativas exæquare staturam uxoris emanativæ, quæ etiam habet quatuor numerationes.

§. 5. Ubi sciendum, quandocunque dicimus, quod corona tanta sit, ac omnia sub ipsa depressa, & sic quoque gradus reliqui; id non intelligatur de quantitate locali, sed de luminum excellentia; quoniam lux graduum sublimiorum omnem illam proportionem in se habet, quæ in inferioribus est. Ratione loci verò res aliter se habet. Ut enim exemplo rem declaremus è corpore humano; cerebrum sane parva est hominis particula, & tamen excellentior est toto corpore reliquo, & omnia in illo consistunt: ratione loci autem res longe aliter se habet; quia tota substantia trium cerebrorum humanorum, quæ correspondent sapientiæ, matri intelligendi, & cognitioni; locum quasi minimum occupant inter cætera corporis membra. Et id clarum est satis.

§. 6. Vi-

Schema
Pro meliore intellectu Capitis 16.

Tunc.		*Nunc.*			
	Aziluth.				
1.	Corona.				
2.	Sapientia.				
3.	Intelligentia.	Mater, Pater &c.			
4.	Benignitas.				
5.	Severitas.				
6.	Pulchritudo.				
7.	Superatio.				
8.	Gloria.				
9.	Fundamentum.				
10.	Regnum.	Seir			
0 1.	Briah.	1	0		Caput Adami.
0 2.		2	0		
0 3.		3	0		
0 4.		4	0		
0 5.		5	0		
0 6.		6	0		
0 7.		7	0		
0 8.		8	0		
0 9.		9	0		
0 10.		10	0		
0 1.	Jezirah.	1	0	Uxor	Collum & guttur, ubi Paradisus.
0 2.		2	0		
0 3.		3	0		
0 4.		4	0		
0 5.		1	0	Briah	Terra Jisraëlitica. — Corpus.
0 6.		2	0		
0 7.		3	0		
0 8.		4	0		
0 9.		5	0		
0 10.		6	0		
0 1.	Asiah.	7	0		Transjordanitica. — Corpus.
0 2.		8	0		
0 3.		9	0		
0 4.		10	0	- - - -	Syria. — Corpus.
0 5.		1	0	Jezirah	Extra terram — Pedes.
0 6.		2	0		
0 7.		3	0		
0 8.		4	0		
0 9.		5	0		
0 10.		6	0		

§. 6. Videor mihi tamen à Magistro meo aliam quoque audivisse responsionem: quod nimirum regula illa locum saltem habeat, cum omnes gradus considerantur in ordine atque loco proprio: si autem gradus inferior ascendat in sublimiorem, illum excrescere in eandem planè magnitudinem. Unde cum formatio quatuor numerationibus suis primis ascendisse dicitur in locum uxoris emanativæ, sequetur illam huic exæquatam fuisse, ita ut lux formationis tanta esset, quanta nunc est lux uxoris Microprosopi emanativi. Unde saltem quatuor primæ mundi formativi primitus ante lapsum Protoplastæ fuerunt in loco, ubi nunc est uxor emanativa, cujus statura æquiparatur quatuor numerationibus sicut dictum.

§. 7. Ut ergò redeamus ad propositum, sex inferiores formativæ tunc fuerunt illo loco, ubi nunc sunt sex priores creativæ: ita ut quatuor mundi ibi finem haberent, ubi nunc finem habent sex primæ formativæ. Unde patet, quod Microprosopus, & uxor ejus in emanatione tunc consisterent, ubi nunc sunt Pater & Mater emanationis; atque sic gradus etiam sublimiores; quod ad evitandam prolixitatem nunc ulterius non prosequemur.

§. 8. Hinc liquet, quod ubi nunc sunt quatuor inferiores formativæ, & tota decas fabricativa, tunc temporis locus fuerit vacuus atque inanis, unde factum est habitaculum corticum atque exteriorum. Quantitas autem loci istius vacui est 14 numerationum, unde dixerunt Magistri nostri p. m. propterea Deum altissimum vocari שדי, quia dixerit mundo די sufficit, quæ vox numero suo refert 14. Sensus est, Deum, cum conderet mundum i. e. quatuor illa systemata noluisse, ut extenderentur ad locum 14 illorum graduum juxta numerum vocalæ די: ut locus ille quatuordecim numerationum remaneret pro corticibus, adeoque locus ille esset mundi limes atque terminus, qui terminus die Sabbathi vetitus est: quoniam die Sabbathi mundi moderni illuc revertuntur, ubi fuerant antea, prout juvante Deo pluribus exponemus.

§. 9. Jam convertemur ad terram Jisraëliticam, Syriam Transjordaniticam atque extraneam, & similia, ut sciamus, quo loco conditus sit homo, & ubi substiterit. Sciendum igitur, ubi jam sunt sex priores creativæ, ibi tum fuisse sex ultimas formativas. A severitate autem formativa usque ad fundamentum ejusdem mundi sunt quinque numerationes atque ibi est terra Jisraëlitica. Notum enim quod in supplementis Sohar. sticis dicatur: in terram Jisraëliticam dominium habere mundum formationis, & in terras extraneas dominium habere mundum factionis.

§. 10. Quod ita intelligendum, quasi ad totum terræ orbem applicentur tres mundi inferiores localiter, sicut de illius duratione dictum est, cum ageretur de 6000 annis cap. 14. Dixerunt autem Magistri nostri bonæ memoriæ! terram Jisraëliticam consistere in medio terræ habitatæ, quod intelligendum respectu mundi formativi, qui medium locum habet inter tres mundos inferiores.

§. 11. Ultima autem numeratio formativa, quæ est regnum sive uxor Microprosopica formativa, ubi nunc locum habet sexta numeratio creationis, vocatur Transjordanitica, ubi habitabant Rubenitæ, Gadditæ, & dimidia tribus Menasche: ad hanc, inquam, pertinet regnum formativum cum tribus prioribus factivis temporis pristini, ubi nunc locantur sexta, septima, octava & nona creationis: hæc portio, inquam, dicitur Transjordanitica; Quamvis enim nunc fundamentum hujus nominis sit in creatione: tunc tamen incipiebat à regno formativo.

§. 12. Quodque jam dicitur regnum creativum, illuc refertur Syria, quæ quoad excellentiam minor est Transjordanitica. Sicut ergo regnum formativum temporis pristini Transjordaniticam designat, ita regnum creativum modernum vocatur Syria.

§. 13. Sex autem numerationes ultimæ temporis pristini, quæ jam sunt sex priores formativæ, vocantur terra extranea, quoniam ibidem olim fuit notio mundi factivi; Supra autem diximus in terras extraneas dominium habere mundum formativum.

§. 14. His præmissis nunc explicabimus illud, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: nempe Adami protoplastæ Corpus creatum esse è terra Israëlitica; sed natos ejus è terris extraneis, ubi sunt Babel & Akra, de Agmi. Supra enim jam exposuimus Cap. 14. Quod Adam in se comprehenderit tres mundos inferiores: juxta hoc dictum autem conditus tantum videri posset de mundo factionis: Cum tamen de eo etiam dixerint Magistri nostri, quod orbiculus calcanei ejus obfuscaverit orbem Solis: quodque Angeli coram illo procumbere voluerint, eundem ut Deum veneraturi. Si igitur corpus ejus tantum de mundo factivo creatum est, quomodo hæc fieri potuerunt? Adde quod nisi peccasset non fuisset moriturus. Quomodo igitur corpus tale ex tali materialitate creatum subsistere potuisset in annum.

§. 15. Res autem sic exponitur: quod nempe Caput Adami fuerit de mundo creationis status pristini, ubi nunc est Microprosopus emanativus, ut dictum supra. Jam enim notum est, quod mundus creativus vocetur caput: sicut dicitur in Sohar sectione Vajerah fol. 113. c. 1. in Midrasch Hanneelam ad locum Cant. VII, 5. *Caput tuum supra te veluti Sylva Carmel:* quod nempe per caput intelligatur thronus gloriæ. Et sic etiam in supplementis dicitur per vocalem אשר, quæ per metathesin est ראש seu caput, intelligi matrem superna.

§. 16. Guttur ergo & collum Adami protoplastæ fuerunt in quatuor primis mundi formativi pristini, ubi nunc est uxor Microprosopi emanativi: & hic locus vocatus hortus Eden sive Paradisus.

§. 17. Sed corpus Adami fuit in sex inferioribus formativis & in quatuor prioribus factivis pristinis, ubi nunc sunt decem numerationes, creationes: Ita ut mundus creationis modernus dividatur in duas partes, nempe etiam sex & in quatuor numerationes, sicut in corpore hominis, ubi locari dicitur Tiphereth seu pulchritudo & diaphragma, quod illud dividit in duas partes: ubi pars superna dicitur locus occultatus, sicut exposuimus in dissertatione de Binah. & Thebunah parte secunda: Pars autem inferior, quæ incipit

incipit à Tiphereth & porro deorsum pergit, dicitur locus manifestus. Hinc patet, quod portio superior, in qua sunt sex numerationes inferiores formativæ status pristini, vocetur terra Jisraëlis, sicut dictum supra. Et hùc respiciunt Magistri nostri, quum dicunt, quod corpus Adami fuerit de terra Jisraëlis: cùm notum jam sit, quod corpus designetur per literam Vav; litera Vav autem pertinet ad mundum formativum & sex inferiores istius mundi, ut dictum supra.

§. 18. Sed à medietate corporis & porro deorsum corpus ejus spectabat ad quatuor primas Mundi factivi pristini, quæ nunc sunt quatuor ultimæ creativæ; vocanturq; transjordanitica & Syria, ut dictum supra.

§. 19. Pedes igitur Adami spectant ad sex inferiores mundi factivi pristini, quæ nunc sunt sex primæ formativæ, & vocantur terræ extraneæ: unde dicuntur desumpti pedes protoplastæ in dicto illo Magistri nostri p. m.

§. 20. Quia autem pedes dividuntur in tres articulationes, unde liquet quomodo duæ articulationes suprema, quibus pedes annectuntur corpori, quæque vocantur posteriora hominis, referantur ad terram Babel & Akra de Agnir, quæ sunt loca profundiora & propinqua satis terræ Jisraëliticæ, sicut nates proximè adjacent corpori, quod terra Israëlitica dicitur, prout dixerunt Magistri nostri p. m. Ad locum Thren. III, 9. *Circumsepsit vias meas lapide exciso.* Quod etiam patet è Talmude Hierosolymitano; & adhuc clarius ex historia illa, de quodam, cui, cum araret, aufugit vacca sua usque in Babel, quam insecutus sit una die: ubi cùm voluisset reverti, viam reperire non potuerit.

§. 21. Quatuor reliquæ articulationes inferiores duorum pedum Adami longius protrahuntur in terras alias remotas usque ad finem sex inferiorum factivarum status pristini, ubi jam sunt sex primæ formativæ, ut dictum supra.

§. 22. Hinc jam liquet, quomodo protoplastes in se comprehenderit totum hunc mundum à terra nimirum Israëlitica usque ad Babelicam & porro: Item quod tres mundi inferiores omnes in illo fuerint juxta statum suum pristinum, quamvis longè fuerint altiores quam nunc. Unde satis intelligi potest excellentia Adami protoplastæ, in qua conditus fuit etiam quoad corpus ejus: unde etiam Angeli Regem eundem supra se constituere voluerunt & calcanei ejus obtenebrarunt Orbem solarem. Patetque, quomodo cum conderetur, Caput ejus gutturque & collum fuerit in Paradiso; & corpus ejus in reliquo mundi tractu.

Cap. XVII.

§. 1.

Postquam jam exposuimus gradus mundorum, quo tempore condebatur Adam, nec non excellentiam ipsius sub statu integritatis, jam porro sciendum, quod non omnia tempora sint æqualia, sed in plura minuta subdividenda. Hæc enim quæ diximus de eo tempore intelligenda sunt cum crearetur,

§. 2. Post-

§. 2. Postmodum vero, cum scriptura dicit Gen. II, 15. *Et accepit Deus hominem, & posuit eum in horto Eden.* Tunc novum additamentum excellentiæ in ipso apparet, præ statu illo, in quo creatus erat.

§. 3. Alia deinde subsequuntur tempora postquam peccasset, penitusque expulsus esset è Paradiso. Et similes temporum differentiæ dantur plures, de quibus in sequentibus. Et huc pertinent, quæ dixi in Tract. de Sabbatho; quod nempe plurimæ sint mutationes & ascensiones mundorum.

§. 4. Cum enim Adam creatus esset tempore matutino diei sextæ, quæ erat parasceve: Tunc mundi in illo statu erant, de quo diximus Cap. præcedenti. Jam verò notum tibi, quod commentati sumus in Gen. I, 31. *Et fuit vespera & fuit manè dies* יום ששי *sextus*; ubi litera ה abundat, quia non adhibita fuit in denominatione cæterarum dierum. Et hoc ipso denotatur, quod hora quinta Parasceves supradictæ, quæ denotatur per ה istud abundans, major superaddita sit mundo sanctitas; mundique inceperint in sublimiores gradus ascendere.

§. 5. Sic porrò eâdem Parasceve inter vesperas, quod tempus numeratur inter annexa Sabbathi, ulterior fiebat ascensio mundorum ad loca sublimiora prioribus.

§. 6. Sic porro nocte Sabbathinâ in ulteriores gradus ascenderunt, quia tunc verum est Sabbathum.

§. 7. Sic circa diluculum & circa vesperam, nec non circa additamentum Sabbathinum, ubi summa fuit ascensio, quantò nimirum mundi opus habent gradu.

§. 8. Sciendum igitur, ut rectiùs hæc intelligantur, omnes mundos tàm emanativum quàm creativum, formativum atque factivum, ortum habere è secretione illa, & quasi liquefactione in septem Regibus facta, ubi quia non omnes scoriæ plenè separatæ sunt, mundi descenderunt è loco emanativo, atque proprio singulis, ita ut extremitas descensus eorum illo loco esset, ubi nunc subsistunt: Ultima autem perfectio ascensus eorum est locus ille à quo emanârunt, sicut expositum est parte quarta; quod nempe mundus emanativus incipiat à præcordiis Adami prioris, & postmodum reliqui mundi gradatim subsequantur. Unde nunc à nobis requiritur, ut mundos elevemus in ordinem suum primævum supra dictum, ita ut mundus emanativus totus redeat ad præcordia Adami summi usque ad pedes ejus; & post eum mundi sequentes, prout fuerunt tempore emanationis suæ.

§. 9. Jam ergo tradidimus, quod tempore creati Adami mundus formativus inciperet illo loco ubi jam est Microprosopus emanativus; mundusque factivus finem haberet, ubi finitur numeratio sexta formativa moderna: ita ut quatuordecim numerationes vacuæ remanserint, ubi habitaculum esset corticum. Quodque tunc Adam Protoplastes caput gutturque suum habuerit in Paradiso; corpus suum in terra Jisraëlitica, & pedes extra, in terris extraneis.

§. 10. Postquam autem creatus esset Adam Protoplastes, Deus benedictus eundem inseruisse Paradiso, quæ sunt quatuor numerationes priores formativæ status pristini. Ubi ordo ascensionis ita procedebat, ut Microprosopus ascenderet in locum Macroprosopi emanativi.

§. 11. De iis autem quæ supra Microprosopum fuerunt, jam sermo nobis non est, sapienti enim satis perspicuus erit ordo graduum illorum. Microprosopus igitur tum temporis major fiebat, ut esset Macroprosopus.

Et uxor Microprosopi emanativa ascendebat in locum Patris, juxta illud Proverb. 3. v. 19. *Dominus in sapientia fundavit terram.* Quoniam in Patre fundavit filiam. Et huc quoque pertinet locus Exod. 31. v. 14. *Et custodietis Sabbathum, quia sanctitas ipsa est vobis.* Notum enim, quod sanctitas pertineat ad sapientiam. Adhibetur autem particula אֶהְיֶה ipsa est sanctitas, i. e. uxor facta est sanctitas sive Pater, & non dicit אֶהְיֶה ipse, quia sic intelligi potuisset Microprosopus; quod fieri non debet: quia Microprosopus ascenderat usque in locum Macroprosopi emanativi, & Uxor ejus in locum Patris. Porro autem mundus creativus in locum Matris ascenderat: sicut notum est, quod Mater sedem suam habeat in Throno, (i. e. mundo creativo.) Et formatio ascenderat in locum Microprosopi, prout notum est, quod Microprosopus sedem habeat in formatione. Et mundus factivus, qui decem habet numerationes secundum quatuor suas priores, ascenderat in locum uxoris emanativæ, nempe post formationem, ut dictum cap. 16: Staturam nempe uxoris continere quatuor numerationes tantum. Notumque est, quod regnum sedem habeat in rota. (i. e. mundo factivo.) Sex autem inferiores mundi factivi ascenderant in locum sex primarum creativarum. Unde patet, quod totum corpus Adami protoplastæ, nempe medietas quoque illius inferior inclusum fuerit intra Paradisum, ita ut nihil extra Paradisum remanserit, qui est locus uxoris emanativæ, nisi tantum pedes ejus, qui consistebant locò sex priorum creativarum.

§. 12. Sex autem inferiores mundi factivi, quæ remanserant extra emanationem, à Magistris nostris bonæ memoriæ vocantur uterus prægnans seu propugnaculum civitatis: quia sex istæ inferiores mundi factivi exteriora versus prominent ad instar fœminæ prægnantis, cujus uterus extra corpus ejus prominet.

§. 13. Illo ergo tempore, cum conderetur Adam Protoplastes, locus vacuus erat pro corticibus, quantum 24 numerationes occupant, quæ sunt 4 inferiores mundi creationis, & 10 formationis, & 10 factionis. Atque hoc est mysterium limitis Sabbathici nempe bis mille cubitorum. Atque hæc omnia contigerunt post horam quintam Parasceves, quæ denotatur per He abundans loci citati.

§. 14. Vespera igitur Sabbathi inter vesperas, quod nempe tempus est augmenti Sabbathini, adhuc sublimius elevati sunt omnes mundi, ita ut omnes continerentur & finirentur termino systematis emanativi moderni. Quod ut rectius intelligas, meminiris eorum, quæ diximus part. 3. de Microprosopo, quod duas habeat à tergo suo uxores junctis tergis ipsi adhærentes, Leam nempe & Rachelem: ita ut pedes Leæ insistant capiti Rachelis: & caput Rachelis incipiat circa partem posticam cordis Microprosopi. Unde patet, quod Rachel, quæ Regnum vocatur, & vera est uxor Microprosopi, junctis tergis ipsi adhærens, majorem non habeat locum pro statura sua, nisi quatuor numerationes, quæ sunt superatio, gloria, fundamentum & regnum Microprosopi tantùm; adeoque statura ejus sit exigua.

§. 15. Quan-

§. 15. Quando autem junctis faciebus eidem obvertitur, tunc excrescere potest proportione staturæ suæ in decem numerationes plenarias.

Eadem igitur & hic fuit ratio, quoniam jam notum est, quod mundus formativus & factivus revera correspondeant Microprosopo & uxori ejus: quoniam Microprosopus sedem habet in animali (i. e. mundo formativo), & uxor in rota (Ezech. 1. v. 15. i. e. in mundo factivo). Patet ergo, quod die Parasceves post horam quintam ascenderit mundus factivus, quæ est uxor respectu Microprosopi sive mundi formativi; & elevata sit post tergum mundi formativi: quoniam mundus formativus locum sortiebatur Microprosopi emanativi; & mundus factivus sortiebatur locum uxoris emanativæ.

§. 16. Et sicut uxor emanativa, quando junctis tergis adhæret Microprosopo, non potest extendi nisi quatuor saltem numerationibus, sicut dictum est; ita è mundo factivo non ascendebant nisi tantum quatuor primæ. Sed cum veniret tempus augmenti Sabbathini inter vesperas, sicut dictum, tunc è virtute augmenti Sabbathini mundus factivus converti potuit ad formativum faciebus junctis: atque sic tota factio continebatur intra locum systematis emanativi: ita ut omnes tres mundi inferiores jam essent perfectè sancti.

§. 17. Patet igitur, quod tunc locus maneret vacuus atque inanis, quanta esset proportio trium mundorum inferiorum. Atque omnia hæc illo tempore fiebant à seipso citra opem Adami protoplastæ; ita ut neutiquam opus esset opere quodam humano vel precibus ejus. Quod si autem Adam preces suas fudisset nocte Sabbathina, precationem nempe vespertinam, causari potuisset operibus precibusque suis, ut mundi adhuc ascendissent altiùs, inque gradus sublimiores.

§. 18. Et sic quoque, si preces fudisset tempore matutino & pomeridiano & vespertino diei Sabbathi, mundi adhuc sublimius ascendissent; quoniam omnes preces & ascensiones illæ diversæ sunt, & altius semper aspirant, donec tandem tempore pomeridiano diei Sabbathi per preces suas mundi in summum usque gradum elevati essent, nimirum in locum suum pristinum. de quo supra, ut nimirum mundus emanationis circa præcordia Adami summi locum suum invenisset, ubi gradus est supremus omnium, ejusque radix ultra quam scandi nequit.

§. 19. Neq; jam locus est describendi in specie omnes gradus ascendendi, & quomodo per singulas preces promoti fuerint. Sufficiat enim breviter dixisse, quod tempore pomeridiano cum sacrificium vespertinum offertur, ascenderint usque ad radicem suam, locumque genuinum.

§. 20. Quamvis autem dixerimus, hæc ita fieri debuisse; revera tamen facta non sunt: nam tunc solum, si Adam non peccasset, sic ascendissent mundi, donec emanatio pervenisset ad Adamum primum usque, sicut dictum est.

§. 21. Omne autem quod revera factum est, in hoc consistit, quod nempe cum crearetur Adam, mundus creationis ibi fuerit, ubi nunc est Microprosopus emanationis: & post creationem ejus ab hora quinta & ulteriùs porrò sic ascenderint mundi, ut

Microprosopus venerit in locum Macroprosopi; & sex inferiores mundi factionis illo loco remanserint, ubi sunt sex priores creativæ juxta mysterium protuberantiæ civitatis.

§. 22. Quod si vero non peccasset Protoplastes, mundus quoque factivus conversus esset de facie ad faciem ad mundum formativum; ita ut omnes tres mundi inferiores omnino pervenissent in systema emanativum. Atque deinceps per preces Adami mundi semper ulterius ascendissent usque ad radicem suam genuinam, de qua supra.

§. 23. Quoniam autem peccavit protoplastes, in causa fuit, quod non ascenderint ulterius, nec facies ad faciem converterint mundus factivus & formativus: sed potius eo usque descenderunt de gradu suo, donec pervenerint ad locum hunc depressum, in quo nunc subsistunt, destructa domo sanctuarii: quia mundus creationis multo depressior est, quam mundus emanativus, & adhuc inferior mundus formativus, nedum creativus.

Cap. XVIII.

§. 1.

Postquam jam deductum est, quis fuerit mundorum status ante peccatum Adami Protoplastæ: jam ulterius explicabimus, quomodo substiterint post peccatum Adami. Omnes enim descenderunt etiam è loco illo, in quo consistebant tempore creationis Protoplastæ: nec sufficit, quod non altius ascenderint; sed tota creatio è loco emanationis descendit, & eâdem adhuc inferior est formatio, nedum fabricatio: ita ut omnis locus trium illorum mundorum, qui vacuus erat atque inanis pro corticibus, ut nimirum hi eo remotiores essent a sanctitate, expletus sit, & nihil remanserit vacui.

§. 2. Sique accuratè examinaveris corticum locum genuinum, proportio ejus reperietur 14 numerationum; quæ sunt 4 ultimæ mundi formativi, & 10 mundi fabricativi; quantus erat tempore creationis Protoplastæ. Verum enim verò postquam Adamus à Deo introductus esset in Paradisum, locus ille vacuus proportionem accipiebat 24 Numerationum, quæ sunt 4 ultimæ systematis creativi, & 10 mundi formativi, totidemque factivi, ut dictum supra.

§. 3. Atque tunc non omnino implebatur vacuum hoc spatium à corticibus: quoniam verus corticum locus major non est, quam primævus ille proportionis 14 numerationum. Verum enim verò mysterium in eo consistit, ut alibi quoque exposuimus; quod nempe arbor cognitionis boni & mali fuerit in formationis systemate, nempe à medietate pulchritudinis, & porrò deorsum. Quod probè notandum. In reliqua vero parte superiori, quamvis & ipsa esset vacua, nulli tamen cortices erant: sed inibi nil erat nisi substantia illa, quæ est inter sanctitatē & inter cortices omnino vacua; præterquam quod inibi inter sanctitatem & cortices vestigium aliquod esset sanctitatis, quæ ibi extiterat primitus antequam abhinc ascenderet. Atque hic locus vocatur limes Sabbathinus, quia eo usque progredi licet. Unde patet, locum corticum ab initio saltem

saltem 14 numerationes exæquasse, quæ sunt quatuor infimæ formationis, & 10 fabricationis.

§. 4. Atque hinc intelliges, quare in Tikkunim seu supplementis dicatur, mundum factionis esse locum corticum. Et sic quoque in Sohar tract. Raja Mehimna sect. Bo fol. 43. col. 1: Ubi postquam enumerantur 10 numerationes; & 10 gradus throni; & 10 catervæ angelorum, quæ sunt mundus formativus; porrò inquit; atque istis sui sunt servi; quo pertinent Samael & omnes exercitus ejus. Atque ibi locum habet mundus factivus. Quod probè convenit cum eo, quod diximus, nempe de mundo fabricativo intelligendum esse locum illum: Prov. 5. v. 5. *Pedes ejus descendunt in mortem*: & illum totum intra cortices hærere: Cum mundus formativus, qui masculinus est, & refertur ad Microprosopum, nihil habeat intra cortices, nisi pedes tantum. Unde Scriptura inquit Cant. 5. v 3. *Lavi pedes meos, quomodo illos inquinabo.* Unde de Jacobo, qui designavit mundum formativum & literam Vav nominis Tetragrammati, dicitur Gen. 49. v. 33. *Et collegit pedes suos ad lectum, cum moriturus esset*: nec voluit, ut cortices, qui vocantur mors, haberent dominium in pedes ejus: unde retraxit eos, eosque sursum elevavit. Quo etiam pertinet prohibitio termini Sabbathici, quod nempe egredi non liceat extra limitem, quoniam aliàs, diebus profestis, superatio, gloria, & fundamentum, qui pedes sunt mundi formativi in locum corticum descendunt: Sabbatho autem cum mundi elevantur, in sublime tolluntur, ne pedes illi in externis corticibus maneant, prout hoc exposuimus in meditationibus de Sabbatho.

§. 5. Jamque excellentiam Adami Protoplastæ, quam habuit ante lapsum, sitis intelliges: quoniam major erat, quam nunc est Metatron: quia caput Protoplastæ in systemate creativo erat, ubi nunc Microprosopus emanativus extat: & gutturatque collum ejus in quatuor primis mundi formationis erant, qui locus dicitur hortus Eden: corpus autem consistebat in sex ultimis formativis, quæ vocantur terra Jisraëlis superior: ubi nunc sunt sex primæ creativæ. Et pedes ejus ad sex ultimas mundi factiones pertinebant, ubi nunc sunt sex primæ formationis.

§. 6. Jam vero postquam peccavit, totum corpus ejus tantum ad inferiora mundi factionis moderna pertinet, corpus nempe ejus ad terram Jisraëlis materialem: & pedes ejus ad terras extraneas, ut dictum est: unde patet, quomodo de cœlo lapsus sit Lucifer iste auroræ filius. Jes. 14. v. 12.

§. 7. Quamvis autem dixerimus, quod Metatron pertineat ad mundum formativum: id tamen non intelligendum secundum literam: sed caput ejus in mundo creativo est; corpus autem, quæ sunt 6. extremitates ejus juxta numerum literarum nominis משמרת, est in mundo formationis & pedes ejus in mundo factionis: idemque planè eidem evenit, quod Protoplastæ ante lapsum; cujus statura extendebatur per omnes tres mundos inferiores.

§. 8. Magna tamen inter eos est differentia. Quoniam Adam Protoplastes statura sua tria hæc systemata comprehendit, quatenus surſum ascenderant, ut supra dictum est; quod nempe mundus creativus ascenderit in locum Microprosopi emanativi, & sic porro, ut supra dictum est, quæ erat excellentia infinities admiranda. Sed Metatron, quamvis eosdem tres mundos contingat, sicut Protoplastes, id tamen eatenus saltem fit, quatenus descenderunt in locum corticum; ubi lumen illorum post hunc illorum descensum atque lapsum in extremum usque gradum diminutum est.

§. 9. Alia quoque hic occurrit diversitas: quia tota illa excellentia Protoplastæ competebat illo tempore, quo creabatur, antequam nimirum præceptum accepisset de fundendis precibus, & colenda terra. Sicut dictum est Gen. 2. v. 15. *Ut eundem coleret & custodiret.* Posthac enim per preces mundos admirandis modis extollere potuisset, ut dictum supra cap. 17.

§. 10. Hic autem scienda est ratio, quare Metatron, qui est Chanoch, dignus fuerit, tres mundos consequi inferiores; etiamsi non in illo gradu, de quo dictum supra? nimirum, quia splendorem illum supernum, quem perdebat Adam Protoplastes, cum peccaret, accepit Chanoch: & propterea Chanoch dignus fuit eâdem hac excellentia.

§. 11. Quod ut eò rectius intelligas, breviter hic explicabo locum quendam è Sohar sectione Kedoschim fol. 83. col. 1. in Tract. Raja Mehimna: cujus verba sunt hæc: *Corpus Adami Protoplastæ, quamvis de pulvere fuit, non tamen fuit de pulvere terreno, sed de pulvere templi superni,* &c. Et porrò: *Adam de isto mundo nihil omnino habuit,* &c.

§. 12. Sensus breviter hic est, quod tempore creationis pulvis ejus desumtus non fuerit de sanctuario hoc inferiore istius mundi: sed de pulvere sanctuarii superioris, per quod mysticè intelliguntur tres mundi inferiores secundum statum supradictum. Unde etiam dicitur, quod nullo modo fuerit de hoc mundo: *sed quod justus quidam congressus fuerit cum uxore sua:* id est mysterium Microprosopi & uxoris ejus de mundo emanativo, qui copulam illam maritalem perfecit, ut conderetur Adam, quæ est tota coagmentatio trium mundorum inferiorum sub emanatione contentorum, *Factumque est corpus aliquod, cujus splendor major fuit, quam omnium Angelorum supernorum,* i. e. non tantum caput ejus fuisse de mundo creativo; sed & corpus ejus fuisse de mundo formativo, qui vocatur mundus Angelorum, sicut notum est. Et quoniam mundus formativus tunc temporis longè sublimior erat eò loco, ubi nunc est; hinc patet, quod corpus ejus splendidius fuerit, quam omnes isti Angeli, quamvis etiam sint de mundo formativo. *Sed quia peccavit, obtenebratus & diminutus est penitus* &c. Sensus est, quod primo quidem tam magnus fuerit, ut statura ejus extenderetur per omnes tres mundos, creativum, formativum, & factivum: deinde autem diminuerit seipsum, quia nempe membra ejus ab ipso delapsa sunt, ut dictum supra cap. 14. Hinc etiam dicitur, quod tenebris obductus sit, ut indicetur mundos delapsos esse deorsum, & lumine suo pristino privatos, ut dictum supra. *Atque tunc opus*

opus habuit corpore alio, quod è cute est atque carne. Quod est corpus materiale illud, quod ab hoc mundo accepit, sicut scriptum est: Gen. 3. v. 21. *Et fecit ipsis Deus tunicas de pellibus.* Per illas enim tunicas pelliceas mysticè intelligitur corpus hoc brutale, quod nunc habemus post peccatum: quod probè notes. Antehac enim non erant pelliceæ & materiales istæ tunicæ. *Donec veniret Chanoch.* Sensus est, quod Chanoch, cum veniret, acceperit splendorem illum supernum Adami Protoplastæ; & propterea factus sit angelus Metatron. Ubi nihilominus tamen minor quoque intelligitur, quod sequitur, *tali copula maritali, quam exercebat justus ille cum uxore sua, non inventa fuit similis, nec antea nec postmodum.* Id est, quamvis postea veniret Chanoch; nihilominus Adamo Protoplastæ non erat similis, dum esset in statu integritatis.

§. 13. Hinc quoque intelligitur illud, quod scribitur in Sohar sectione Veethchanan fol. 223. *Arbor quadam magna atque insignis insita est & copulata cum fronde quadam pulchra* &c. Ubi intelligitur Microprosopus & uxor ejus de mundo emanationis cum copularentur ad producendum corpus Adami, quod in se continebat tres mundos sub Microprosopo & uxore ejus è mundo emanativo contentos. *Produxit spiritum quendam occultum* &c. hoc est, mysterium illius splendoris superni, quæ sunt Psyche, Spiritus & Mens emanativæ, ut dictum supra. *Et per hunc regem eum constituit super omnem mundum.* Qui sunt tres mundi, creativus, formativus & factivus, ut dictum supra; cum ageretur de 6000 illis annis. *Et præfecturam accepit super illam arborem* &c. *postquam autem peccavit; Rex illum spiritum iterum ad se recepit,* i. e. abstulit ab eo splendorem illum supernum; qui reconditus fuit in fœminam emanativam, quod ipsum est, quod porro inquit: *Et animal illud accepit eum.* Notum enim, quod ipsa vocetur (animal, nec non) manus: & ibi est depositio spirituum, unde dicitur: Psal. 31. v. 6. *In manum tuam commendo spiritum meum. Tunc præparavit vas aliud, illudque posuit inter angelos sanctos.* Ubi mysticè intelligitur Chanoch, qui accepit splendorem illum, ut perfectè commorari posset inter illos angelos mundi formativi: & per illum splendorem factus est rex super eosdem: sicut notum est, quod Metatron mysticè denotet Regem Angelorum, ut dicitur in supplementis: & in Sohar sectione Veetchannan, ubi dicitur: *& regem constituit eum super mundum* &c. Porrò sequitur loco citato: *Extracta fuit potestas* i. e. splendor ille supernus *de illo vase*, quod est corpus Adami materiale, quod vocatur nomine tunicarum pellicearum. Hinc pergit: *De illo vase vestimenta: & postmodum absconde batur in pulvere.* Quia enim corpus illud erat materiale, hinc morti subjectum erat & sepulturæ, ut ibi purificaretur, ut notum est. Atque sic capitulis his præcedentibus materiam hanc insignem de excellentia Adami ante lapsum satis explicuimus.

CAP.

Cap. XIX.

§. 1.

IAm ad id convertemur, quod promisimus sub finem cap. 13. quæ nimirum sit ratio illarum animarum, quæ ablatæ sunt ab Adamo, & quæ in illo remanserunt. Sed quia ibi jam expositum est, quod omnis species animarum, quæ de mundo emanativo est, vocetur splendor supernus, sicut etiam dicitur in Sohar Cantici Canticorum: Iste splendor supernus autem ab Adamo recessit; cum constaret è Psyche, spiritu, mente & mentis mente, quæ sunt regnum, Microprosopus, mater intelligendi & sapientia. Hinc autem sciendum est, quod omnia lumina sibi invicem involvantur, ut unum quasi sit vestimentum alterius à gradu summo usque ad imum, sicut dictum est part. 2.

§. 2. Unde patet, quod Mens mentis emanativa vestiatur & involvatur usque ad finem mundi factivi. Et eam superintegit Mens emanativa, quæ etiam involuta est usque ad finem mundi factivi, atque sic porro quoque Spiritus & Psyche: quæ suo quidem loco incipiunt, sed cum fine demum mundi factivi finiuntur, ita ut gradus unus sit vestimentum alterius. Et in omni lumine, & numeratione & membro continentur omnes illæ species splendoris superni secundum omnes suas particularitates. Eodemque modo se habent Mens, Spiritus & Psyche trium mundorum inferiorum, quod planum est per se.

§. 3. Quamvis ergo dixerimus, hunc vel illum quandoque assequi posse splendorem supernum, quandoque mentem, vel spiritum, vel Psychen, &c. id tamen intelligendum est secundum hanc ipsam speciem, in qua quisque est, & secundum locum ejus debitum, quod notandum est quàm maximè.

§. 4. Scito etiam, quod Mens mentis de splendore superno nondum data fuerit ulli creaturarum in mundo: quodque rex Meschiach saltem eandem aliquando acceptarus sit. Unde de illo dicitur Jesa. 52, v. 13. *Ecce servus meus prudenter aget, servum meum elevabitur & extolletur* &c. Ubi dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Extolletur plus quam Abraham, & plus quam Adam Protoplastes post peccatum suum: sublimior enim quam Adam Protoplastes ante lapsum suum fieri non potest: quia Protoplastes usque ad sapientiam & mentis mentem pertigit cum omnibus reliquis usque ad speciem Psyches. Moscheh autem tantum Spiritum & Mentem accepit de splendore superno, quæ saltem est notio Daath seu cognitionis: Jamque notum est antea, quod ille in specie vestitus fuerit per posteriora fundamenti intelligentiæ, ut dictum part. 2. ad dictum illud Ex. 33, v. 23. *Posteriora mea videbis.* Et huc pertinet mysticum illud, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ in Mischnah: si nulla est cognitio, nulla est Binah seu informatio; & si nulla est informatio, nulla est cognitio. Patet ergò, quod radix Mosis fuerit Daath seu cognitio, nisi quod dignus quoque fuerit posterioribus de Binah. Unde mirum tibi videri non debet, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Mirum tibi videri non debet, Mosen dignum fuisse gradu Intelligentiæ juxta notionem scil. mentis. Mentis igitur mentem, quam non assecutus est Moses, assequetur Rex Messias.

§. 5. Et hoc ipsum est, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: quod nempe Moses ipse futurus sit Messias, juxta dictum illud Mich. 7. v. 15. *Sicut in diebus exodi ex Egypto exhibebo illi miracula.* Quo etiam pertinet dictum illud Gen. 49. v. 10. *Donec veniat* שילה; hæc enim vox Schiloh eundem numerum habet ac משה: Nisi quod tunc gradum adhuc assequetur sublimiorem, Mentis nempe mentem.

§. 6. Porro etiam jam notum est de omnibus illis, de quibus diximus, quod digni fuerint sive mente, sive cognitione, sive spiritu, sive Psyche mundi emanativi, quod illis omnino incipiendum sit ab imo, nempe à fine mundi factionis usque ad dictam illam speciem, nimirum secundum mysterium graduum. Quoniam impossibile est, adipisci superius citra inferius.

§. 7. Quare autem Kain & Hebel acceperint Psychen emanativam, & animæ Patriarcharum fundamentum quoque habuerint in emanatione, nimirum quoad spiritum, qui est Microprosopus emanativus, ita ut Abraham ad benignitatem; Jitzchak ad severitatem; Jaacob ad pulchritudinem; & Moscheh ad cognitionem applicentur; de his infra sequentur plura.

§. 8. Adam verò omnia in se continuit; benignitatem nempe, severitatem, pulchritudinem & regnum; omnia inquam simul. Notionem mentis autem de splendore superno accepit Chanoch, eaque dignus factus est: unde postmodum evasit in Angelum; estque Metatron rex omnium Angelorum, ut dictum est cap. 18. Unde hæc species vocatur Dominus mundi: sicut dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ ad locum illum Psal. 104, v. 31. *Sit gloria Domino in æternum.* Quod nempe eundem versum dixerit Dominus mundi. Ubi quoque dicunt, quod vox לעולם pertineat ad emanationem. Unde ipse sit Princeps mundi, i. e. illius systematis, quod in se continet tres mundos inferiores, de quo exposuimus dictum illud de 6000 annis supra cap. 14. Unde quoque dominium habet in omnes mundos.

§. 9. Jamque notum est, quod Mens Adami in specie, quæ de emanatione erat, major fuerit angelis, ut dictum supra, (unde mens illa super omnes mundos dominium habuit.)

§. 10. Hic autem respondendum est ad objectionem aliquam notabilem à Philosophis gentilibus factam; quomodo nempe dici queat Chanochum esse Metatronem? cum concipi nequeat, quis tempore illo, cum in mundo esset, mundi Dominus fuerit? Responsio autè peti potest ex illis, quæ adducuntur in Sohar sect. Noach in Tosiphthah: quod nempe quilibet justus duos habeat spiritus, unum inferius, & unum superius: quo pertinet mysticum illud, cum nomen aliquod in sacris bis vocatur, ut Abraham; Abraham: Moscheh; Moscheh &c. Ille igitur spiritus Chanochi, qui superius erat, tum temporis erat Princeps mundi, & ille vocatur Metatron: postmodum autem iste spiritus ejus inferior ascendit, & associatus fuit superiori. Quod probe notandum.

§. 11. Spiritus autem splendoris superni de mundo emanativo traditus fuit Eliæ Prophetæ, juxta illud 2. Reg. 2, 15. *Quievit spiritus Eliahu super Elischa.* Unde & ipse factus est angelus in cœlo, sicut Chanoch.

§. 12. Psychen autem emanativam de splendore illo superno Adam hæreditario tradidit Caino & Hebeli filiis suis. Notum enim, quod Adam prius peccaverit, quam nati sint Cain & Hebel: unde postmodum virtute Psyches emanativæ prodierunt Cain & Hebel, ut dictum cap. 14. Ut nempe restituerent aliquid de peccato Adami, quo permixtum est bono malum. Quare Cain & Hebel constabant è bono & malo spurcitiei serpentinæ, ut paulo post dicetur.

§. 13. Datur tamen species alia, quæ relicta est in Adamo ipso, unde nimirum prodierunt Patriarchæ, ut dictum supra Cap. 14. Omnes vero reliquæ animæ delapsæ sunt ab Adamo & immersæ sunt corticibus, ut supra dictum Cap. 12, & 13. Et ab illis proveniunt omnes quasi animæ omnium hominum in mundo.

§. 14. Ex brevissima hac declaratione liquet, nullam dari animam, quæ non in se contineat omnes gradus ab psyche factiva usque ad singularem emanativam: ita tamen, ut acquiri non possit superior, donec acquisita sit inferior.

§. 15. Porro etiam animæ dantur novæ, quæ non contentæ fuerunt in Adamo: & dividuntur in duas species, quarum una est earum, quæ sunt de mundo emanationis: quæ non venient in mundum nisi post resurrectionem. Et altera est earum, quæ fuerunt de tribus mundis inferioribus, quæ tamen etiam delapsæ sunt intra cortices per peccatum protoplastæ & prodire possunt in mundum hunc.

§. 16. Porro tandem aliæ dantur animæ, quæ in protoplaste comprehensæ erant, quæ etiam dividuntur in plures species. Quoniam species splendoris supernide emanatione non immersæ fuerunt corticibus, sed tantum secesserunt ab Adamo. Atque hinc mens data est Chanocho; & Spiritus Eliæ; & psyche Caino & Hebeli. In altera specierum nempe mundorum inferiorum etiam certæ sunt notiones, quæ pertinuerunt ad Chanochum & Eliam & Cainum atque Hebelem: Et cuilibet sua tradita est species.

§. 17. Item aliæ sunt species, quæ in Adamo manserunt pro ipsa necessitate ejus, donec moreretur. Et porro aliæ quæ ab ipso secesserunt. Atque aliæ quæ ab ipso delapsæ sunt propter peccatum ejus, & deciderunt in profundum corticum, à quibus maxima pars hominum in mundum venit, vide Cap. 14. & 17.

§. 18. Alia autem vice à Magistro meo audivi, quod nempe quinque radices animarum, quæ sunt, singularis, vitalis, mens, spiritus & psyche, quæ reperiuntur in singulis mundis, emanativo, creativo, formativo & factivo aliter distribuantur: Ita ut singularem de splendore supernoacceperit Chanoch: & vitalem Adam: mentem vero Chavvah & spiritum Hebel, psychen vero Cain; Et hæc omnia de splendore superno, qui pertinet ad emanationem. Aque eodem modo deinde iisdem additæ sunt omnes reliquæ species trium mundorum inferiorum. Quo positô merito Hebel prior nasci debuisset quam Cain. Verum enim vero quia Adam peccavit, atque hinc robur acceperunt Cortices, qui proveniunt à severitate: Hinc prius manifestata est species, quæ de uxore est, unde Cain. Quo pertinet illud Pr. 12, v. 4. *Mulier fortis corona mariti sui.* Capitulis autem sequentibus prolixius diducetur omne id, quod ad Cainum & Hebelem spectat, & quare Cain fuerit primogenitus. Summa hûc redit, quod omnes illi quinque in se continuerint omnes species animarum quæ in mundo sunt, omnesque ab illis dependerint: Nisi quod quædam illarum fuerint de factione, quædam autem ascenderint in formationem, & sic porro. Capitulis autem sequentibus, juvante Deo, declarabimus, quicquid dici potest de Chanocho & Elijahu, de Caino & Hebele & Adamo atque similibus; singula sc. loco debito.

Cap. XX.

§. 1.

Antequam illud explicemus, quod promisimus Capite præcedente, nimirum de Chanocho, Elijahu, Caino & Hebele, &c. prius quædam præmittemus, quæ ad ipsas animas pertinent: ut deinde reliqua eo facilius intelligantur. Jam igitur expositum est, quod in qualibet anima quinque contineantur species, singularitas nempe, vitalitas, mens, spiritus & psyche: quodque in singulis quatuor mundis reperiantur quinque supradictæ species. Præmissimus etiam Capite præcedente; quod inter omnes hos animarum gradus alter alterius sit vestimentum, ita ut, verbi gratia, psyche de mundo factivo extet sola: & sic solus quoque spiritus de mundo formativo: qui tamen spiritus absondatur intra psychen factionis: ita ut intra hunc spiritum lateat mens factionis, quæ sublimior est quam psyche factionis. Et sic quoque species de creatione absonduntur intra spiritum formativum, quæ ulterius extenduntur usque ad finem totius mundi factivi, ita ut in mundo factivo sint psyche, spiritus & mens de creatione, formatione & factione. Atque sic etiam psyche emanationis absconditur intra mentem creationis, pariterque extenditur usque ad finem mundi factionis. Ita ut hâc ratione in factione reperiantur quatuor partes: nimirum psyche factiva; & intra illam spiritus formativus, & intra illum mens creativa, & intra hanc psyche emanativa. Quæ omnia absconduntur & includuntur in systemate factivo, species sc. intra speciem. Ita tamen ut ea omnia ibi non vocentur nisi psyche tantum: Distincta tamen gradibus quatuor suorum systematum, emanativi scilicet, creativi, formativi, & factivi, quæ omnia sunt in factione ipsa. Ut hâc ratione omnes species quatuor mundorum etiam emanativæ reperiantur in factione. Et hæc non sunt, emanatio, creatio, formatio & factio illa sub notione factivâ, nempe sapientia, principium intelligendi. Microprosopus & uxor ejus systematis factivi; quippe quæ omnia ad factionem ipsam spectant: Verum id quod diximus, est vera emanatio ipsa, quæ manifestatur intra factionem. Et sic quoque creatio & formatio ipsa. Unde patet, quod sanima quædam sit de specie psyches hujus emanativæ, quamvis recondita sit intra factionem ipsam, ita ut etiam vocetur psyche factiva, major tamen sit quammens creativa, quamvis sub nomine psyches emanativæ non extet. Quoniam psyche illa emanativa vera, non potest prodire in hominem, donec in ipso fuerint psyche, spiritus & mens de factione, formatione & creatione: Tunc enim revera in ipso apparet psyche regni emanativi.

§. 2. Quod si ergo homo meretur accipere psychen factionis; tunc spiritus quidem formativus intra hanc factionem latet, sicut & mens creativa intra formationem, quatenus hæc includitur factioni; & psyche emanativa intra mentem creativam latentem intra formationem, quatenus eadem absconditur in factione; ita ut psyche emanativa sit intra mentem creativam, & hæc intra formationem, & formatio intra factionem: Hæc omnia tamen aliter non vocantur nisi tantum nomine psyches factivæ: nisi quod hæc omnes illas species intra se contineat magis semper magisque in interioribus suis abditas atque abstrusas, donec perveniatur ad notiones emanativas inibi delitescentes.

§. 3. Utque hoc melius intelligas, scito quod in ipsa factione vestis quædam sit quæ vocatur factio. Et in illa quatuor sunt species, emanatio nempe, creatio, formatio & factio, quæ sunt notiones patris & matris & Microprosopi atque uxoris ejus inibi existentium. Deinde ibidem vestis adhuc intimior est, quæ vocatur formatio; quæ est lux systematis formativi, quæ descendit ut includatur luceatque in factione. Et sic in eadem quoque sunt quatuor species systematicæ, eodem modo, quo dictum antea. Atque sic vestis intra vestem latet, donec perveniatur ad intimum factionis, quæ est lux emanativa abscondita intra supradictas species vestesque omnes: eademque non minus in quatuor sua systemata dividitur, spectantia ad factionem.

§. 4. Dantur ergo animæ quædam, quæ totæ proveniunt à partibus omnium extremis mundorum, ita ut, exempli gratia, homo primò accipiat psychen de externa parte factionis juxta omnes quinque ejus species, quæ sunt singularitas, vitalitas, mens, spiritus & psyche: Deinde accipiat spiritum de externa parte formationis: Et sic porro donec accipiat psychen externam ab emanatione. Hæc tamen semper intra se invicem delitescunt: donec tandem reperiatur anima quædam, quæ sit ab intima parte totius factionis, quæ vocatur psyche emanativa latens intra factionem: Eamque accipiat juxta quinque gradus speciales, singularitatem nempe, vitalitatem, mentem, spiritumque psychen, quæ omnes vocantur, psyche factiva: atque sic porro accipiat spiritum de intimis partibus formationis, qui nempe est species emanationis inibi latentis: atque sic procedat donec accipiat psychen de Regno emanativo ipso, quæ summa est atque intima.

§. 5. Hinc patet, plurimos dari homines, qui non nisi psychen tantum de mundo factionis accipiunt: de quibus dici nequit, quod assequantur psychen emanativam. Et sic porro dantur alii, donec aliquis inveniatur, qui hanc ipsam psychen factivam assecutus sit, quæ est de specie emanativa ipsa ibidem existente. Atque talis multo major est quam ille, qui eandem tantum assecutus fuerit usq; ad creationem inibi latentem; emanatione sepolita. Quæ omnia jam sunt plana & omnino notanda, quia iisdem pluries opus erit.

§. 6. Cum ergo in omnibus animabus dictæ istæ notiones reperiantur: Deq; Caino & Hebele dictum sit, quod acceperint psychen emanativam. Hoc ita intelligendum est, quod omnes species emanativas, quæ sunt in systemate factivo, & omnes species emanativas systematis formativi, & omnes species systematis creativi ad istam Psychen emanativam pertinentes, atque deinde ipsam quoque Psychen emanativam per se acceperint;

perint; istæque omnes ad Psychen illam emanativam pertineant. Quod probè notandum. Et quicunque tales animas accipiunt, de illis dicitur, quod accipiant animam Kaini & Hebelis: de quibus plura cap. 21.

§. 7. Patet igitur, quod tota illa species Kainitica & Hebelica sit species Psyches: (quod est regnum;) quocunque loco fuerint; quamvis Kain Psychen hanc radicaliter obtineat, Hebel autem processerit à Microprosopo, sicut dictum est cap. 19. quamvis tantum assecutus sit gradus suos usque ad Microprosopum regni: de quo plura cap. 21.

§. 8. Et istæ species Caini & Hebelis vocantur animæ quadantenus novæ, respectu revolutionum, ut dictum supra cap. 7. & 8. Quamvis & aliæ sint notiones in Cain & Hebel, quæ non sunt novæ, sunt que ut reliquæ animæ, ut pluribus dicam infra cap. 21.

§. 9. Sicut autem sese habet Psyche emanativa, ut reperiatur in omnibus systematibus; & in omnibus existat sub specie Psyches, quamvis pertineat ad genus emanativum: ita quoque res se habet cum spiritu emanativo, ut contineatur in omnibus systematibus, quanquam ubique sub notione spiritus emanativi: & sic quoque in cæteris speciebus emanativis, quæ sunt singularitas, vitalitas, mens, spiritus & psyche.

§. 10. Porro id repetendum, quod supra dictum cap. 3. nimirum in homine dari 248 membra & 365 vasa, quæ sunt 613 præcepta; quot sunt radices animarum. Ubi in singulis membris tres porrò sunt notiones; nimirum caro, vasa & ossa; quæ tamen vasa non sunt è numero illorum 365, sed tantum sunt extremitates nervorum & venarum, quæ extenduntur & absorbentur in carnem, ita ut termini earum ipsa fiant caro, ut notum est Anatomicis: & venæ plenæ sunt sanguine, unde sanguis effunditur, inque carnem inseritur, ita ut hinc quoque alimentum redundet pro carne. Ubi vilissima trium horum est species carnis; & postmodum vasa, quia exillis carni nutrimentum attrahitur; eædemque dispergunturper omnia membra, ut hæc uno nexu cohæreant. Species autem ossium præstantissima est omnium ob notionem medullarum in illis contentarum, & non ob notionem ipsorum ossium. In singulis ergo speciebus istis, carne nempe, vasis & ossibus dantur scintillæ studiosorum, & ascetarum, & œconomorum, & plebejorum: ipsa autem radix vera sunt discipuli sapientum seu studiosi: reliqui autem omnes ceu folia tantum sunt & cortices; ut dictum supra cap. 4.

§. 11. Porrò quoque sciendum, prout etiam jam dictum est part. 2; in 10 quoque numerationibus dari quasi ossa & vasa; quæ sunt partes ipsarum internæ atque externæ. Atque sic quoque invenimus, quod in Microprosopo sint cerebra: itemque quinque benignitates, quæ continentur in Daath seu cognitione ejus, quæ deinceps extenduntur per totum corpus ejus: unde & in ipso deprehendimus carnem, & vasa atque ossa, quæ sunt notiones exterioritatis. Deinde tamen etiam natura quædam interior datur, quæ sese extendit in omnes notiones exterioritatis, nimirum in carnem, in vasa atque in ossa.

§. 12. Jam quoque nosti, quod lumina in corpore non semper sint sub notione propria, quia interdum, exempli gratia, membrum capitis reperitur in interioritate brachii,

chii, & ita deinceps. Prout explicuimus tract. de homine & arbore cognitionis, quomodo nimirum ille in causa fuerit, ut Daath seu cognitio Microprosopi descenderit in Pulchritudinem, & intra duos ejusdem humeros. Unde intelliges, quæ jam diximus, & quæ, porrò dicemus de Caino & Hebele cap. 22.

§. 13. Et hinc patet, quod aliquando in anima quadam, quoad exteriora, sit membrum unum, & quoad interiora membrum quoddam aliud, sive majus sive minus.

§. 14. Sciendum etiam, sicut & part. 2. deductum est, quod in Microprosopo sit notio quædam imaginis, quæ zelem dicitur, nempe lux ambiens lucem quandam internam: sicut etiam nulla datur lux in mundo, quæ non dividatur in lucem internam & ambientem, ut dictum part. 2. cap. 11. Unde sic quoque res se habet cum omnibus animabus, quod in ipsis sit notio lucis ambientis & lucis internæ. Notumque jam est, quod lux ambiens magna sit admodum. Et hæc est lux illa ambiens, de qua dicitur Ps. 39. v. 7. *Ie imagine ambulabit vir.*

§. 15. Sciendum ergo, quod omnes animæ delapsæ in profunda corticum, cum exinde prodeunt, ut veniant in hunc mundum, & intrent in aliquod corpus; non statim possint revolvi, & mox intrare in aliquod corpus, quam primum prodeunt è corticibus; nisi prius fuerint sub notione lucis, & imaginis ambientis, cum tribus hominibus se invicem sequentibus, qui sint ex radice talis animæ, ut dictum supra cap. 5.

§. 16. Et post tres illas revolutiones demum possunt revolvi in mundo ceu anima interna: & hæc ipsis dicitur revolutio prima.

§. 17. Quælibet ergo anima cujuslibet radicis ex illis, quæ insertæ sunt corticibus, cum primū prodit è medio corticum, locatur circa caput hominis cujusdam, qui penitus sit de illa radice; ibique est sub notione lucis ambientis: idque præstat tribus vicibus: & deinde fit lux interna in ipso corpore, atque tunc vocatur primum revoluta.

§. 18. Cumque exit anima quædam alia è profundo corticum, eadem pariter accedit, ut lux ambiens super istam internam, idque etiam ter: & sic omnes animæ prodierunt à condito mundo ad hunc usque diem. Quod probè notandum.

Cap. XXI.

§. 1.

Jam revertemur ad id, quod capite 19. declarare promisimus: initiumque faciemus de Animabus illis, quæ Kainiticæ & Hebeliticæ dicuntur, speciesque sunt Psyches Emanativæ. Ubi etiam dicendum erit de spiritu, qui est Elias bonæ memoriæ, nec non de mente, quæ est Chanoch. Jam igitur notum est, quod exposuimus cap. 15. quod animæ illæ, quæ remanserunt in Adamo post peccatum ejus, vocentur placenta mundi initialis, quod ibi satis explicuimus.

§. 2. Id autem melius intelligitur ex eo, quod cap. 19. diximus, nimirum quod Psychen emanativam Adamus hæreditariò tradiderit Kaino & Hebeli: quodque Psyche hæc emanativa in se comprehenderit omnem Psychen emanativam, quæ continetur in omnibus tribus Systematibus inferioribus: unde patet, quod Psyche emanativa ipsa penitus quidem discesserit ab Adamo cum peccaret: sed Psyche tantum emanativa, quatenus in tribus systematibus inferioribus inexistit, non secessit ab eo: atque illæ notiones vocantur placenta mundi, de quibus jam diximus, quod sint 100 coronæ; quæ omnes quidem sunt de specie Psyches emanativæ, sed quatenus illa in tribus inferioribus systematibus delitescit. Et illæ remanserunt in Adamo: cumque nascerentur Kain & Hebel, istam speciem in se receperunt, quæ vocatur placenta mundi: simulque etiam acceperunt Psychen ipsam emanativam quatenus talem.

§. 3. Ne mireris autem, quomodo possibile sit, quod Kain dignus fuerit Psyche emanativa, cùm tamen in Sohar vocetur nidus impuritatis, & spurcities serpentis. Res enim ita se habet. Notum est, quod Adam ab ipsa manu Dei sanctissimi conditus & præstantissimus omnium creaturarum fuerit, omnesq; animæ in illo contentæ fuerint, simulque Kain & Hebel. Kain autem fuit primogenitus, & notum est, quod omnis primogenitus excellentier sit omnibus filiis: quodadhuc magis hinc apparet, quod Deus Sanctissimus cum ipso locutus sit sub phrasi & nomine Tetragrammati, sive Amoris & Misericordiæ, sicut dicitur Gen. 4. v. 7. *Et dixit Tetragrammaton ad Kain.* Non vero sub nomine Elohim sive severitatis, sicut reperimus illum locutum esse cum Bileam atque Abimelech, item cum Laban. Unde patet, quod Kain fuerit Propheta. Dicuntque Magistri nostri bonæ memoriæ, quod cum juxta Gen. 4. v. 15. *Deus signum poneret in Kaino*, literam Vav nominis sui Tetragrammatii in ipsum designaverit; sicut dicitur in supplemento 111. Ubi etiam dicitur, quod dignus fuerit horto Eden: nec id saltem, sed & quod posuerit eum in locum præstantissimum Eden. Et litera Vav est litera vitæ, quæ ipsi propterea in posita est, ne illum feriret, quicunque ipsum inveniret. Nisi igitur homo quàm excellentissimus fuisset, hæc omnia à Deo non obtinuisset. Sic etiam in Sohar sect. Breschith fol. 36. col. 2. habetur, quod ipsi tanquam primogenito sua atque gloria competiverit præ omnibus. Sic quoque reperimus, quod Deus laudatissimus ad ipsum dixerit Gen. 4. v. 10. *Nonne si bene feceris, elevatio tibi.* Quæ verba exponuntur per locum Gen. 49. v. 3. Ubi Rubeni tribuitur plus elevationis, & plus roboris; de quo plura cap. 23. quod Paraphrastes Chaldaicus Onkelos exponit de primogenitura (& facerdotio.) Et Caino dicitur: *Si melior evadere voluerit*, hinc liquet, quod & ille non totus fuerit malus, sed in ipso sat boni fuerit. Invenimus quoque in supplementis fol. 116. col. 2. quod in Jethrone Kain restitutus fuerit à peccato suo. Unde colligitur, quod primo justus fuerit, sed tantum peccaverit sicut pater suus, unde restitutus fuit in Jethrone. Et fol. 7. libri cit. dicitur, quod Kain ab utraque specie (boni nempe & mali) suctionem habeat: quæ est arbor cognitionis boni & mali. Unde etiam Chavvah dixit Gen. 4. v. 1. *Acquisivi virum per Tetragrammaton.* Et quamvis nomen קין nidum quoque denotet, fundamentaliter in purum nempe; per Metathesin tamen fieri potest פין i. e. purus. Unde colligitur, quod bonum illud in ipso existens admodum fuerit excellens: cum Chavvah dicat: *Accepi virum per Tetragrammaton.*

§. 4. Et

§. 4. Et fol. 110. & 112. supplem. in locum Exod. 2. v. 12. *Et convertebat se huc atque illuc*; dicitur R. Schimeonem dixisse filio suo: Kainum fuisse de arbore boni & mali: quodque bonum, quod in eo, per revolutionem se extenderit usque ad Keni (i. e. Jethro). Unde patet, quod non minus bonum in eo fuerit, quam malum.

§. 5. Sciendumque porrò est, quod etiam in Hebel malum bono permixtum fuerit; de quo in lib. supplem. quod Moses per revolutionem fuerit Hebel; diciturque ibid. fol. 115. & 127. quod Hebel alius fuerit bonus, & alius malus. Et sic fol. 111. dicitur: quod Chavvah genuerit Kain, qui fuerit vehemens atque durus: quodque post illum protulerit Hebel, qui fuerit mitigatior. Unde apparet, quod in utroque comprehensum fuerit malum æque ac bonum: præterquam quod Hebel mitior fuerit, quam Kain. Ibidem porrò dicitur: quod se se separaverint ab invicem, & singuli facti sint corpus proprium: & ab uno horum corporum, descendere animas impiorum. Sicut hæc omnia cap. 25. latius diducentur.

§. 6. Mirum ergo non est, quod in Hebele malum quoque fuerit; quia & colluvies plebeja (quæ cum Jisraelitis ex Egypto exivit,) ab illa parte mali, quæ in Hebel fuit originem traxit: unde Moses animam suam pro illis tradere voluit, (quia per revolutionem animam Hebelis in se habuit:) juxta Num. 11. v. 15. *Ne videam malum meum*. De quibus suo loco. Sic etiam in Sohar sect. Breschith fol. 24. ad locum Gen. 4, v. 7. *Ad ostium cubat peccatum*, dicitur, illam partem (impuritatis) adhæsisse Kaino, seque super illum extendisse. Unde patet, quod Kain non fuerit impuritas ipsa; sed quod impuritatem saltem in se attraxerit. Sic quoque in Sohar in Tolipha legimus, quod Adam interrogaverit Kainum: Mi fili, qua pœna affectus es. Unde patet, quod Deus saltem locutus fuerit cum Kaino; Adam autem omnium fuerit ignarus, remque à Kaino demum intellexerit. Et tunc per Kain Adam ad pœnitentiam commotus fuit, ut ibidem dicitur.

§. 7. Porrò omni quoque rationi repugnat, quod primus in mundum natus filius mera fuerit impuritas, & sapienti satis hæc manifesta sunt. Sic etiam in Sohar sect. Breschith fol. 28. habentur sequentia: Dixit R. Schimeon nomine R. Jebah senis: Hos filios fuisse cum adhæsione serpentina: sed istos duos non fuisse sub forma hac inferiori. Unde patet, quod fuerint diversi, neque similes Setho: Et quamvis impuritas serpentis ipsis adhæserit, neutiquam tamen fuerint impuritas ipsa. Atque hæc satis jam patebunt intelligentibus, ut ulteriori prolixitate non sit opus.

§. 8. Hoc tamen non omittendum, Kainum & Hebelem natos fuisse post peccatum Adami. Sicut dicitur in Sohar sect. Breschith fol. 54. Quod postquam se se appiciuisset ad partem illam immundam, genuerit eos. Quod etiam habetur sectione Acharemoth fol. 76. Tunc enim animæ miscebantur è bono atque malo: atque tunc generabantur Kain & Hebel mixti è bono & malo.

§. 9. Sed malum, quod in Kaino erat, vehemens admodum erat; eo quod esset de parte severitatis, sicut dicetur. Malum autem, quod in Hebele erat, debilius existebat, quia provenerat de parte benignitatum.

§. 10. Patet igitur, quod singuli tàm Kain, quam Hebel bipartiendi sint, (in bonum nempe atque malum.) Ipsa igitur anima Kaini & Hebelis erat à parte boni, quod in ipsis, ipsique è tribus mundis inferioribus ortum habebant, nempe ex parte sui ibidem delitescente; prout singulis animabus accidit: cùm notum sit, nullam dari animam, in qua non sit portio quædam de omnibus mundis. Atque hæc portio, anima Caini & Hebelis propria vocatur: ita ut Psyche ipsorum de factione, & spiritus ipsorum de formatione, & mens ipsorum de creatione ipsa extiterint.

§. 11. Alia vero dein datur species, Psyche nimirum emanativa, quæ inserta est omnibus illis gradibus usque ad finem mundi factionis, ut dictum est cap. 20: Et hæc vocatur placenta mundi. Atque hæc annexa fuit Psychæ emanativæ, quæ vocatur splendor supernus, ut dictum supra.

§. 12. Patet igitur, cùm Adam generaret Kain & Hebel, quod in illos intraverint Psyche, Spiritus & Mens de creatione, formatione & factione, ex illa nimirum specie animarum, quæ ab ipso delapsæ immersæque fuerant intra cortices. Præterea tamen digni fuerunt accipere illam mundi placentam, quæ remansit in Adamo: quæ sunt centum illæ coronæ supradictæ, species nimirum emanativæ in tribus mundis inferioribus existentes. Et præter hæc omnia ipsam quoque Psychen emanativam supernam.

§. 13. Patet igitur, quod omnes animæ trium mundorum inferiorum specie ipti-mæ, æquales sint omnibus reliquis animabus ab Adamo delapsis.

§. 14. Illa tamen species, quæ vocatur placenta mundi, cum Psyche emanativa ipsa, magnam habet prærogativam, atque excellentiam præ cæteris animabus omnibus; quia est de emanatione: nec non quod non sit immersa corticibus. Quanquam hæc species placentæ mundi & ipsa deinde defectum passa est per peccatum Kaini & Hebelis, ut porro dicetur.

§. 15. Notandum igitur, quod ubicunque mentio fit specierum Kaini & Hebelis in homine quodam, ibi indigitetur portio illa nobilis, quæ à reliquis animabus differt. Et eadem quoque ratio est revolutionis, de qua cap. 8. Et hæc species vocatur animarum quodammodo novarum respectu revolutionis. Nam quia hæc placenta non immersa erat corticibus per peccatum Adami, (quod peccatum, ut dictum cap. 1. causa fuit mortis; quodque ulterius explicabimus, cùm tractabimus de percussione in sepulchris sustinenda: Ubi declarabitur, illud non posse restaurari nisi per mortem:) Unde, quia placenta ea non immersa est corticibus, & cùm venirent in Kain & Hebel, eadem qualitate prima veniebant, ac si primum veniissent in Adamum ipsum, ita ut pro novo adventu id non haberetur: hinc cum morerentur Kain & Hebel, idem erat ac si adhuc essent in Adamo: unde cum prima vice veniunt in mundum, adhuc novæ quodammodo vocantur: & prima vice omnes assequi possunt gradus usque ad Psychen emanativam inclusivè. Plura autem quam Psychen emanativam assequi non possunt; quia primitus Kain & Hebel ipsi plura non accipiebant, quam Psychen emanativam, & in ea peccabant, eamq; vitiabant. Unde cum prima vice redeunt tales, assequi possunt omnes gradus ad Psychen hanc usque; sed non ulterius.

§. 16. Quicquid igitur est de hac specie secunda Kaini & Hebelis, quæ vocatur placenta mundi, estque notio Psyches emanativæ in omnibus tribus mundis inferioribus existentis: id magna prærogativa gaudet præ cæteris animabus omnibus: & parum abest, quin & Psyche ipsarum factiva vocetur Psyche emanativa, cui competit nomen regni: prout declarabimus juvante Deo, cùm agemus de Propheta Elia b.m. & de reliquis omnibus ad hanc speciem pertinentibus.

Cap. XXII.

§. 1.

POstquam jam exposui naturam specialem animarum novarum atque veterum: jam porrò diducendum est, quicquid restat de Caino & Hebele, de quibus diximus, quod præstantiores sint tales animæ cæteris omnibus, quodque parum absit, quin in se comprehendant animas omnes.

§. 2. Parte secunda ergo cap. 2. hujus operis jam exposuimus, qua ratione superatio, gloria, & fundamentum Antiqui dierum involvantur intra sex inferiores Macroprosopi. Unde patet, quod superatio & gloria antiqui vestiantur intra duos humeros Macroprosopi.

§. 3. Porro etiam nosti, quod diximus cap. 1. quod Daath seu cognitio Macroprosopi non sit supra in capite ejus: sed in 6. ejus extremitatibus. Unde liquet, quod locus illius cognitionis sit inter duos humeros Macroprosopi.

§. 4. Nec minus notum quoque est, quod cognitio contineat quinque benignitates & quinque severitates. Unde patet, quia cognitio locatur inter duos humeros Macroprosopicos; quod quinque benignitates distribuantur per humerum dextrum Macroprosopicum: & quinque severitates per humerum ejus sinistrum.

§. 5. Porro quoque parte eadem cap. 15. declaratum est, quod de illis duobus humeris Macroprosopicis fiant cerebra pro Patre & Matre. Quodque postmodum inde fiant duæ coronæ, quas Pater & Mater Microprosopo hæreditariò conferunt. Jamque nosti, quod duæ illæ coronæ sint mysterium cognitionis Microprosopi, quæ in se continet benignitates & severitates, in quibus consistit radix & fundamentum totius personæ. Nam à mysterio cognitionis deducitur gutta specialis ad concubitum, è qua formatur infans, ut dictum supra cap. 14.

§. 6. Patet igitur, quod Microprosopus quatuor habeat cerebra, quæ sunt sapientia & informatio & cognitio benignitates continens & severitates. Ista autem cerebra Microprosopica tantum consideranda veniunt sub mysterio lucis ambientis: quod est mysterium imaginis supra caput Microprosopi versantis, ut dictum supra. Atque tunc quatuor sunt, quia non includuntur ut incrementum capiant.

§. 7. Deinde autem è mysterio quatuor horum cerebrorum disperguntur scintillæ, intrantque atque inseruntur in victoriam, gloriam & fundamentum Matris, ut dictum part. 2. Cumque benignitates & severitates inseruntur fundamento Materno, deinceps perveniunt in cognitionem Microprosopi, ibique copulantur. Atque tunc cerebra

rebra hæc sub mysterio lucis internæ, tantum tria sunt: nimirum sapientia; datio intelligentiæ; & cognitio. Adeoque uno gradu minora fiunt; cum sub mysterio lucis ambientis essent quatuor, jam vero sub mysterio lucis internæ tantum tria.

§. 8. Jam verò nosti, quod ista cerebra sint ipsa essentia, & interior natura animæ Microprosopi, quæ intra ipsum involuta est, prout declaratum fuit suo loco.

§. 9. Porro autem tria illa cerebra lucis internæ Microprosopicæ fiunt notio lucis ambientis pro uxore Microprosopi: Atque deinde scintillæ hinc disperguntur, & sub mysterio cerebrorum lucis internæ deducuntur in caput uxoris: ubi altero rursus gradu diminuuntur, ita ut ibidem duo tantum cerebra constituant, sicut dicitur in Sohar, Tractatu Jara, Sectione Heesina, ubi verba sunt: Fulgetque duobus cerebris in illa effiguratis. Quoniam à luce ambiente atque lucis ambientis cerebris ejusque eradiatione atque scintillatione duæ tantum scintillæ prosiliunt à duobus nempe cerebris tantùm, quæ devolvuntur atque consignantur in uxore. Atque hæc duo sunt sapientia & largitio intelligentiæ: Quoniam cognitionem Illa non habet: id quod dicitur in Talmude; mulierum cognitionem levem esse.

§. 10. Jam igitur notum tibi, sicut victoria, gloria & fundamentum senis inseruntur in macroprosopum ut ibi sint cerebra: Quod ita victoria, gloria & fundamentum patris & matris inserantur in Caput microprosopi, ut ibi sint cerebra: quodque eadem ratione victoria, gloria & fundamentum microprosopi deducantur in cerebra uxoris. Quæ proinde duo habet cerebra, quorum unum continet victoriam & gloriam, & alterum severitates, quæ in cognitione uxoris. Quia à benignitatibus nihil deductum est in eam. Quod intendunt Magistri nostri, p. m. dum dicunt: mulierum cognitionem esse levem: Quoniam severitates sunt dimidia cognitio: Quæ exinde levis quidem est, non tamen penitùs deficit.

§. 11. Liquet igitur, quod primò quatuor fuerint: & deinde tria, & tandem duo tantum cerebra.

§. 12. Nunc igitur convertemur ad materiam de Kaino & Hebele. Jam verò nosti, quod in sene decrepito non mentio fiat nisi novem saltem numerationum: Regni verò in ipso nulla fiat mentio, prout declaravimus cap. 1. part. 7. Ibidem enim exposuimus, quòd uxor senis adumbretur in articulo calcanei, gloriæ senis: Eo quod ibi verus ejusdem sit locus: unde fœmina quoque vocatur pes, sicut in Sohar scribitur, sectione Vajerah, ad locum illum: 1. Sam. 2. v. 9. *Pedes piorum custodiet*: id est, uxorem ejus. Regnum enim consistit in fine gloriæ loco calcanei ejus: Quare etiam regnum vocatur calcaneus, juxta illud Genes. 3. v. 15. *Et tu conteres calcaneum ejus*. Notum enim quod regnum inter numerationes sit ultima omnium, ad instar calcanei.

§. 13. Quando ergo gloria senis humero sinistro macroprosopi inseritur; illuc etiam inseritur regnum Senis. Et ex isto calcaneo gloriæ senis, ubi locum habet notio regni senilis, quique inseritur in sinistrum humerum macroprosopicum, deducitur scintilla una, quæ sit lux ambiens pro regno microprosopi, quæ est uxor ejus. Et è converso in victoria senis adumbratur microprosopus: atque exhinc pariter deduci-

tur, fux ambiens ad microprosopum de notione benignitatum: quæ sunt in humero dextro macroprosopi: sicut in Sohar traditur, ubi verba sunt: Ille est in victoria; & illa in gloria &c.

§.14. Hinc ergo patet, quod Kain & Hebel sint severitates & benignitates, quæ fuerunt in gloria atque victoria senis; unoque gradu post alterum deductæ sunt ad microprosopum & uxorem ejus. Kain ergo est notio Severitatum existitque in mysterio regni: Hebel autem est de notione benignitatum, existitq; in mysterio microprosopi.

§.15. Unde concluditur, quod notio Kain semper sit humerus sinister, ubi locum habent severitates tam in macroprosopo, quam in patre & in matre, & in microprosopo; & in omnibus quatuor mundis; Ubi Kain semper est humerus sinister mundi: quoniam Adam protoplastes in se continebat omnes mundos à macroprosopo emanativo, usque ad uxorem factivam, sicut dictum capitulis præcedentibus. Ex opposito autem Hebel existit humerus dexter Adami in omnibus mundis & secundum omnes species eorum; quoniam ipse est benignitatum species.

§.16. Jamque nosti quod microprosopus accipiat coronam benignitatis, & uxor coronam severitatis. Ex hinc quoque intelliges id quod diximus Cap. 19. quod nempe Hebel sit in microprosopo, & Cain in uxore. Patet ergo quod etiam Hebel non sit assecutus nisi psychen emanativam tantum sicut Kain: nisi quod iste fuerit de specie benignitatum: & tamen nil accepit aliud quam psychen emanativam, nec pervenit ad locum ipsum ubi est microprosopus, nimirum sub notione benignitatum, quod notes.

§.17. Et quia Kain & Hebel duas constituunt species benignitatum & severitatum; hinc patet, quod & ipsi comprehendant omnes animas quæ in mundo: Quoniam omnes animæ, vel saltem maxima earum pars nonnisi è severitatibus vel è benignitatibus consistunt.

§.18. Jamq; porro plenius declarabimus duos illos humeros Kaini & Hebelis: unde etiam intelligetur illud quod supra diximus Cap. tertio, quod in animabus detur natura quædam interior & natura quædam exterior. Cumq; jam, cum actum fuit de peccato protoplastæ, explicuerimus, quid fuerit arbor cognitionis: ubi etiam diximus, istum peccato suo causam fuisse, quod cognitio microprosopi descenderit usque in locum, qui est inter duos ejus humeros, jam porro scias, quod microprosopus tria habeat cerebra, quæ sunt: Sapientia, præbitio intellectus & cognitio. Cognitio autem dividitur in duas partes, benignitates nempe & severitates, quæ vocantur duæ coronæ. Et hæc cognitio locata est in capite inter duo cerebra Sapientiam & informationem: ibi enim à Sapientia benignitas & ab informatione severitas ortum habent. Cum ergo peccaret Adam protoplastes, in causa erat, quod cognitio microprosopi descenderet intra duos ejus humeros, intra triadem nempe tertiam corporis ejus, ubi existunt duo humeri. Cumque locus ibi esset amplius, benignitates secesserunt à severitatibus, abieruntq; in humerum dexterum; Severitates autem in humerum sinistrum. Unde humerus vocatur חֹמֶר cujus numerus est 500: quia ibidem sunt quinq; benignitates singulæ suâ constantes Centuria, unde 500. Et sic in humero sinistro quinque sunt severitates, ut dictum supra Cap. 14. Isti autem humeri non sunt ipsa brachia, sed illud membrum humeri quod connectit brachium cum corpore (& axilla dicitur) ut notum est, quod memineris. §.19. Tunc

§.19. Tunc ergo Kain prodiit primus de specie severitatum quæ in humero sinistro: & post eum Hebel è benignitatibus quæ in humero dextro.

§.20. Patet ergo duas esse species diminutionum cerebri post peccatum Adami. Cùm enim propter peccatum ejus cognitio descenderet intra duos humeros, profectò insigniter diminuta est lux ejus quam habuerat antea, cum esset intra sapientiam & largitionem intellectûs. Quamvis igitur esset ipsa cognitio, illius tamen lux diminuta erat admodum, prout & supradictum est, cum de placenta mundi egimus, quæ est species duorum humerorum, notione tamen valde diminutâ; ita ut nihil in illis manserit, nisi species tantum Psyches. Et hæc est diminutio una quoad statum interiorem & supernum in capite. Atque deinde etiam in statu exteriore diminutio facta est; prius enim cognitio deducebatur è membro capitis ipsius; jam verò ab extra prodit è membro humeri, quod multo inferius est. Nec restitui possunt hæc usque ad adventum Messiæ, & post resurrectionem, ubi resarcientur omnes defectus, & cognitio iterum ascendet in locum suum atque in caput. Atque tunc animæ, quæ ab hac radice sunt, fulgorem emittent è cognitione, quatenus quam fulgentissima est in ipso capite: imò natura quoque illius exterior prodibit è membro capitis ipsius, atque è cranio. Atque hæc omnia fiunt per præcepta, quorum observationi homo dat operam in hoc mundo. Quod autem ad statum externum humeri attinet, obstitus sum, an mihi non dixerit Magister meus, eundem non cessaturum esse post resurrectionem in homine, quamvis ille assecutus fuerit lumen externum capitis. Nam cum semel illuc ascendit humerus, non fiet, ut iterum descendat: An verò quæ sibet pars iterum reditura sit in locum suum, & ad radicem suam, ita ut ambæ partes ab invicem separentur? Video mihi tamen potius audivisse, quod semper permansura sit lux illa externa humeri cum sua interna.

Cap. XXIII.

§. 1.

Jamque exponemus, quanta sit prærogativa inter animas descendentes à Kaino & Hebele, & inter animas reliquas: item quæ sit differentia inter ipsum Kainum & Hebelem. Jam diximus igitur, quod nullæ animæ vocentur Kainicæ & Hebelicæ, nisi quæ vocantur placenta mundi, & quæ fermè sunt species emanationis, ut dictum supra cap. 1. Unde magnam habent prærogativam præ cæteris. Primò enim parum absit, quin istæ animæ sint ipsa species Psyches emanativæ; quamvis in Psyche sua factiva. Et secundò etiam quoad revolutionem; nam cum quis prima vice in mundum venit post mortem Kaini & Hebelis, animamque quandam accipit de illorum genere; illa vocatur nova, & non vetus; & statim adipisci potest gradus suos à Psychæ factiva, usque ad Psychen emanativam, prima nempe vice: quod dici nequit de reliquis animabus, ut dictum supra cap. 8.

§. 2. Patet que etiam, omnem illum, cujus anima dependet ab ista radice, qui sunt duo humeri Adami, nimirum Kaino & Hebele, nempe de specie placentæ mundi;

illum quamprimum prima illa vice assecutus fuerit Psychen emanativam, revera deinde vocari Angelum, prout uberius dicetur infra, cum agetur de Elia b. m. & Elkana, qui vocantur Angeli.

§. 3. Aliud quoque istis est commodum, quia, quæ à membris reliquis dependent animæ, ut à brachiis vel pedibus, & similibus, illæ procul ab invicem distant: sed quæ ad hanc radicem pertinent duarum nempe axillarum, omnes sunt conjunctæ & unitæ invicem quam maxime, prout apparet in figura axillæ; quæ rotunda est. nec extenditur in longum vel in latum. Atque hinc magnum oritur emolumentum animabus istis vicinis, ut nimirum alia aliam juvare queat admodum; imò ut omnes fermè quasi sint unum & idem. Atque hoc perspicuum est.

§. 4. Porrò adhuc aliud ipsis est emolumentum; quod præterquam quod sint de specie emanativa, etiam pertineant ad genus coronarum inter animas, unde vocantur placenta mundi: quod ita non occurrit in reliquis animabus, quippe quæ tantum descendunt de 5. numerationibus inferioribus cujuslibet numerationis in specie, sicut dictum est.

§. 5. Adhuc alia ipsorum prærogativa in hoc consistit, quod istæ animæ placentæ mundi non immersæ sint corticibus; & remanserint in Adamo: unde non tanto opus habent labore, ut restaurentur, tollantque maculam illam, quæ ipsis adhæsit cum reliquæ inmergerentur intra cortices. Sed reliquæ animæ, quæ delapsæ sunt ab Adamo, & immersæ corticibus, magno opus habent labore, donec restituantur. Alia prærogativa in hoc consistit, sicut diximus cap 15. quoniam vocantur placenta mundi, & sunt species coronarum, quamvis jam per peccatum Adamilabem contraxerint, ita ut lux earum in tantum sit diminuta, ut similis tantum sit luci regni, quod tamen tempore adventus Messiæ & resurrectionis mortuorum recuperaturæ sint lucem suam primitivam, quam habuerant ante peccatum, ut sint coronæ plenariæ, & non regni saltem notio. Atque tunc etiam cognitio Microprosopi, quæ descendit intra humeros, redibit in locum suum intra caput; ita, ut quod antea fuerat corporis portio, nunc sit portio capitis, ut dictum supra cap. 22. Unde & istæ animæ, quæ pertinent ad species istorum humerorum, postmodum ascendent in gradum cerebri perfecti superius in capite detenti.

§. 6. Jamq; convertemur ad differentiam, quæ est inter ipsos fratres Kainū & Hebelem. Notum autem jam antea est, quod benignitates descendant de parte masculi, & severitates de parte fœminæ. Et hæ benignitates atque severitates gradatim ascendunt usque ad benignitates atque severitates Macroprosopi, & Senis decrepiti.

§. 7. Parte autem quinta hujus libri expositum est, quod severitates Cainitæ semper sint manifestæ, dum sunt in corpore Macroprosopi, nec unquam occultentur: quod ita non est in benignitatibus; quæ nimirum occultatæ sunt intra fundamentum senis. Nec non, quod severitates inceperint prodire è fundamento Senis latentis intra corpus Macroprosopi: & inceperint manifestari ante benignitates. Unde patet, quod quicunque est de specie severitatum facultatem habeat restaurandi animam suam, eandemque elevandi de specie in speciem, & de fortitudine in fortitudinem usque ad illas fortitudines seu severitates senis decrepiti, quæ sunt manifestæ: & talis anima ab illis accipere potest lucem magnam publicamque & manifestam. Quod ita se non habet cum eo, qui ortum habet à benignitatibus: quia talis nullum ab iis accipit influxum, nisi quatenus contectæ sunt atque occultatæ: & quamvis per se majores sint severitatibus & rigoribus; nihilominus respectu accipientis minores reputantur, quia minus ab iis accipi potest, unde in Prov. 27,5. dicitur: *Melior objurgatio manifesta, quam amor occultus*, sicut dictum parte 2.

§. 8. Adhuc alia datur ratio, (quare severitates sint meliores) quoniam notum est, quod cognitio Microprosopi est duplicata juxta illud 1. Sam. 2. v. 3. *Deus Cognitionum Dominus est*. Sicut etiam cognitio de parte Patris, quæ continet benignitates & severitates, & inseritur atque vestitur intra fundamentum maternum: Notumque est, quod duo illa fundamenta, quibus insertæ sunt duæ cognitiones involvantur sibi invicem: & porro quoque notum est, quod fundamentum Patris sit longum; Matris autem breve: unde patet, quod fundamentum Maternum finiatur intra pectus Microprosopicum: & fundamentum Paternum pertingat usque ad finem fundamenti Microprosopici: sicut dictum est part. 4. Unde patet, quod benignitates & severitates, quæ descendunt de parte Patris, obtectæ sint tegmine duplici, nimirum duobus fundamentis Paterno & Materno: unde lux ab illis prodiens exigua valde est. Sed benignitates & severitates descendentes è parte Matris unum saltem habent tegumentum, nimirum fundamentum maternum. Unde animæ, quibus abinde influxus est, lucem habent multam magnamque admodum. Porrò etiam à pectore & porrò deorsum, ubi fundamentum Patris prorogatur, severitates & benignitates luminosæ sunt, quia nullo tegmine obvolutæ sunt. Atque hinc intelliges, quod animæ, quæ descendunt à benignitatibus & severitatibus occultatis, tantæ non sint, quamvis sint sublimiores: juxta id, quod in Talmude dicitur: Mundum vidi inversum, ubi superius inferius, & inferius superius erat.

§. 9. Deinde adhuc datur alia ratio, quia nempe benignitates & severitates Patris non lucent, nisi per Maternas, sicut ibi deductum est cap. 26.

§. 10. Alia item ratio hæc est: quod nempe severitates prodeant & manifestentur primum è fundamento materno in corpus Microprosopicum, ut dictum supra. Hinc Kain erat primogenitus: juxta illud, Proverb. 12. v. 4. *Mulier fortis corona mariti sui*. Quia ille de parte severitatum descendebat, quæ designant regnum. Unde dixerunt Magistri nostri b. m: In mundo venturo fore, ut justi sedeant cum coronis in capitibus suis. (Confer Apoc. 4. v. 4.) Ubi per coronam intelligitur regnum, quæ est uxor existens super caput justi, qui est maritus, quæ sunt benignitates. Futuro autem tempore omnes animæ à severitatibus prodeuntes, & de hac specie Kaini, erunt sacerdotes. Notum autem, quod ad benignitates referantur sacerdotes; & ad severitates Levitæ. Futuro autem tempore ordo erit inversus. Atque hinc primitùs cultus etiam exercebatur à primogenitis, qui sunt de specie severitatum. Et sic etiam de Davide, qui pertinet ad Regnum, dicitur Psal. 89. v. 28. *Ego ipsum primogenitum ponam*. Ubi in voce יתנם *Ponam eum*, He præmittitur ante Vav, id est, uxor ante maritum. Deinde autem cultus

tus ab illis tollebatur, & conferebatur sacerdotibus, qui sunt de parte benignitatum. Futuro autem tempore severitates erunt restitutæ, & cultus reddetur primogenitis, qui sunt Levitæ. Atque id vaticinatus est Jecheskel dum inquit, cap. 44. v. 15: *Et Sacerdotes & Levitæ filii Zadok.* Ubi sensus est, futuro tempore sacerdotes omnes fore è Levitis. Nec alium invenimus, qui ista vaticinatus sit, quam Jecheskelem Prophetam, qui erat de specie Caini; ut infra dicetur. Vaticinium hoc etiam non intelligendum est, nisi de tempore venturo, quia tunc justi sedebunt, & coronas habebunt in capitibus suis, sicut dictum est. Et caput Hebelis, à quo hactenus fuerunt sacerdotes, futuro tempore erit in loco Levitarum. Mysterium autem in hoc consistit, quod tota radix sacerdotii non in benignitate, sed in severitate locum habeat. Quoniam severitas est primogenitura, & primogenitus etiam accepit coronam sacerdotii. Quamvis hoc in mundo benignitates multò sint puriores, & malum in illis paucum. Sicut & notum est, quod cortices non applicentur nisi ad severitatem, ubi locum habent fæces vini. Quare illæ hoc in mundo sub se habent sacerdotes. Unde etiam intelligitur illud Exod. 4. v. 14. *Annon Aaron frater tuus Levita est* &c. Ubi dixerunt Magistri nostri b. m: Quod Moses esse debuerit Sacerdos magnus; Aaron autem Levita: quia autem Moses peccaverit, dicendo: *Mitte, quem missurus es:* hinc iratum dixisse Deum: *Annon Aaron frater tuus Levita est.* Ut sensus sit, quamvis Aaron hactenus fuerit Levita, nunc tamen erit Sacerdos: Moses autem, qui hactenus Sacerdos fuerat, nunc erit Levita.

§. 11. Et quia Kain de parte severitatum descenderat; & cortices eidem adhæserant; hinc excellentiam primogenituræ, quæ erat sacerdotium, amisit. Futuro autem tempore cum purificatæ erunt omnes penitus animæ Kainiticæ, primogenituram suam & sacerdotium suum recipient. Et Jecheskel, qui erat de specie Kaini, ut dictum supra, & vaticinatus est, de sanctuario aliquando venturo, de illa generatione vaticinatus est, cum inquit: *Et Sacerdotes & Levitæ filii Zadok.* Cùm tamen non fuissent Levitæ, sed Sacerdotes. Non enim dicit, Levitæ, qui sunt filii Zadok, sed id intendit, quod Sacerdotes filii Zadok iterum fieri debeant Levitæ: & Levitæ venturi sint in gradum Sacerdotum filiorum Zadok.

§. 12. Atque tunc implebitur, quod Deus dicebat Kaino: Gen. 4. v. 7. *Nonne si benefeceris elevatio tibi*, vel potius primogenitura. Nullum enim verbum ex ore Dei prodit, quod frustraneum sit, sicut dixerunt Magistri nostri b. m. ad locum illum: Exod. 32. v. 10. *Sana, dimitte me &c. Et faciam te in gentem magnam.* Jam verò notum est, quod particula עִמָּדִי denotet primogenituram & sacerdotium. Eâdem enim phrasi dicitur עִמָּדִי &c. Levit. 9. v. 22. *Et elevabit Aaron manus suas.* Ubi denotatur sacerdotium sicut dixerunt Magistri nostri b. m. Atque idem quoq; denotatur per locum Genes. 49. v. 3. Potior עִמָּדִי sacerdotio, & potior robore. Ubi Paraphrastes Chaldæus: Tibi deberetur sacerdotium & primogenitura. Regnum autem intelligitur per robur juxta illud 1. Sam. 2. v. 10. *Dederit robur Regi suo.* Sacerdotium autem & primogenitura denotatur per particulam עִמָּדִי: sicut etiam prolixè de his agemus cap. 32. & 34. Ubi agemus de Rubene, qui etiam revolutio fuit Caini atque deinde porro revolutus

fuit in Jethrone, quod denotatur voculâ יִתְרוֹ Gen. 49. v. 3. Nam Ruben primogenitus erat sicut Kain: Et in ipso compleri debebat dictum illud Gen. 4. v. 7. *Nonne si benefeceris, sacerdotium tibi.* Quia tum malum incepit ab ipso secerni, & bonum relinqui. Et nisi Ruben peccasset cum Bilhah; duas accepisset portiones, sacerdotium nempe & regnum, quia & ipse primogenitus erat: sed ista perdidit Ruben, nec restitutus est nisi in Jethrone. Confer Gen. 49. v. 3. Et Exod. 4. v. 18. *ad Jether socerum suum:* namque & vocula יִתְרוֹ loco cit. & nomen יִתְרוֹ eas dem habent literas. Et sic in Sohar sectione Breschith fol. 36. ad locum Gen. 4. v. 7. dicitur, quod Jethro fuerit primogenitus, & præstantior semper fuerit omnibus. Sed sapienti satis.

§. 13. Unde patet, quod Kain non frustra fuerit primogenitus, & dictum ipsi fuerit: Nonne si benefeceris &c. Id tamen ipsi accidit, quod Regibus illis Edomiticis, de quibus Gen. 36. v. 31. qui omnes erant de notione regni, & habebant naturam severitatum, quare ad ipsos sese applicuerunt cortices, ut moriendum iis fuerit, sicut scribitur Gen. 36 v. 32. *Et mortuus est, & regnavit.* Donec venirent benignitates, nimirum rex octavus, & nomen Tetragrammaton plenitudine exprimens numerum 45, cui nomen Hadar: atque tunc restauratæ sunt severitates per benignitates. Futuro autem tempore Tetragrammaton numeri 52 ad severitates pertinens ascendet in locum suum sublimem pristinum super Tetragrammaton 45. designans, quia Tetragrammaton numeri 52 ibidem habuit radicem suam.

§. 14. Atque sic etiam res se habet cum Kaino & Hebele. Nam quia Kain è severitatibus ortum habet, hinc major est quàm Hebel. Propter has severitates autem ad illum sese applicuerunt eique adhæserunt naturæ exteriores, & spurcities serpentis adhæsit ei quam maxime: Erat enim de parte severitatum, quæ sunt notio fœminina, sicut dicitur in Idra sectione Nason fol. 143. Ubi verba sunt: Senex autem reptæsentare volebat &c. Et congrediebantur duo illi, nempe Microprosopus & uxor ejus: prodibatque de parte uxoris, quæ sunt severitates. Sicut scriptum est: *Et Adam cognovit*, id est Microprosopus. Atque hinc deductæ sunt guttæ Caini. Sed quia serpens robustus in uxorem injecerat inquinamentum; hinc illud latus, quod est severitatum, non potuit mitigari: unde prodierunt cortices citra mitigationem. Cumque prodiret Kain, è latere uxoris prodiit, qui locus est severitatum. Hæc autem exinde remansit paulo mitior, quod factum est per quinque benignitates, & aquas fœmininas; unde prodiit Hebel mitior paululum: non tamen penitus sicut Scheth, qui totus constabat è benignitatibus, sicut dictum est cap. 22. Eadem quoque habentur sectione Noach fol. 64. & sectione Pekude de Palatiis. Sicut enim dextrum & sinistrum est in sanctitate, ita & in corticibus. Jam enim supra cap. 1. diximus, quod Adam Belial existat, sicut Adam sanctus; quodque malum bono permixtum sit. Patet ergo, quod malum illud sinistrum, quod inter cortices erat durissimũ, & inquinamentum vehementissimum adhæsit Kaino. Unde in Sohar dicitur: quod Kain fuerit domicilium impuritatis; non autem ipsa impuritas.

§. 15. Hebel autem à dextris erat; & malum dextrum, quod mollius est, eidem adhærebat. Cùm autem restituentur, Cain major erit Hebele multis modis. Quod etiam de-

demonstratur per aurum, quod argento multo est præstantius, sicut etiam scriptura aurum argento præposuit, sicut dicitur: Exod. 25. v. 3. *Et hæc est elevatio auri & argenti* &c. Aurum enim refertur ad severitates: & argentum ad benignitates. Unde quoque Salomo Rex, super quo pax fuit, argentum non æstimavit; sed aurum tantum. Nihilominus tamen propterea punitus est, quia aurum non ad usum accommodatur, nisi per argentum, quæ sunt benignitates. Verè tamen aurum argento sublimius est. Vide etiam cap. 24. ubi de his plura.

§. 16. Huc etiam pertinet diminutio Lunæ; quod conquesta sit de Sole, & propterea facta est sit minor. Et huc etiam pertinet maledictio fœminæ Gen 3. v. 13. *Et ipse dominabitur tibi.* Sicut habetur in Sohar Vajakhel fol. 219. ubi plura de his. Postquam autem mulier exivit è maledictione, absorbebitur mors in æternum; & illa erat corona mariti sui. Quod nota. Vide etiam, quæ scripsimus dissertatione 1. part. 2. cap. 3.

§. 17. Jamque satis explicuimus prærogativam Kaini & Hebelis præ reliquis animabus, postquam nimirum restituti erunt. Item prærogativam Kaini præ Hebele, quatenus nimirum primogenitus fuit. Expositum quoque est, ad quod membrum Adami primi pertinuerint, nempe ad duos humeros Adami, & notionem cognitionis, quæ illuc descenderat: quamvis revera radix eorum fundamentalis superius esset in cognitione in capite Adami; quo etiam tempore futuro post resurrectionem Kain & Hebel iterum elevabuntur, nempe in ipsam cognitionem; sed Kain in severitates illius cognitionis; & Hebel in benignitates ejusdem.

Cap. XXIV.

§. 1.

Postquam jam explicuimus ea, quæ pertinent ad Kainum & Hebelem, omnesque animas ab illis descendentes, quæ omnes spectant ad notiones benignitatum & severitatum cognitionis, quatenus descendit intra duos humeros: jam hoc idem paulo prolixius declarabimus. Naturam autem Scheth reservabimus usque ad cap. 28.

§. 2. Primo igitur memineris eorum, quæ jam diximus de peccato Adami Protoplastæ, quod nempe Microprosopus duas habeat uxores, quarum una est Rachel & altera Leah: quodque Leah initium habeat à loco cognitionis Microprosopi; & finem in pectore ejusdem: qui est finis triadis primæ corporis Microprosopici. Deinde autem peccatum Adami Protoplastæ causa fuit, quod cognitio Microprosopi descenderit intra duos ejus humeros: unde & Leah, quæ prodit in parte postica Microprosopi è regione cognitionis ejus, descendit pariter: initiumque accepit à pectore, & porrecta est statura ejus, usque ad finem triadis primæ fundamenti. Unde patet, quod depravatio extiterit non tantum in cognitione, sed etiam in Leah, nec non in Rachele. Quia Leah primò habebat finem in pectore, ubi deinde incipiebat Rachel, producta porro usque ad finem pedum Microprosopicorum. Jam verò cum descendit statura Leæ usque ad finem triadis primæ fundamenti Microprosopici; ibidem demum incipit Rachel unde

unde patet, quod pedes ejus descendant in mortem: quia enim pedes ejus locum non habent in emanatione, hinc descendunt in mundum creativum, cui adhærent cortices: juxta illud Prov. 5. v. 5. *Pedes ejus descendent in mortem*, ut dictum alibi.

§. 3. Dantur autem defectus adhuc alii. Nam cum cognitio adhuc superius esset in capite Microprosopi, tunc locus erat angustus, nempe guttur, per quem transire debebant benignitates & severitates, ut extenderentur in corpus Microprosopi. Atque tunc primò descendissent benignitates, quæ locum illum dilatassent. Deinde autem descendissent severitates. Si ergo primo descendissent quinque benignitates, eædem extensæ fuissent in quinque extrema à benignitate nempe usque in gloriam, quæ sunt quinque illæ benignitates: & deinde cum descendissent severitates, eædem porrò demissæ essent usque ad fundamentum; atque exhinc deductæ in caput Rachelis, inque ejus cognitionem, ut dictum.

§. 4. Cùm autem primo prodirent severitates, eò quod cognitio descenderit intra duos humeros in locum ampliorem: tunc primò incipiebant severitates extendi per corpus Microprosopicum, nec erat locus benignitatibus, quo extenderentur. Unde patet, quod debilitatæ fuerint vires Microprosopi ad instar mulieris per peccatum Adami protoplastæ: quoniam locò benignitatum severitates accepit.

§. 5. Neque id sufficit, sed adhuc alius subortus fuit defectus. Cùm enim cognitio superius esset in loco suo; locus erat quinque benignitatibus quo sese extenderent, nimirum à benignitate usque ad gloriam; severitatibus porro descendentibus in fundamentum. Jam verò postquam descendit cognitio in pectus, ne quidem severitatibus locus fuit ut omnes extenderentur per corpus microprosopi, sed ex parte saltem prout explicabimus. Atque hi defectus omnes reperiuntur in Microprosopo ipso.

§. 6 Dantur tamen defectus quoque alii in Rachele & in Leah. Sicut enim quinque benignitates extenduntur in Microprosopo; ita quinque severitates extenduntur in uxore, nimirum à benignitate ejus usque adipsius gloriam. Jam verò post peccatum Adami cum in ipso Microprosopo ordo iste & extensio quinque benignitatum locum non haberent; etiam in Lea quæ est uxor ejus, ordo similis observari non potuit, nec in eadem sese extenderunt quinque severitates omnes per corpus ejus: Sed omnes congregatæ sunt seque demiserunt in fundamentum ejus ubi remanserunt. Jam autem nosti, quod quinque severitates quæ in fundamento mulieris sunt, sint notio aquarum ejus fœmininarum.

§. 7. Major autem labes exorta est in Rachele. Nam persona Leæ completa erat inque hoc consistebat vitium, quod severitates à cognitione descenderint in pectus, & deinde in fundamento ejus exhinc factæ essent aquæ fœmininæ. Rachel autem completam non habebat staturam; quia pedes ejus descendebant in mundum creativum, ut dictum supra. Unde in ipsa nulla est notio aquarum fœmininarum; quia non est perfecta. Cum igitur copulandi essent Microprosopus & uxor ejus, juxta similitudinem Adami & Chavvæ, ut generarentur animæ Kaini & Hebelis; necesse fuit ut uxor microprosopi, quæ est Rachel, ascenderet in locum Leæ, ita ut Rachel atque Lea simul con-

prehensæ fuerint & factæ sit una tantum notio. Atque sic aquæ fœmininæ Leæ datæ sunt Racheli, quæ iisdem carebat: Et per aquas has fœmininas Leæ Microprosopus congrediebatur cum Rachele, produxitque animas Kaini & Hebelis. Quia autem quinque severitates primo se extenderant per corpus Microprosopi; hinc Kain primò prodiit è severitatibus.

§. 8. Dicuntur autem prodiisse è Microprosopo, quia radix severitatum semper consistit in masculis personis: Originem enim suum habent à gloria Senis; ut dictum est cap. 22. Et deinde descenderunt in duos humeros Macroprosopi; inque duo brachia ejusdem quæ vocantur benignitas & severitas: & ex illa severitate porro descenderunt hæ severitates in cognitionem Microprosopi: adeoque semper fuerunt in masculis, tantum cum descendissent in uxorem ibique adauxissent corpus fœminæ, extunc vocantur fœmininæ. Et hæc sufficiant.

§. 9. Jam ergo diximus supra, quod quinque hæ severitates primo se extenderint in corpus microprosopi, quoniam cognitio ejus descenderat infra: unde patet, quod cum copularetur Microprosopus cum uxore sua Rachele, gutta prima seminalis defluxerit à severitatibus, quæ prius prodierant, seseque per illum extenderant: Atque hinc Kain prodiit prior tanquam notio severitatum: Eique competit jus primogenituræ. Deinde autem prodierunt & benignitates, quæ sunt Hebel.

Cap. XXV.

§. 1.

Postquam jam exposuimus Capite præcedenti, quod Kain prodierit à Severitatibus quæ prius sese extenderint per corpus microprosopi: nunc quoque dicendum est, quomodo id se habeat in specie. Scito ergo cum cognitio locata fuit superius in Capite Microprosopi loco suo vero, intra sapientiam & informationem microprosopi, quod tunc locus transitus nempe guttur microprosopi sat angustus fuerit, ita ut primò prodeundum fuisset benignitatibus, quamvis consisterent supra Severitates: quia nimirum sunt quasi aquæ per quas aperiendus fuit locus atque transitus: per aquas enim quæ sunt benignitates dilatatur transitus: & deinde porro prodiissent severitates. Atque hæc est conditio una quod nempe prius exire debuerint benignitates.

§. 2. Alia tamen hic est conditio, quia nempe benignitates primo prodiissent, hinc primo sese extendissent per corpus microprosopi, nimirum à benignitate usque ad gloriam. Et deinde cum prodiissent severitates non habuissent locum sese extendendi: sed descendissent in fundamentum: atq; inde traditæ fuissent in uxorem ejusque cognitionem, quæ locata est è regione fundamenti Microprosopi ut dictum.

§. 3. Jam verò postquam cognitio descendit intra humeros in triadem primam, pulchritudinis microprosopi ubi est pectus: hinc patet, quod locus iste sit amplissimus; atque tunc severitates, quia erant in cognitione ipsa, & quidem inferiores benignitatibus (notum enim quod cognitio in se contineat benignitates & severitates:) primo prodire

prodire volebant. Sed non potuerunt: quia tunc neq; benignitates, neq; severitates ipsæ habebant vasa. Quia enim cognitio microprosopi inserta erat fundamento matris, ut notum est; & descendit usque in pectus: & corolla fundamenti materni, quæ antea erat in pectore jam descenderat in triadem primam fundamenti Microprosopici: Hinc duo brachia, quæ sunt benignitas & severitas, item pulchritudo Microprosopi, nec non trias fundamenti Microprosopi obtectæ erant velamento quodam, nimirum victoria & gloria maternis: Unde nullus erat locus severitatibus, nisi in duabus triadibus inferioribus fundamenti microprosopici, & in victoria & gloria ejus. Et quia fundamentum maternum descenderat usque ad triadem primam fundamenti microprosopici, & consequenter etiam victoria & gloria matris descenderant in victoriam & gloriam microprosopi: Hinc etiam victoria & gloria microprosopi nullum habebant locum in quem extenderentur Severitates.

§. 4. Scito autem quod descensus patris & matris fundamentaliter non fiebat nisi ratione fundamenti sui tantum: Sed victoria & gloria illorum manebant in loco suo primo, nimirum in capite microprosopi. Nisi enim hoc fuisset, tunc cum cognitio microprosopi descendit usque ad pectus, etiam Sapientia & informatio Microprosopi descendissent in locum benignitatis & severitatis: cum tamen non descenderet nisi linea media, quæ est notio fundamenti tantum, quæ antea satis jam declarata sunt, ubi egimus de peccato protoplastæ.

§. 5. Hinc ergo patet, quod non manifestatæ sint atque extensæ nisi duæ tantum severitates & duæ Triades severitatum in duabus triadibus inferioribus fundamenti. Duæ autem severitates reliquæ & una trias earum supra remanserunt in cognitione, cum quinque benignitatibus; quia ipsis non erat locus sese ulterius extendendi.

§. 6. Cum igitur copularentur Microprosopus & uxor ejus, ille in uxorem immisit unam guttam aquarum masculinarum, nempe duas severitates illas & duas triades earum; quæ manifestæ erant: Rachel autem cum ascenderet, ut copularetur cum Microprosopo pro aquis fœmininis, quas ipsa non habebat, sicut dictum cap. 25. adhibuit quinque illas severitates; quas mutuò acceperat à Leah. Atque tunc prodiit Kain primogenitus ab istis notionibus, quæ nimirum sunt duæ severitates & duæ tertiæ earundem Masculinæ, & quinq; severitates aquarum fœmininarum à Rachele, quamvis fundamentaliter essent à Leah: quæ omnes sunt octo minus una tertia. Et hæc est natura Kaini.

§. 7. Deinde autem prodiit Hebel sequenti modo. Cum nimirum prodiissent duæ illæ severitates & una tertia per dictum congressum, ut produceretur Kain; locus illarum manebat vacuus: atque tunc quoque descendebant severitates reliquæ, quæ sunt duæ & una tertia: nec non una tertia benignitatis, ultima nempe, quæ in pulchritudine: iterumque copulatus est Microprosopus, ut produceret aquas masculinas pro generatione Hebelis; quæ erant duæ severitates cum una tertia, & una tertia benignitatis: & Rachel iterum elevabat id loco aquarum fœmininarum, quod altera vice mutuo acceperat à Leah eodem modo, quo dictum de Kaino.

§. 8. Quamvis enim severitates tantum extendantur in corpore uxoris Microprosopicæ; & benignitates in corpore Microprosopi; nihilominus ob fulgorem benignitatum extensarum per corpus uxoris, severitates illæ ejusdem descendunt in fundamentum Læ ceu aquæ fœmininæ: ita utin Leah sint duæ species, benignitates & severitates.

§. 9. Et primo Rachel à Leah mutuo accepit quinque severitates infra in fundamento ejus existentes, pro usu aquarum fœmininarum ad congressum, quo producendus erat Kain. Deinde autem & benignitates descenderunt in fundamentum Læ, easque pariter mutuo accepit Rachel pro aquis fœmininis ad productionem Hebelis necessariis. Unde patet, quod Hebel provenerit à duabus severitatibus & una tertiarundem, nec non una tertia benignitatis masculinarum: & à 5. benignitatibus aquarum fœmininarum, quas Rachel mutuò acceperat à Leah, eodem modo ut dictum de Kain: quæ omnes efficiunt octo minus una tertia, unde Hebel prodiit.

§. 10. Jam igitur satis declaratæ sunt omnes circumstantiæ speciales circa naturam Kaini & Hebelis: dictumque simul, quamvis benignitas primogenitilocum habeat; quod tamen, quia severitates primum prodierant; Kain dicatur primogenitus. Dictum etiam, quod Kain totus constiterit è severitatibus, & nulla in ipso fuerit benignitas: unde Kain judicium fuit durum atque vehemens; quare ipsi adhæsit impuritas atque malum plus quam Hebeli: In quo existebant quinque benignitates fœmininæ intermixtæ cum severitatibus ejusdem, ita ut mixtam partem benignitates prævalerent severitatibus ejus: unde mitigatior erat, sicut dicitur in supplementis fol. 111.

§. 11. Quia tamen etiam Hebel proveniebat à severitatibus Masculinis; & benignitates, quæ in eo, non masculinæ erant, sed fœmininæ; hinc nihilominus ulteriori opus habuit melioratione, quamvis jam ante mitior esset, quam Kain frater ejus.

§. 12. Hinc quoque intelliges excellentiam Kaini præ Hebele, quod nempe primogenitus esset: & sic quoque excellentiam ejus præ cæteris animabus omnibus, quamvis provenerit à severitatibus masculinis, ut dictum supra cap. 24. Nam cum cognitio superius esset in capite, & severitates masculinæ prodirent è fundamento Microprosopi tempore congressus; tunc severitates remotæ admodum erant à radice sua, quæ est corolla severitatis existentis in cognitione; ita ut lumen earum valde esset diminutum. Jam vero postquam cognitio descendit usque ad pectus Microprosopi, prodeuntes illæ severitates ad generandum Kainum admodum sunt vicinæ imò proximæ suæ radici, lumenque maximum de se spargunt. Et quamvis severitates Kaini sint ultimæ in extensione, quæ primo descenderant, nempe severitates victoriæ & gloriæ, & duæ tertiæ inferiores pulchritudinis: nihilominus tamen, quia cognitio descenderat usque ad pectus; hinc severitates victoriæ & gloriæ quasi factæ sunt severitates benignitatis & rigoris ipsius: ita ut victoriæ quidem & gloriæ essent; luce tamen benignitatis & rigoris fulgerent.

§. 13. Cumque jam pateat, quod Kain fuerit à severitatibus victoriæ & gloriæ & duabus tertiis pulchritudinis, quæ omnes erant manifestæ, jamque notum sit antea, quod

quod in severitate gloriæ etiam hæreat notio regni, cui datur nomen mulieris fortis, sicut dictum ep. 22: Adhæreatque calcaneo pedis sinistri, cui nomen gloriæ: ibique applicitum sit caput ejus, juxta Genes. 3. v. 15. *Et tu conteres ipsi caput.* Unde tamen prodiit R. Akibha, ut pluribus infra dicetur: hinc satis apparet, quanta sit istius calcanei excellentia, quia de illo dicitur Allegoricè: Prov. 12. v. 4. *Uxor fortis corona mariti sui.* Quilocus si conferatur cum Genes. 4. v. 7. *Sibenefeceris,* שְׂאֵת *elevatio*: vocula שְׂאֵת per metathesin est אֵשֶׁת mulier. Eidemque debetur jus primogenituræ, & sacerdotium & regnum. Atque hæc est placenta mundi fundamentaliter; & illa cum veritate vocatur placenta, de qua dicitur Numer. 15. v. 20. De primitiis panificii vestri separabitis placentam. Unde deinde omnes hæ notiones Kaini, quæ pertinent ad genus Psyches emanativæ generatim dicantur placenta mundi cum revera illa tantum sit placenta. Hic igitur calcaneus sublimem satis gradum sortitus est. Et huc pertinet, quod Magistri nostri bonæ memoriæ dixerunt de R. Akibha: sic ascendit in cogitationem, at suo loco dicemus.

§. 14. Deinde Adam generavit Scheth, cujus natura patebit è sequentibus. Jam enim dictum est, quod Kaino & Hebeli datæ sint quinq; severitates masculinæ: & una tertia benignitatis infimæ è benignitatibus, ita ut adhuc remanerent quinque benignitates minus una tertia pro aquis masculinis. Nec mirum est, quod in Kain & Hebel nonnisi severitates manifestæ descenderint: quæ sunt duæ severitates & duæ tertiæ: hic autem simul & semel descenderint omnes quinque benignitates una tertia minus. Ratio enim è supra dictis patet: quod nempe benignitates sint ad instar aquatum, sicut enim aquæ, quadata porta ruunt velociter, nec impediri possunt: sic etiam benignitates, cum inciperent prodire ad generationem Scheth, omnes decurrebant simul.

§. 15. Quod si objicias, etiam in Hebele prodisse tertiam unam benignitatis, unde merito quæstio sit, quare non secutæ sint benignitates reliquæ? respondetur, quia gutta congressus nonnisi per cogitationem & phantasiam prodit, evibraturque instar sagittæ atque tunc in Hebele tertia ultima erat manifesta è benignitatibus, hinc illa prodibat. Ex quo enim natus erat Kain, locus ille manserat vacuus, atque illuc se extenderant duæ severitates reliquæ & una tertia severitatis cum una tertia benignitatis: atque tunc benignitas retecta descendebat; reliquum autem suo loco remanebat, eo quod intentio fundamentalis & fundamentum illius guttæ directum erat ad severitates. Jam vero cum natus esset Hebel, & locus ille vacuus fuisset vice altera; tunc illuc descenderunt duæ benignitates & duæ tertiæ benignitatis, & manifestabantur; cumque veniret tempus copulæ, maxima pars benignitatum erat retecta; quibus prodeuntibus etiam reliquæ prodibant cum illis tanquam aquæ currentes velociter.

§. 16. Quia autem aquæ fœmininæ jam absumtæ erant: quoniam aquas fœmininas severitatum acceperat Kain, & aquas fœmininas benignitatum acceperat Hebel: jam quæstio exoritur, unde jam aquæ fœmininæ ad producendum Scheth? Respondetur autem, benignitates aliquid reliquisse superstes, cum copiosiores fuerint severitatibus: unde ex illis residuum erat vestigium in fundamento uxoris: quod non fiebat in severitatibus.

§. 17. Pa-

§.17. Patet igitur, quod aquæ fœmininæ pro generando Scheth fuerint quinque benignitates minus una tertia masculinæ, & vestigium quinque benignitatum fœminarum: quarum summa est decem una tertia minus.

§.18. Hinc quoque intelliges, quare mundus non prius fundatus vel propagatus fuerit nisi per Scheth. Nimirum quia Kain totus constabat è severitatibus: & Hebel quamvis mitigatior esset, tamen præter benignitates etiam severitates cõtineret: Scheth autem mitigatus erat penitus, quia nonnisi à benignitatibus proveniebat. Deinde etiam, quia Scheth accipiebat decem numerationes minus una tertia: Kain autem & Hebel singuli tantum acceperant octo minus una tertia. Porro quoque Scheth quinque accepit benignitates masculinas minus una tertia; Cain autem & Hebel singuli tantum acceperant tres severitates masculinas, una tertia minus.

§.19. Nihilominus tamen una est prærogativa Kaino & Hebeli præ Schetho: quamvis singuli tantum accepissent octo numerationes minus una tertia: & Scheth decem acceperat una tertia minus: nihilominus inter gradus Schethi vestigium tantum erat, & non omnes radicales, exceptis quinque benignitatibus minus una tertia. Quæ autem in Kain & Hebel, omnes erant fundamentales absque ulla parte vestigii.

§.20. Dubium mihi tamen suboritur, annon hæc omnia, quæ dixi de Kain, Hebel, & Scheth, paulo audiverim aliter à Magistro meo. Nempe quod omnes numerationes dividantur in tres triades excepto fundamento, cui non sunt nisi duæ partes; fundamentum nempe ipsum & corolla ejus. Quo præsupposito, quia fundamentum matris descendente cognitione descenderat usque ad triadem ipsius fundamenti Microprosopi: hinc nihil remansit manifestum in fundamento Microprosopi, nisi proportio corollæ tantum nempe locus unius triadis: eo quod tota longitudo fundamenti duarum tantum sit triadum. Unde locus retectus tantum fuisset victoria & gloria, & una trias fundamenti. Quare Cain nihil accepisset, nisi tuas tantum severitates, & unam tertiam retectas: totidemque etiam Hebel, ita ut Scheth acceperit unam tertiam severitatis reliquam, & omnes benignitates. Prior tamen explicatio, prout mihi videtur, oretenus mihi tradita est à Magistro meo.

§.21. Porrò adhuc unum mihi restat dubium, annon audiverim à Magistro, hanc fuisse causam, quare Cain robustior fuerit Hebele, eumque occiderit; quia Kain è meris severitatibus masculinis constaret; Hebel autem quod maximam partem haberet benignitates fœmininas: unde Caino fuerit facultas surgendi & occidendi Hebelem. Id tamen huc non pertinet.

§.22. Jamq; expositum est, quicquid dicendum fuit de Kain, Hebel & Scheth, de quo ultimo tamen suo loco dicenda adhuc plura: jam enim ista tantum de eo scripsi, quæ huc pertinere videbantur, quoniam & ipse esset de notione placentæ mundi, ut Kain & Hebel. Alia tamen vice à Magistro audivi, quod Scheth fuerit de illis animabus, quæ delapsæ sunt à Protoplaste, immersæque intra cortices: fieri enim potuit, ut deinde ascenderint è corticibus intraverintque in Microprosopum, locumque suum debitum hæ animæ, iterumque prodierint tempore copulæ, ita ut ex illis factus sit Scheth. Et quamvis dubitem, quomodo id acceperim, inclino tamen in hanc opinionem, quod Scheth fuerit ab illis, quæ delapsæ erant ab Adamo, immersæque intra cortices.

Cap. XXVI.

§.1.

Postquam jam diximus quædam de Cain, Hebel & Scheth, & quo loco substiterint animæ eorum in Protoplaste: jam eadem paulo latius diducemus. Ubi repetendum est, quæ jam diximus de zelem seu imagine Microprosopi, quod nempe cerebra ejusdem sint tria, sapientia, & informatio atque cognitio: quodque tria hæc habeat à Patre, & tria quoque cerebra à Matre: quodque tria illa à Patre prodeuntia inserantur intra victoriam, gloriam, & fundamentum Patris, tanquam in vasa sua, & partes suas exteriores: cerebra autem materna inserantur in victoriam, gloriam & fundamentum matris. Quâ insertione factâ, omnia introducantur simul intra caput Microprosopi, ibique fiant cerebra ejus cum vasis tàm paternis quàm maternis. Notum autem victoriam quidem & gloriam masculi eodem se habere modo, sicut in fœmina, ita ut æqualiter intra se invicem recondantur: fundamenta tamen eorum differunt, eò quod masculinum sit longum, fœmininum autem breve: Unde cum victoria, gloria & fundamentum Patris inseruntur in victoriam, gloriam & fundamentum Matris, paternum fundamentum per maternum prodit, prominetq; foras, & ulterius porrigitur usque ad ipsum terminum Microprosopi: quoniam statura Patris longior est, quam Microprosopi. Notum quoque est, quod victoria & gloria tàm paternæ quam maternæ occultentur & inserantur intra victoriam, gloriam & fundamentum Microprosopi secundum duo latera, dexterum nempe & sinistrum; nec ullo modo revelentur; linea autem media nempe fundamentum Patris insertum fundamento Materno extenditur per lineam mediam corporis Microprosopi in locum nempe medium vacuumque corporis Microprosopi, ibique manifestantur. Quia longitudo victoriæ & gloriæ adæquat longitudinem totius Microprosopi; nec ullam habent portam sive foramen, unde manifestetur lux earum, prodeatque ab iis: sed fundamenta foramen habent atque portam, unde lumina se manifestant, tanquam de membris naturæ. In hoc tamen differentia est: Quia fundamentum matris breve est, nec extenditur nisi usque ad pectus; ibidemque sit apertum, quanquam sæpe tamen juxta tramitem fundamenti Microprosopi, quia eousque extenditur. Fundamentum autem patris sublimius est pectore, & intra fundamentum matris recondatur: unde à pectore Microprosopi & porro deorsum incipit manifestari.

§.2. Deinde cerebra quidem Microprosopi ipsa per se sunt cerebra ejusdem: sed partes eorum exteriores, quæ sunt vasa & vestimenta eorum, sunt victoria, gloria & fundamentum patris & matris. Et hæc vestimenta id ipsum sunt quod vocatur zelem, sive imago Dei. Deque iis dicitur: Psalm. 39. v. 7. *In imagine ambulabit vir.* Quia vir ille qui est Microprosopus, non ambulat nisi mediante imagine, quæ sunt victoria, glo-

ria & fundamentum Matris & patris; per quos ſtabiliuntur cerebra Microproſopi. Sunt-que imago ſine Spiritu, quia non habent notionem cerebrorum ipſorum, ſed tantùm ſimilitudo & imago eorum ſunt, quod notes.

§. 3. Numerus autem צלם id eſt imago, æquipollet nomini אהיה plene ſcripto, adjecto numero integritatis hoc modo: אלף הא יוד הא. Jamque notum eſt, quod nomen hoc אהיה pertineat ad matrem, adeoq; fundamentum nominis צלם eſt in victoria, gloria & fundamento matris; ſed tamen quatenus paternæ iisdem inſertæ ſunt; nec manifeſtantur niſi per illas. Et tamen eædem quoque vocantur צלם ſicut illæ.

§. 4. Unde patet, quod dentur duæ umbræ vel imagines, de quibus in Cantico, cap. 2. v. 17. *Donec aſpiret dies fugiantque umbræ.* Et quamvis Nomen hoc צלם ſive imago diſpeſcatur in tres partes, quæ ſunt gloria, victoria & fundamentum: nihilominus in fundamento ſolo locum habent; ob rationem ſupra dictam, quia victoria & gloria non manifeſtantur; quicquid autem manifeſtatur de luminibus earum, id è fundamento prodit, ut dictum ſupra c. 25. Patet ergo quod fundamentum iſtius nominis צלם ſive imaginis conſiſtat in fundamento patris & matris, quibus inſerta eſt cognitio microproſopi.

§. 5. Duæ ergo hæ imagines ſunt ipſa notio Kaini & Hebelis: quia Kain eſt è parte matris, quæ denotat ſeveritates: & Hebel ab imagine patris. Et hinc liquet quod Kain & Hebel ſint de fundamento patris & matris, quatenus tanquam imago ſunt circa caput Microproſopi. Et quia primo manifeſtantur lumina quæ in fundamento matris; quoniam fundamentum ejus finitur in pectore Microproſopi: Hinc Kain prodiit primus; eo quod primogenito competat prodire priorem.

§. 6. Hinc etiam intelliges excellentiam Kaini præ Hebele: quia etiam lumina paterna nullum habent tranſitum ut luceant, niſi quatenus inferuntur luminibus maternis. Unde patet, quod animæ Hebelis teneantur in ſe derivare influentiam ſuam mediantibus animabus Kaini, quod probe notes. Sicuti quoque quædam horum tetigimus Cap. 23.

§. 7. Et quia nomen צלם potiſſimum ſpectat ad imaginem maternam: ad quam pertinent Kain, hinc nomen קין numeris æquipollet voci צלם: notum enim quod Kain totus conſtet è ſeveritatibus ſicut mater: Et quia mater vocatur Elohim, hinc neceſſe eſt, ut nomen Elohim etiam deſignetur in voce zelem. Notum enim quod 32. vicibus occurrat nomen Elohim in hiſtoria creationis, quæ nomina referuntur ad matrem: Numeratis autem literis iſtorum 32. nominum Elohim, exſurgent 160. literæ, juxta numerum צלם, & juxta numerum קין.

§. 8. Quia autem etiam in Hebel occurrit imago ut dictum ſupra, quamvis mutuò ſaltem; Hinc etiam in illo deſignantur 32. hæc nomina Elohim, ita ut nomen הבל per Metatheſin referat literas הלב id eſt triginta illa duo nomina, de quo plura capite 18. ubi agetur de duobus humeris.

§. 9. Jam

§. 9. Jam porro notum eſt, è ſupplementis fol. 111. 112. & 115. aliisque locis pluribus, quod Kain revolutus ſit in illo Ægyptio, quem occidit Moſes: idemque porro revolutus ſit in Jethrone ſocero Moſis. Sicut etiam alibi dictum eſt in ſupplementis, quod Hebel revolutus ſit in Scheth & in Moſche: Hinc jam notandum eſt, iam innuimus Cap. 4: Quamvis ſæpè dicatur N. N. revolutum fuiſſe in N. N; prout etiamen neceſſe non ſit ut idem ille totus ſit revolutus: niſi ſit de illorum numero, qui revolvendi ſunt ſoli ſecunda vice. Sed maxima pars revolutorum ita ſe habet, ſi nempe revolvatur aliqua Scintilla cujusdam animæ in corpore quodam, & cum illa ſimul revolvatur anima quædam alia, quæ ſit de radice ejus, ob certas quasdam cauſas, de quibus ſupra. Et quia ſunt de radice una, & unius generis, hinc iſta illius ſcintillæ nomine appellatur. Atque hoc etiam hic locum habet. Quamvis enim dixerimus, quod Kain revolutus ſit in Ægyptio illo & in Jethrone: Hebel vero in Scheth & in Moſche: Singuli quidem notionem habent propriam, ſed omnes de una ſunt radice, adeoq; quaſi unum.

§. 10. Ut autem intelligas, quæ ſit ratio trium harum revolutionum Kaini & Hebelis; memineris quod ſupra jam dictum eſt, Kainum nempe & Hebelem eſſe duo fundamenta matris & patris, quatenus exiſtunt in Microproſopo, ut dictum ſupra. Singula autem fundamenta iſta tres habent notiones, nempe partem obvolutam, & partem retectam & vaporem. Initium autem faciemus à fundamento patris. Fundamentum enim patris veſtitum eſt atque contectum intra fundamentum matris, usque ad locum pectoris microproſopi: Et hæc pars vocatur contecta. Deinde autem regitur fundamentum patris à pectore & porro deorſum; quia ibi jam finem habet fundamentum matris; & porro extenditur denudatum usque ad finem orificii fundamenti Microproſopici: atque hæc eſt pars detecta. Porro autem lumina ejus prodeunt per orificium fundamenti microproſopici ſola; atque tunc notio illa dicitur vapor: & vapor iſte extenditur foràs intra duo femora Microproſopi.

§. 11. Similes tres notiones etiam occurrunt in fundamento Matris. Quia usque ad pectus Microproſopi illud vocatur contectum; quia lumina ibidem prodeunt ſub duplici tegmine corporis nimirum microproſopi; & fundamenti materni. Deinde autem à pectore & porro deorſum lumina prodeunt omnino nuda: atque hæc vocatur notio retecta. Attamen non dicuntur vapor prout lumina patris: quia lumina paterna omnino erat revelata; ſed iſte vapor adhuc detentus eſt intra corpus microproſopi, unde vaporis nomen non habet: ſed tantum notio retecta dicitur. Quod etiam ob aliam fit rationem: quia alibi declarabimus quod etiam lumina illa, quæ prodeunt è fundamento materno, involuta ſint in veſtigio victoriæ, gloriæ & fundamenti matris unde non niſi denudata vocantur, non vero halitus ſeu vapor. Deinceps autem eadem lumina etiam prodeunt per orificium fundamenti microproſopi: atque extra hoc vocantur vapor. Atque ſic tres illæ notiones ſingulorum fundamentorum ſatis ſunt declaratæ.

§. 12. Tres autem isti conceptus materni sunt tres revolutiones Kaini supradictæ: nempe Kain, Ægyptius, & Jethro. Quotum ordo sic mihi videtur instituendus, ut Kain sit portio contecta; Ægyptius aperta; & Jethro vapor. Verum tamen ordinem non rectè memini. Interim quia numerus קין æquipollet numero צלם: zelem autem sive imago designat notionem contectam; hinc mihi videtur hunc esse eorum ordinem. Alias etiam literæ initiales Vocis יקם illorum verborum Gen. IV. v. 24. *Septies vindicabitur Kain*: designare videntur Nomina תורו מצרי קין unde intelligitur has esse tres revolutiones Kaini, unde etiam dicitur: *Vindicabitur Kain.*

§. 13. Sed tria lumina notionis fundamenti in patre sunt tres revolutiones Hebelis: quæ sunt literæ Nominis Moschе משה שת הבל i. e. משה שת הבל, sive Moses, Seth & Hebel. Ut autem observes ordinem illorum, sciendum, locum denudatum fundamenti paterni distribui in duas partes: quarum prima est è regione pulchritudinis Microprosopi à pectore usq; ad finem pulchritudinis: quæ sunt duæ tertiæ pulchritudinis inferiores. Pars altera latet in fundamento Microprosopi. Jam verò notum est, quod fundamentum duas habeat partes, nimirum fundamentum ipsum & corollam. Ipsum ergò fundamentum porrectum est per pulchritudinem Microprosopi; & corolla fundamenti paterni extenditur in fundamentum Microprosopi. Hinc ubi nomen Moschе duplicatur, nullus accentus intercedit, sicut dicitur in Idra naso fol: 138. id factum quia dictum est Exod. 2. v. 2. *Et videbat Mater, quod puellus esset pulcher.* Quia ergo hoc fundamentum tres habet notiones: unam supra pectus & duas infra pectus circa finem pulchritudinis; quæ sunt loca contecta & detecta: Hinc duo ipsi sunt nomina Moschе Moschе: quorum unum denotat notionem contectam & alterum denudatam: quæ tamen ambæ una sunt revolutio Mosis: Quia omnia unum sunt fundamentum, nempe patris, sub duabus tamen notionibus: unde inter illa Nomina ejus nullus intercedit accentus.

§. 14. Scheth autem est locus denudatus, qui inseritur in fundamentum Microprosopi; Ubi locum habet corolla fundamenti patris. Atque hæc notio separata est à Moschе & vocatur Scheth, quasi sex: quia locum habet è regione fundamenti; quod denotatur per Vav parvum notam senarii: Sicut dicitur in Idra magna fol. 143: quod justus qui est fundamentum mundi uno jactu fundæ sex projicere queat in altum.

§. 15. Et merito quidem appellandus fuisset שית, Verum quia Scheth est fundamentum ipsum & litera Jod in media gutta Seminis sive Vav, descendentis per fundamentum: unde per se quidem efficeretur Schit: sed propter labem Hebelis, quia intuitus est gloriam divinam peccavitque cogitando; unde producitur gutta seminalis; hinc Jod in ipsius nomine deest, scribiturque שת defectivè, sicut dicitur in supplementis fol. 111.

§. 16. Vapor autem qui abinde prodit per Orificium fundamenti Microprosopi, forásque intra duo femora exit, vocatur Hebel sive vapor. Sicut ibidem dicitur, illum esse vaporem mundi qui exinde prodit.

§. 17. Patet igitur, quod Moschе sit totum fundamentum patris à summo, ubi est cognitio Microprosopi usque ad finem, nempe usque ad terminum pulchritudinis Microprosopi: ita ut radix nominis Moschе sit in parte superiore paterna, quæ latet in cognitione Microprosopi, abscondita tamen prius intra fundamentum matris, ita ut pars externa fundamenti patris adhæreat parti internæ fundamenti matris. Atque ibi adhæret plenum Joddatum tanquam pars interna, h. m. יהוה & natura ejus externa denotatur hoc nomine retrogradando sic scripto: יוד הא ואו הא יוד הא ואו הא יוד הא ואו הא cujus numerus est 184. Cui si addatur pars interior seu anterior ad matrem pertinentis nominis אהיה Joddati, cujus numerus est 161. Hinc exsurgit numerus משה id est 345. quia radix ejus consistit in duabus illis notionibus, interna nempe matris & externa patris. Sed de his infra latius.

Cap. XXVII.

§. 1.

Postquam jam egimus de radice Kaini & Hebelis: jam quoque dicendum est, quæ fuerit ratio illius zelotypiæ, propter quam Kain Hebelem occidit; & quænam fuerit illa gemella superflua, quæ nata erat cùm Hebele, propter quam fratricidium hoc factum est, sicut dixerunt Magistri nostri p.m. Primo ergo sciendum est tibi, quare Regi concessum fuerit octodecim ducere uxores, nec plures, sicut dicitur in Gemara de Davide Rege, super quo pax, quod nempe eidem dixerit Nathan Prophieta 2. Sam. 12. v. 8. *Si parum tibi; addam adhuc totidem iterumque totidem.* Jam verò antea habebat sex uxores: unde si superadditæ fuissent totidem iterumque totidem, fuisset octodecim. Hæc ergo breviter prius explanabimus.

§. 2. Jam notum enim est, quod supra diximus Cap. 24. de duabus imaginibus quibus designatæ sunt Kain & Hebel: Ubi etiam diximus, quod victoria, gloria & fundamentem patris atque matris sibi invicem inserantur. Ubi porro consequens est, quod intrantibus victoria, gloria & fundamento in Caput microprosopi, necessariò illuc etiam subintrent cum iis regna patris atque matris: quoniam hæc numeratio omnium ultima est. A victoria, gloria & fundamento supradictis igitur hoc emolumentum capit microprosopus, quod exinde fiant involucra pro tribus ejus cerebris, Sapientia nempe, informatione & cognitione: Unde jam quæstio oritur: Quid eidem profint regna illa patris atque matris?

§. 3. Sciendum ergo, quod ista duo regna sint notiones corollæ in fundamentis patris atque matris: Suntque simul uxores istorum fundamentorum: quia omnis notio regni sive in patre & matre, sive in quavis persona alia semper est notio uxoris. Scien-

dum etiam, quod omnia lumina per vasa penetrent & splendor foràs prodeat, sicut diximus in Tractatu de Jaacob. Unde patet quod ab omnibus istis regnis splendor etiam foras prodeat. Sunt ergo duo quæ efficiunt quatuor. V. gr. Regnum patris in loco suo est notio una; Regnum matris in loco suo est notio secunda; Regnum patris insertum intra gloriam, victoriam & fundamentum matris, penetrans splendoremque emittens foras usque ad locum regni matris, fit notio regni tertia; Et tandem regnum matris penetrans tegumentum unum in cervice nempe microprosopi, constituitur notio regni quarta. Et iste quaternarius est mysterium nodi Phylacteriorum (qui figurâ suâ exprimit literam ד) de quo suo loco. Atq; hæc etiam vocantur Lea uxor Jaacobi, cujus denominationis ratio suo quoque loco exposita est.

§. 4. Quælibet autem è quatuor illis mulieribus est persona integra: sunt que uxores duorum fundamentorum supradictorum. Patet ergo, quod regnum hoc extremum omnium, existens in cervice Microprosopi, multum differat à reliquis, & à fundamentis; unde non copulatur nisi cum Microprosopo, sive cum Jaacobo, ut dictum est suo loco. Residua ergo sunt tria adhuc regna: primum quod planè adhæret fundamento patris; & hoc est intimum omnium: & reliqua duo adhærent fundamento matris: unumque est regnum matris: & alterum est vestigium & splendor regni patris penetrans ibidem atque prodiens per fundamentum: unde patet, quod fundamentum patris, quo pertinet Hebel, duas habeat gemellas.

§. 5. Sed Kain, qui est fundamentum matris, non nisi unam tantùm habet gemellam, quod est regnum matris ad ipsum pertinens: quia vestigium ejus foras prodit sub mysterio nodi Phylacteriorum: nec copulari potest cum eo. Atque hinc Kain zelotypia excandescebat contra Hebelem; quod non haberet, nisi gemellam tantùm unam; ille verò gemellam haberet superfluam, quæ est vestigium illud splendoris, quod omnino erat superfluum: quia pars interna est radicalis; hæc vero saltem quasi additamentum & superfluitas erat. Unde Kain eandem accipere volebat, quamvis enim fundamentum ejus esset de regno patris: interim locus ejus effulgescentiæ, ubi penetrabat foràs, est apud uxorem Kaini regnum nempe maternum; adeoque intra limites ejus.

§. 6. Alia quoque fuit causa, cur eam ducere vellet: Hoc enim vestigium sive signum lucis provenit ab allisione lucis eradiantis è regno paterno ad regnum maternum; unde fiebat ista effulgescentia: ita ut de virtute regni materni prodiret: adeoque esset intra limites Kaini, qui propterea eam ducere volebat. De jure tamen eadem ipsi non competebat: Quia primo victoria, gloria & fundamentum matris sola intraverant (in Cap. Microprosopi) atque tunc etiam subintraverat regnum matris quod ibi constituebat gemellam unicam: ita ut ingressus fundamenti & regni materni in caput Microprosopi quasi repræsentet generationem Kaini & gemellæ ejus. Deinde autem intraverunt victoria, gloria & fundamentum patris & regnum ejus, è quo fiebant duo regna: atque hæc est quasi generatio Hebelis, & duarum gemellarum cum eo. Unde patet quod injustè illum occiderit: quia hæc uxor erat Hebelis, & non Kaini: altera autem interior pars erat gemella Hebelis radicalis. Atque hæc fuit Zippora uxor Mosis. Atque sic scriptum inveni in libro quodam sub nomine Magistri mei. Alio tamen tempore audivi, quod

quod gemella superflua fuerit Zippora: Quæ opinio mihi etiam verior videtur: prout ulterius diducetur cap. 33.

§. 7. Quia autem jam satis explicuimus naturam Kaini & Hebelis, eorumque revolutiones, jam quædam etiam addemus de Jethrone, qui erat revolutio Kaini, adeoq; materia quædam cognata est. Nimirum jam diximus de quatuor illis mulieribus prodeuntibus è regnis fundamentorum patris & matris. Hic enim quatuor sunt mulieres, sicut in Microprosopo quatuor sunt cerebra perfecta status adulti. Notum autem, quod etiam detur natura illorum interior, quæ dicitur infantia seu minorennitas, juxta illud Gen. 27. v. 15. *Et Rebecca induit Jacobum filium suum parvum.* Tunc enim cerebra ejus pertinent ad conceptum Minorennitatis, sunt q; è Nomine אלהים ut dictum est suo loco, quæ planè fiunt per modum supra dictum. Memineris igitur eorum, quæ diximus de meditatione ad lectionem Audi & ad stationem, (seu benedictiones octodecim) quod nempe cerebra minorennitatis sint nomina אלהים: Quodque hæc habeant cerebra ambientia juxta sex extremitates, quæ in microprosopum subintrant horâ lectionis Audi: Sintque initium immanationis: quodque deinde in eum ingrediantur tria cerebra superiora, atque sic compleatur status ejus adultus. Porro quod & istis tribuantur lumina ambientia circa; sicut notum est, quod quicquid majus est socio suo, fiat ambiens proximè inferioris. Unde v. g. cerebra sex extremitatum status adulti fiunt lumina ambientia circa cerebra Minorennitatis. Cerebra autem sex extremorum status adulti sunt quatuor Nomina אהוה: Notum enim quod cognitio contineat duo cerebra benignitatis nempe & severitatis; unde fiunt cerebra quatuor. Quatuor autem nomina אהוה sic fiunt, ut duo sint sub plenitudine Joddatâ h. m. אלף־הי־יוד־הי: tertium sub plenitudine Hehatâ h. m. אלף־הה־יוד־הה & quartum sub plenitudine Alephatâ h. m. אלף־הא־יוד־הא. Et ista quatuor nomina אהוה quatuor his modis plenè scripta, numeris suis æquipollent nomini יתרו id est, 616. Quia Jethro est fundamentum matris, quod continet quatuor hæc nomina אהוה est que radix illorum omnium. Postquam autem intrarunt ista ambientia sex extremitatum cerebrorum status adulti, tunc virtute eorum factæ sunt istæ gemellæ: quæ non factæ sunt nisi per fundamentum matris; omnesque intra illud absconduntur. Et nisi facta esset percussio sive allisio lucis fundamenti patris ad fundamentum matris; non prodiissent illæ gemellæ. Atque hinc intelligi potest, quod Zippora uxor Mosis una fuerit de illis gemellis, & necessariò esse debuerit filia Jethronis, præsertim quod illa esset gemella ista superflua, quæ non prodiit nisi virtute allisionis regni interni ad fundamentum matris atque prodiit illius loco, ut dictum supra. Et propterea ejusdem causa in Kaino exorta fuit zelotypia, postmodum autem data fuit Mosi, qui erat Hebel: quoniam reverà eidem debebatur ut dictum supra, & dicetur cap. 33.

§. 8. Hinc patet quod in Jethrone fuerint duplicia lumina; primo nempe sua ambiens minorennitatum, sicut dictum est: tunc enim continebat totum fundamentum maternum: (& lux status adulti.) Et fortè propterea duo ipsi sunt nomina, Jether & Jethro: ita ut Jethro pertineat ad minorennitatem; & Jheter ad statum adultum. Quod tamen non accepi à Magistro meo.

§. 9.

§. 9. Dubium autem hic mihi movetur, utrum nempe ambientia minorennitatem eadem ipsa sint, quæ postmodùm facta sunt cerebra sex extremitatum status adulti: an verò sint alia? Dicendumque videtur, quod non sint eadem, sed tantum mysterium quatuor vestium illorum cerebrorum, sex extremitatum status adulti, quæ sunt quatuor nomina אהיה ut dictum supra, nec non ad meditationem illius benedictionis: Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus in seculum & in æternum. Ubi vide, ita ut illa tantùm, quæ sunt involucra, sint ambientia minorennitatem; non verò ipsa cerebra.

Cap. XXVIII.

Cum supra quoque sit dictum quod Kain & Hebel locum habuerint in radice axillarum microprosopi, nimirum in notione cognitionis, quæ illuc descenderat: ita ut Kain esset de severitatibus humeri sinistri; & Hebel de benignitatibus humeri dexteri; jam sciendum, quod in omnibus quatuor systematibus emanationis, creationis, formationis & factionis, omnibusque quinque personis singulorum mundorum semper sinister humerus Kainum; & humerus dexter Hebelem denotet. Sciendum etiam, quod in tribus mundis inferioribus humeri illi vocentur brachia, dexterum nempe & sinistrum; sed in mundo emanationis omnia brachia singularum personarum habeant naturam alarum, quoniam præter brachia ibi quoque inveniuntur pennæ, sicut alæ animalium, distinctæ in artus & in plumas.

2. Natura ergo vera Kaini & Hebelis, quæ vocatur Nephesch emanativa, ut supra cap. 22. in mundo emanativo in duas partes dividitur, quarum una est membrum axillæ, quæ ibi vocatur ala, quod in ea reperiantur Caro & vasa & ossa: & in hac axilla, cui nomen est ala, infixæ sunt pennæ alares.

3. Quælibet ergo animæ, quæ sunt de notione Kain & Hebel radicem suam habent, & locum in duabus partibus, nempe in membro alæ, & in ejusdem pennis.

4. Quod igitur ad illas Psychas attinet, quæ sunt de uxore regni psyches emanativæ, nemo, qui est de hac radice, altius ascendere potest prima vice, quàm ad hunc locum: Sed in revolutionibus aliis ascendere queunt usque ad alas & brachia longanimi emanativi, ubi duæ sunt axillæ.

5. Cùm autem quælibet axilla contineat carnem, vasa & ossa, hinc quælibet anima hûc pertinens, vel pertinet ad carnem, vel ad vasa, vel ad ossa, de quo ordine jam alibi: Prout aliæ quoque pertinent ad pennas.

6. Alæ autem sunt vel in axilla dextra, vel in sinistra: & Hebel ad dextram, Kain verò ad sinistram pertinet. Et in qualibet axilla sunt tria millia pennarum.

7. Pennæ autem non sunt æquales, sed aliæ majores, aliæ minores, aliæ mediocres: mille igitur sunt pennæ magnæ, & mille mediocres, & mille parvæ.

8. Porro in qualibet penna, plumæ sunt multæ, aliæ longæ, aliæ breves, aliæ mediocres.

9. Plumæ igitur parvæ sunt animæ infantum, qui moriuntur in infantia sua.

10. Pluma

10. Pluma autem magna in penna longa præstantior est, quam parva.

11. Item quælibet penna partim infixa est carni, & partim prominet; ubi partim calamum habet implumem, partim plumas mustas, ab utraque parte, ab una magnas, ab altera parvas cum caule medio.

12. Item quælibet pluma causiculum habet, unde plumulæ nascuntur, & porro in radice gutta quæda'n sanguinea, unde nutritio pennæ & vita.

13. Sicut ergo numerus pennarum est ter mille; sic numerus porro scintillarum, quæ in qualibet penna, est 150. secundum numerum vocis קדש.

14. Isti autem sunt gradus quo sese invicem præcellunt: Foramen illud, quo penna infixa est carni, & sanguis in vacuo ejus contentus, ubi infigitur alæ, sunt duo conceptus viliores; quam ipsa ala & penna. Deinde penna major sive caulis præstantior est quam plumæ; & plumæ longiores præstantiores sunt brevibus. Sicut autem res se habet in ala prima, sic eadem se habet in secunda: nec differunt; nisi quod in sinistra, quæ est Caini, quælibet penna contineat 150. scintillas animarum, juxta literas nominis קין, Kain; sed in ala dextra quæ est Hebelis scintillæ animarum quidem etiam sunt 150. sed non dividuntur eo ordine, quò ala sinistra, sed in 32. partes, quarum quælibet subdividitur in 5. secundum literas nominis הבל, vide cap. 27. ubi, quod 32. Nomina Elohim in Kain designentur & Hebel, & hi sint duæ illæ imagines. Supra etiam diximus cap. 4. quod Animarum multæ sint Radices, & quælibet Animæ, quæ ab una radice sunt, vocentur Anima una nova.

15. Humerus ergò similiter Kaini vel dexter Hebelis, quia omnes scintillæ, quæ in eis sunt, propinquæ sibi sunt; vocatur radix una magna; sed quælibet penna in qua 150 scintillæ animarum, vocatur radix parva. Omnes autem æquales sunt in anima una; & si scintilla unica ex illis restitutione careat, omnes adhuc vocantur deficientes, donec omnes 150. scintillæ, quæ in illa penna plenè perficiantur. Quod ita non est in pennis diversis, quamvis omnes sint radix una. Jamque particularia quædam tibi aperiam, prout audivi à Magistro meo.

16. Jam enim dictum est, quod singulæ alæ in se habeant 3000. pennas &c. & quælibet penna sit radix una; & in singulis pennis sunt 160. scintillæ principales animarum; de quibus dicam quo loco consultant. Scito igitur, istas esse selectissimas è specie Kainitica, suntque de notione Psyches emanativæ, existentis in Factione usque ad Regnum Emanativum. Et quamvis etiam ad sublimiora quoque scandere queant, nempe usque ad humerum sinistrum Macroprosopi, de hoc tamen isto loco non agemus, sed tantum usque ad Uxorem Microprosopi pergemus; quæ vocatur Psyche Emanativa, quam Adam hæreditariò tradidit Kaino filio suo cùm ipsum generaret. Deinde locum quoque earum in membro humeri designabimus. Inter mille igitur pennas magnas, quæ in humero sinistro Kaini, una est, quæ habet 150. Animas: Et Foramen illud, qui est locus ubi infixa est extremitas pennæ istius, est Anima Abbaja Amorzi, qui vocatur Nachmani: Sanguis autem in vacuo ejus contentus, est anima Rami Bar Chami. Pars autem ima caulis, quæ foramini infixa fuit, quia in ea sanguis; dispescitur in partem dextram

& sinistram, & sinistra est Schmuel Propheta: de dextra autem nihil mihi innotuit. Caulis autem nudus extraneus plumis & sanguine carens est Anima Chiskiæ Regis Jehudah.

17. Deinde autem extenditur caulis in medio plumarum. Una ergo pars istius caulis, ubi consistunt plumæ longiores, fuit anima R. Akibæ: Unde patet, quod R. Akiba cum duabus suis plumis magnam habuerit vicinitatem atque cognationem: Prout quælibet talis pars plumas sustentans cum duabus plumis suis quamproximè cognata est. Plura non novi de reliquis particularibus istius pennæ.

18. In hac ala autem penna adhuc alia est major quam prædicta, in qua sunt animæ Jehudæ & Chiskiæ filiorum R. Chija: locum autem eorum in ipsa penna non novi; nec etiam novi ipsum locum pennæ.

19. Sic etiam locus est pennæ cujusdam in ala hâc ad quem pertinent R. Jehudah filius Illaah: Sed illa penna multo est minor quam penna prima R. Akibæ; unde R. Jehudah discipulus erat R. Akibæ. Nec mirum est, quod penna Jehudæ & Chiskiæ major fuerit, quam penna R. Akibæ: quia jam diximus in qualibet penna plumas esse majores & minores. His autem ulterius non immorabimur.

Cap. XXIX.

§. 1.

Postquam ergo diximus, in qualibet duarum harum alarum totam esse radicem sciendum tamen, quod singulæ quoque pennæ una sint radix per se. Sicut ergo jam quædam particularia unius radicis pennalis de mille illis pennis humeri sinistri explicuimus; jam quoque locum ipsum membri humeralis, ubi subsistant animæ pennarum designabimus: Ubi simul mentionem quoque faciemus aliarum quarundam animarum, quarum locum in penna ignoro.

§. 2. Scito ergo hunc humerum radicem esse Kaini, quæ est integra persona habens membra 248. & vasa 365. pennæque supradictæ radices suas habent in hoc humero, qui est calcaneus sinister personæ hujus, nempe calcaneus gloriæ: Omnesque scintillæ animarum calcanei dicuntur radix perfecta, omnesque sunt anima una, prout quoque idem deprehenditur in pennis.

§. 3. In isto autem calcaneo scintillæ animarum sunt plures quam 613. quamvis in singulis pennis non sint plures quam 150. scintillæ, nihil tamen interest: quia non opus est, ut omnes 613. animæ calcanei sint in penna una: quæcunque autem in una sunt penna, majorem habent cognationem, quam reliquæ 613.

§. 4. Vel etiam fieri potest, ut isti qui in hoc calcaneo sunt, sint discipuli sapientum. Et quando iste calcaneus perfectionem suam adeptus est; ulteriori restitutione cæterarum partium calcanei non opus habet. Si autem una anima de hac radice calcanei non restituit totum calcaneum; adhuc vocatur deficiens, donec omnia absolverit. Cum ergo una scintilla hujus calcanei revolvenda est, aliter id fieri nequit, nisi cum alia scintilla hujus calcanei; quia omnes una sunt radix, ut dictum est cap. 1.

§. 5. Ne autem confundaris, quando dicitur, tantos viros locum habuisse in calcaneo; sciendum est, quod regnum semper vocetur calcaneus, quia in Sohar dicitur: Ille in victoria est, & ipsa est in gloria, nimirum in fine ejusdem: qui est calcaneus, sicut dictum est cap. 22. Atque hic calcaneus, de quo loquimur, regnum est omnium personarum dicti humeri: quoniam regnum locum habet in fine pedis sinistri, qui vocatur gloria, ubi est notio uxoris.

§. 6. Nunc autem jam exposuimus antea, in humero toto dari sexaginta myriades scintillarum. Calcaneus autem iste est radix una de animabus septuaginta radicum in hoc humero contentarum: unde in supplementis Fol. 113. in annotatione verba hæc extant; Vagus abit & profugus in sexaginta myriades generationum, propter sanguinem seminis fratris sui extensi in sexaginta Myriades, &c. Atqui hic est Kain qui est humerus sinister; prout Hebel est humerus dexter. Unde patet in nullo membro minus quam sexaginta myriades scintillarum inveniri.

§. 7. In isto igitur calcaneo sunt 613. scintillæ animarum: Et ipse solus est persona. Et quando guttæ descendunt ab hoc calcaneo, prodeuntque per fundamentum in congressu mysticò, aliquando fit Jacob (cui nomen עֵקֶב à calce) aliquando R. Akiba, (qui easdem habet literas עקיבא) & aliquando Akabja (cujus nominis eædem sunt literæ עקביא.) & similiter.

§. 8. Scito ergo quod Chiskia Rex Jehuda locum habuerit in Capite hujus personæ quæ vocatur calcaneus.

§. 9. Partem igitur quandam eorum qui inserti fuerunt huic calcaneo, ordine enarrabo: Deinde de cæteris scribam quorum graduum ordinem non novi, quia non accepi à Magistro.

§. 10. Ordo igitur radicis calcanei hujus sequitur excellentiam eorum. Eorumque loca sunt sequentia. Primus est Schmuel Propheta.

Post eum Chiskia Rex Jehuda.

Post eum R. Jochanan filius Saccai.

Post istum Abbaja. Et isti in ordine sunt hi, quorum ordinem accepi ex ista radice.

§. 11. Kain: Kenan: Jubal: Mahalaleel: Jabel: Lamech: Jisaschar: Schilah filius Jehuda: Nadab & Abihu. Pinchas: Korach. Dathan & Abiran: Jetro: Nachschon: Nethanael filius Zuar: Anathiel filius Kenas. Charmi pater Achan: Cheber Kenites: Mephlal: Chesamjah: Chever pater Socho: Jeschbah pater Eschthamoah: Jischbi Lechimites: Schamgar filius Anath: Schimson: Elkana: Schmuel Propheta: Abihuh filius Schmuel: Jischai pater Davidis: Abischai filius Zerujah: Schimmah: Achijah: Elijahu p.m. Elischa Propheta: Chiel de domo Eli: Jona filius Amithai: Chiskia Rex: Menasseh filius ejus: Abijah filius Rechabeam: Doëg: Achitophel: Naboth Jesreelites: Ezechiel propheta. Uria sacerdos: Secharja filius Jebarachjahu: Nahum Propheta: Micha Moraschtites: Narbijahu filius Jechonjahu Regis Jehuda: Anani filius Eljoani: Chananjah socius Danielis: Elihu filius Baracheel Busitæ. Horum ordinem non accepi.

§. 12. Sequentes sunt de secta Doctorum Mischnicorum. Matatjahu Sacerdos magnus Chaschmoneus: Jose filius Jochanan Hierosolymitani, Nithai Arbelites: Akabja filius Mahalaleel: R. Jochanan filius Zachæi: R. Akibha: R. Jose Galilæus: R. Nehorrai senex, cujus mentio fit in Sohar sectione Tezavveh: R. Jebah senex, cujus mentio fit in Sohar sectione Mischpatim: Jochanan filius Hyrkani: Chananjah filius Chiskia filii Garon: Abba Schaol: R. Jischmael filius Elischa Sacerdos magnus: R. Churzpith interpres: R. Jehudah filius Illai: R. Gamliel: R. Jose filius Meschullam, qui vocatur Synagoga sancta: R. Achai filius Joschijahu: dicebatque mihi Magister meus, etiam unum de sociis illis, qui cum R. Schimeone Jochaide ingressi erant in aream sanctam, de hac radice fuisse; eundem autem nominare nolebat, nescio quam ob causam.

§. 13. Sequentes etiam sunt pars Doctorum Mischnicorum, qui aliquantum attingunt hanc radicem, sed non plenè: cujus tamen rei verum non novi fundamentum. R. Schemajah pius, cujus mentio fit in Sohar sectione Balak. R. Zadok sacerdos: R. Kisma Pater R. Jose. R. Krospodai, cujus mentio fit in Sohar.

§. 14. Etisti sunt de Secta Doctorum Gemaricorum: Raf Hunna, coævus R. Jehudah sancto. Jehudah & Chi kijah Filii R. Chija. R. Zadok Discipulus R. Jehudah sancti. R. Shimeon F. Johozodek. R. Jesa Amoræus seu Doctor Gemaricus; qui etiam est R. Assa Sacerdos. R. Jebha Amoræus; qui erat Discipulus Doctoris, qui per excell. Raf dicitur; & hic est pater R. Chana, & socer Oschian f. Nidbach. Levi F. Sisi. R. Jirmejah F. Abba. R. Chilkijah F. Abba. R. Schimeon F. Abba. R. Akibha Amoræus. Pinchas frater Schmuel. R. Meescha coævus R. Jochanan. R. Schisah, cui accidit miraculum. Rami F. Chama. Abbaja. R. Nechumah R. Biba. f. Abbaja. R. Chemar. R. Dimah Nehavdius, R. Mesesharshia. Romi f. Jecheskel. R. Schmul f. Schilath. R. Abin faber lignarius. R. Ukba. R. Serika. Raf Sechorah. Nathan Zuzites. Thanchum Noites. Raf Jebu F. R. Sammah & Rabb Saphra coævus Rabbinæ. Rabh Amram. Raf Ram filius Papa. Raf Seira F. Hillel. R. Seruka Dukrites. Illa F. Kescher quem Regina sollicitavit ad concubitum. Rabin qui ascendit in terram Israel: Raf Dima qui ascendit in terram Israel. Raf Hunnah Bagdaites. Schabehit filius Rabina. Raf Chama fil. Busi. Raf Scheia, f. Raf Ida. Raf Chija, Diphtites. Jehoschia F. Serunaki Coriarius. Ajo. Abdimi. Raf Tabjumi. Baali. Raf Schudah Handoites. Raf Malkijoh.

§. 15. Et isti sunt de Saburæis seu auditoribus: Raf Achai. Rabba Pombeditanus.

§. 16. Etisti sunt de secta Gæorum seu excellentium. Raf Nehorai Gæon seu Dominus primus. Raf Acha Schabchites. Raf Dusthai Gæon seu Dominus. Raf Zemach Gæon primus, filius Raf Palthi Domini.

§. 17. Et isti sunt è Deciforibus R. Abraham nepos R. Schlomo Levitæ. Rabh ille qui scripsit librum Maggid Mischnah, qui vocatur Don Vital de Toleto.

§. 18. Sciendum autem omnes illos qui descenderunt de radice psyches Emanativæ tales tantum esse quoad psychen suam: ita ut spiritus & mens eorum ab alia sint radice, sicut dixi cap. 35. Et nemo ex omnibus dictis talis est, cujus psyche, spiritus & mens ab hac radice sola essent, excepto Abbajah.

§. 19.

§. 19. Scito deinde, quia radix hæc de selectissima specie Kaini fuit, hinc etiam haud parvam ipsi competere prærogativam præ cæteris animabus; ut sæpius dictum est: & in specie; si quis fuerit de ista radice calcanei qui est notio regni. Notumque est, quod diximus Cap. 22. Ad locum: Pr. 12. v. 4. *Uxor fortis corona mariti sui:* Quod nimirum ascendere possit supra maritum: juxta illud: Jerem. 31. v. 22. *Mulier circumdabit virum.* Quicunque ergo originem habet ab hac radice, ille ascendere potest usque ad summitatem graduum & in infinitum. Unde R. Akibha ascendit usque in cogitationem summam (i. e. Sapientiam) de quo pluribus infra.

§. 20. Sciendum quoque est, sicut diximus Radicem Kaini pertinere ad Severitates cognitionis, quæ descenderat in sinistrum humerum microprosopi, sic necesse quoque esse, ut & Lea uxor Jacobi, (quæ est mysterium nodi Phylacteriorum, proditque à regno interno, applicito ad hanc cognitionem ejusque severitates sub notione calcanei sicut dictum est.) descendente hoc calcaneo (nam Lea extrinsecus ab eodem fulgorem accipit) descendat. Ut dictum est Cap. 25. Et quoniam etiam hæc delapsa est, hinc præter istam speciem radicum animarum pertinentium ad istum humerum sinistrum, etiam adhuc sunt notiones aliæ; animæ nempe aliæ, quæ pertinent ad Leam externam prodeuntem ab isto calcaneo, ut dictum supra.

§. 21. Et sic quoque lumina dantur descendentia à parte interna istius regni, antequam prodeat Leah foras. Et hæc lumina sunt media, prodeuntia nempe à regno interno, nec tamen intrantia in Leam externam. Notum enim, quicquid existit in sanctitate id posse relinquere vestigium aliquod, quocunque loco transierit.

§. 22. Atque hinc quoque animæ dantur ad partem internam spectantes, intrantesque in Leam foras.

§. 23. Aliæque sunt mediæ, quæ lumina hauriunt & deducunt à parte interna foras in Leam. Atque hæ omnes sunt species animarum, quarum natura non satis explicata est: quamvis in hoc omnes conveniant, quod nomen habeant à radice humeri sinistri Caini.

§. 24. Scito etiam omnia specialia existentia intrinsecus necessariò prodire, ut luceant foras erga Leam: Quoniam illa applicata est humero huic sinistro, quæ sunt severitates: Et non humero dextro. Unde in specie multas cognoscere poteris animas.

§. 25. Id quoque scias, quod sicut in hoc humero sunt cerebra interna & cerebra ambientia; atq; ea omnia sub notione status adulti: præter fœminina quæ à microprosopo prodeunt tempore status adulti: Sic talia etiam sunt sub conceptu minorennitatis. Sicut igitur Kain est notio imaginis fundamenti matris quod in Microprosopo existit sub statu adulto: Sic alia datur imago huic similis sub notione minorennitatis. Atque hæc omnia spectant ad notionem Kaini; & omnia vocantur juxta illius nomen, præterquam quod sint sub minorennitate.

§. 26. Sicut etiam porro dantur notiones Jisraëlis & Jacobi quæ sunt Microprosopus: Ita ut Jacobus prodeat è parte postica patris, ut traditum est suo loco: sic etiam

dantur notiones Kaini & Hebelis in Microprosopo, quæ vocantur Jisraël & Jacob, quæ tamen etiam omnia vocantur species Kaini & Hebelis, sicut dictum est.

§. 27. Verum enim vero quando Kain est in Jaacob, tunc vocatur Jabal, de quo nempe dicitur Gen. 4. v. 20. *Et Ada pariebat Jabal.* Quæ tamen omnia vocantur nomine Kaini, ita tamen ut Kain in specie referatur ad Microprosopum & Jabal ipsi similis ad Jacobum, quod notes. Sicut etiam latius patebit infra. Dantur quæ species adhuc plures in Kaino à Cerebris nempe tam internis quam ambientibus, tam masculinis quam femininis.

Cap. XXX.

§. 1.

POstquam jam exposuimus omnes animarum species quæ fuerunt in Adamo protoplaste, quæ nempe ab illo delapsæ sunt, & quæ in illo manserunt; nec non quas Hæreditario tradidit Kaino & Hebeli & Schetho; item quæ ab ipso recesserunt & non decideruntvel immersæ sunt intra cortices: Porro etiam quæ sint animæ planè novæ de quibus omnibus latius in capp. præcedentibus. Jam porro adhuc aliam describemus speciem animarum, ut sic omnia animarum genera proponamus.

§. 2. Cum ergo Adam protoplastes comedisset de arbore cognitionis boni & mali mixtumque esset bonum malo, & per ipsum diffusum esset inquinamentum serpentis; tunc incepit committere peccatum frustra profusi Seminis. Notum autem, quod ex omni gutta frustra profusi seminis Lilith & Naemah faciant corpora, quæ referuntur ad speciem dæmonum & spirituum & Lemurum. Quamvis Dæmones propriè dicti quoad spiritum corpusq; suum sint ab impuritate: Spiritus autem hi impuri & Lemures quoad corpus suum quidem fiunt è frustra profuso semine adeoq; ab impuritate per Naeman & Lilith: Sed mens eorum provenit è loco sancto. Et isti vocantur plaga filiorum Adam; Sicut dicitur: 2. Sam. 7. v. 14. *Et castigabo ipsum virga virorum, & plagis filiorum Adam.* Ubi per virgam virorum intelligitur fundamentum virile, juxta illud: Numer. 24. v. 17. *progredietur stella ex Jaacob & stabit virga de Israël.* Quoniam virga est membrum fundamentale & litera Vav minor. Stella autem est gutta Seminalis quia vibratur sicut sagitta. Et plagæ filiorum Adam sunt isti Dæmones, qui procreati sunt è frustra profuso semine. Et quia primus qui peccatum hoc commisit fuit Adam protoplastes: hinc secundum illius nomen vocantur Plagæ filiorum Adam.

§. 3. Quanquam adhuc alia sit ratio, quare sic vocentur: quia nimirum revera fuerunt filii Adam & non perfecti Dæmones. Atque id innuitur in Sohar Sectione Vajikra fol. 19. Ubi dicitur: quod Lilith congressa fuerit cum Adamo protoplaste, antequam in ipsum ingressa esset psyche vivens. Notum autem, quod peccatum Adami prius commissum fuerit quam generarentur Kain & Hebel, ut dictum supra Cap. 33. Quamvis enim locis quibusdam Magistri nostri p. m. diversum sentiant; tamen in Sohar eadem opinio confirmatur Sectione Achare-Moth fol. 77. Jam enim nosti quod Adam eâdem

eâdem die quâ creatus erat quoque comederit, & eadem die congressus sit, & eâdem die nati sint Kain & Hebel. Patet ergo quod cùm Gonorrhæam procuraret, eo ipso libido ejus incitatior facta sit, ut cum Chavvah concumberet. Atque tunc è gutta prima prodiit Kain & Hebel è secunda. Quia igitur nondum omnes Gonorrhæas & plagas illas finierat & cum Chavvah rem habebat; hinc gutta Kaini permixta erat cum aliquibus plagarum illarum filiorum Adam, sicut traditur in Sohar Sectione Achare Moth his verbis: Aliquando Naemah in mundo existit atque tùm quis è somno expergiscitur uxoremq; suam attingit, &c. Cumque ipsa concumbit, &c. Ita enim res se habebat cum Adamo protoplaste: ita ut fluente adhuc Gonorrhæa frustranea jungeretur Chavvæ uxori cumque ipsa concumberet. Atque tum frustraneæ illæ guttæ commiscebantur cùm guttis Adami copulatoriis: & ex mixtura ambarum primo prodibat Kain. Atque hinc in Kaino maxima pars erat mala, inque eo erant cortices multi. Quod intelligitur in sectione Achare Moth his verbis: Et deinde generabat Kainum.

§. 4. Porro autem à gutta secunda prodibat Hebel, qui propterea mitigatior erat.

§. 5. Natis autem Kaino & Hebele Adam porro huic Gonorrhææ succumbebat per centum triginta annos, sicut traditur locis quam plurimis. Unde triplex Adami est Gonorrhæa, una antequam generaret Kain: & una ipso tempore generandi Kaini, & una 130 annorum illorum, quibus separabatur à Chavvah uxore sua donec generaret Schethum.

§. 6. Omnes autem tres hæ Gonorrhææ Adami à radice Kaini provenerunt: quia omnes referuntur ad severitates: Hinc dæmones & externi omnes cortices ad illas applicari queunt, quoniam judicia sunt & rigores; ubi applicationem habent cortices. Et tamen in omnibus atque singulis anima quædam est robusta admodum, &c. Et hæc materia prolixa est, huic libro tamen non inserta.

Cap. XXXI.

§. 1.

EXpositis jam omnibus animarum speciebus, quotquot inveniuntur per omnes creaturas, jam revertemur ad quasdam revolutiones animarum; ubi simul declarabuntur quam plurima dicta legis totiusque scripturæ. Initium autem faciemus ab illis revolutionibus, quæ sunt in specie Caini; Ubi simul immiscebuntur quam plurimæ revolutiones Hebelicæ.

§. 2. Primò igitur sciendum est, quod Adam Protoplastes peccaverit circa arborem cognitionis: atque tunc omnes animarum species jam ante peccatum in ipso comprehendebantur, ita ut nullus hominum in mundo sit, qui ibi non fuerit præsens in isto peccato, & cui non aliqua depravatio per istud peccatum obtigerit.

§. 3. Commisso autem peccato divisæ sunt animæ in plurimas sectiones, de quibus dictum est capitulis præcedentibus. Patet igitur, quod omnes animæ tam quæ recesserunt

runt ab Adamo, (sive non immersæ intra cortices, sive immersæ in eos,) quam quæ relictæ sunt in Adamo ipso, nonnisi unicam illam habeant labem Adamiscilicet Protoplastæ.

§. 4. At vero animæ illæ, quas hæreditario tradidit Adam Kaino & Hebeli filiis suis, solæ adhuc alium insuper acceperunt defectum, nimirum propter peccatum, quod ipsi Kain & Hebel peccarunt, sicut dicitur in supplem. 69. & 112. & pluribus locis aliis. Unde clarum est, quod animæ provenientes è Kaino & Hebele duas restaurare teneantur corruptiones; primo labem Adamiticam; & secundò labem Kainiticam & Hebelicam: ad quod non obligantur exteræ animæ, quippe quæ restitutione alia non habent opus, nisi ob vitium unum Adami nimirum Protoplastæ.

§. 5. Sciendum tamen, hæc omnia ipsis competere præter illa, quæ ipse homo peccat operibus suis in singulis revolutionibus: cum nobis jam sermo non sit, nisi de corruptionibus primis, quam factæ sunt per Adamum Protoplasten, perque Kainum & Hebelem, quæ sunt radices omnium animarum, ut dictum supra.

§. 6. Patet igitur, quod animæ Kaini & Hebelis duplicem habeant immixtimsi speciem: unam per vitium Adami; & alteram per vitium Kaini & Hebelis: unde simul è malo constant atque è bono.

§. 7. Antequam igitur peccaret Kain omnes animæ humeri istius sinistri in illo continebantur; sicut in Adamo omnes omninò continebantur animæ, ut dictum supra. Commisso autem peccato Kaini, cum nempe occideret Hebelem fratrem suum, omnes illæ animæ vitium passæ sunt immixtumque in illis fuit bono malum altera vice, ita ut descenderent in ptofundum corticum: quædam tamen illarum remanebant in Kaino, quamvis etiam inibi jam permixtum esset in illis bono malum.

§. 8. Porro jam quoque supra dictum est, omnes illas animas, quæ immersæ fuerant corticibus, non statim iterum venire posse in mundum, nisi primò anima illa, quæ abinde prodit, & cujus tempus appropinquat, ut ab illis educatur, accedat per modum imaginis lucis ambientis caput corporeum hominis cujusdam alterius, qui sit de radice ejus: quod fieri debet tribus vicibus in tribus hominibus ad radicem ejus pertinentibus: ubi quarta demum vice accedit per modum animæ internæ in hominem alium. Atque hoc modo omnes animæ exeunt atque educuntur è corticibus, ita ut alia aliam lucis instar circundet, & alia alii superimmineat, donec restitutæ sint omnes atque singulæ: quas tamen omnes unius radicis esse oportet, prout pluribus dicetur infra.

§. 9. Et quamvis tales animæ sint in statu imaginis ad instar lucis ambientis, tamen ab ipsa non secernitur bonum à malo, donec accedant per modum lucis internæ: atque tunc per opera earum malum ab ipsis separatur: quod tamen non penitus secedit usque ad percussionem in sepulchro factam, ut suo loco dicetur. Atque hoc indigitatur dicto illo: Jesch. 25. v. 8. *Absorbebitur mors in æternum.* Mors enim propterea saltem contingit, ut separetur malum à bono, quod immixtum fuit animabus per transgressiones Adami Protoplastæ & Kaini atque Hebelis: quia nimirum isti fuerunt Patres atque radices omnium animarum, omnesque in iis contentæ fuerunt: & transgressiones eorum

eorum tantæ fuerunt, ut malum bono immixtum fuerit quam profundissimè; quod ita non accidit in vitiis illis, quæ à singulis animabus admittuntur perse, atque sibi relictis. Unde ab origine mundi usq; ad adventum Messiæ semper generantur homines atq; moriuntur: & hoc medio scoriæ separantur ab auro: quo examine eo usque ad finem perducto, ut nullum amplius malum bono adhæreat, in singulis animabus, tunc veniet Meschiach, ut dictum est. Tunc enim cortices, qui vocantur mors, quoniam ipsius causa sunt, absorbebuntur, & disperdentur ab iis, ut non futurum sit opus, eosdem ulterius separare: absumentur enim ut fumus, quia nullum amplius habebunt influxum à sanctitate, nec vita ipsis suppetet ulterior, unde ab illis cessabunt in æternum: quæ est mens illius dicti: *Absorbebitur mors in æternum.* Jesch. 25. v. 8.

§. 10. Unus igitur ex illis transgressoribus fuit Hebel, unde Moses Magister noster super quo pax, qui ejusdem Hebelis erat revolutio, tantopere conabatur istam restaurare labem Hebelicam, à colluvie plebeja simul ex Egypto egressa, ut pluribus dicetur infra. Atque sic extensio Mosis in omnes atque singulos generationes pertigit, usque ad sexaginta myriades generationum revolutivarum, donec omnis spurcities Hebelis absumta sit. Hinc literæ initiales dicti illius בָּלַע הַמָּוֶת לָנֶצַח *Absorbebitur mors in æternum*; repræsentant nomen Hebel. Id quod similiter eveniet in cæteris radicibus omnibus.

§. 11. Cumque jam expositum sit, quomodo in illis animabus Kainiticis & Hebelicis malum bono immixtum sit, idque per omnes animarum gradus à Psyche usque ad spiritum vel mentem: jam patet, quod malum Kaini magnum sit admodum: sicut notum est, quod scoriæ severitatum judicia sint rigorosissima. Eodem tamen modo bonum illud etiam quod in Kaino erat, insigne admodum erat atque excellens, prout supra dictum est. Sciendum autem quod malum à bono non separetur nisi per bonum aliquod opus vel observationem cujusdam præcepti, quod homo ille complevit, qui talem animam in mundum eduxit: ita ut, quò majus est illud præceptum, vel major est hominis alacritas ad illud observandum, eò major quoque in ipso suboriatur vis separandi malum à bonò in illa anima, quam eduxit extra corticem; eamque elevat usque ad uxorem supernam, ubi restituitur & renovatur per copulam, venitque in mundum, ac si esset nova: de quibus vide meditationem super prolapsum in faciem, & illa, quæ de his diximus supra. Atque tunc introducit eam in guttam illam specialem. Quanta igitur est proportio observatorum ab homine præceptorum, per quem hæc gutta attrahitur, eadem proportione malum à bono separatur. Semper autem ipse incipere tenetur separationem istam, ut aliquid mali in ea latentis ab ipsa tollatur; alias enim non posset prodire è corticibus: atque tunc bonum illud cum pauco suo malo intrat in guttam illam. Malum autem istud, quod pater ejus separavit à tali anima, non est malum perfectum; sed in eo adhuc latet aliqua scintilla sanctitatis; quæ & ipsa intrat in corpus quoddam, ibidemque purificatur purificatione perfecta de gradu in gradum, donec depuretur penitus, ita ut malum omne remaneat in latere uno, & bonum in latere altero. Et sic in bono illo primo, quod homo talis attraxit filio suo, sicut dictum est,

omnino etiam adhuc aliquid mali extat: quod pariter non mundificatur, nisi per bona opera, ab ipso homine illo facta. Et nihilominus nondum penitus separare potest malum illud, etiamsi vel justissimus foret in mundo, nec vel unicum per totam vitam suam commisisset peccatum: semper enim labes illa prima Adamitica adhuc subsistit: quare necessario opus habet morte; ut nempe malum illud penitus ab ipso separetur.

§. 12. Cum itaque quidam sint, qui ita non perficiuntur; illos redire oportet multis revolutionibus. Qui verò absoluti sunt penitus, ita ut in illis nihil remanserit, nisi labes Adamitica, illos purificari oportet per mortem. Atque huc pertinet illud, quod in Gemarah dicitur de quatuor illis, qui per totam vitam suam nullum perpetrarunt peccatum, inter quos est Jischai pater Davidis, &c. quos mori oportuit propter consilium serpentis. Et quamvis id mirum videri queat; per supradicta tamen facile intelligi potest: quamvis enim ipsi nihil corruperint vel ulteriorem labem superadiderint: nihilominus tamen vitium primum serpentis in Adamo Protoplaste obortum nondum fuit restitutum; unde moriendum ipsis fuit.

§. 13. Summa horum omnium est, quod portiones illæ mali, vel portiones illæ boni existentes in qualibet anima, tot submittendæ sint revolutionibus, donec singulæ discedant in locum suum debitum, ita ut omne bonum perfectè separetur in partem unam, unde talis homo vocatur perfectè justus: & omne malum in partem aliam, à qua talis perfectè malus dicitur. De quo Propheta inquit: Jesch. 66. v. 24. *Exibunt & videbunt corpora istorum hominum, non morietur vermis eorum, & ignis eorum non extinguetur.* De malis autem illis, in quibus adhuc aliquid boni est, intelligendus est locus ille 2. Sam. 14. v. 14. *Et cogitabit cogitationes, ne expellatur ab eo expulsus.* Atque talis restauratur per revolutiones. Quod probè notandum.

Cap. XXXII.

§. 1.

DEductis nunc per capitula præcedentia, quæ dicenda fuerunt de revolutionibus, quod nempe per eas malum separandum sit à bono: jam adhuc aliquid superaddam, quod pertinet ad capitulum superius quartum, quomodo nempe intelligendum sit, quod scriptum est in Tikkunim, sive supplementis aliisque libris Cabbalistarum, de revolutionibus trium Patriarcharum: item quod Kain revolutus sit in Ægyptio & in Korach & in Jethrone: cùm tamen multi istorum vel omnes vixerint eodem tempore. Unde quæstio oritur, quomodo id fieri potuerit?

§. 2. Res autem ita se habet, ut supra dictum cap. 1. quod nempe animæ Adami Protoplastæ insertæ fuerint in Adamum Belial, ita ut malum immixtum fuerit bono, & membra animarum Adamiticarum innexa & conjuncta fuerint similibus membris in Adamo perverso. Primo ergo (è corticibus istis) prodierunt membra superna, ut initium factum sit à capite, & restauratio pedetentim sit subsecuta, donec generatione ultima Regis Messiæ purificandi sint calcanei animarum, juxta id quod dicitur Psalmo 89. v. 52. *Probris affecerunt calcaneos Messiæ tui.* Unde etiam dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: circa calcaneos Messiæ protervia multiplicabitur. Cum autem plene mundificati fuerint pedes illi, tunc veniet Meschiach. Sicut scriptum est in Sohar sect. Pekude fol. 258: Cum pedes redierint, implebitur quod dictum est: & stabunt pedes ejus illa die super monte olivarum.

§. 3. Patet igitur, quod interdum duo vel tres inveniantur homines vel plures in una generatione, qui nempe sunt de radice una, v. gr. si sint è duobus oculis; vel è duabus auribus; vel è quinque digitis manuum vel pedum, & similiter. Sic quoque si sint è vasis unius membri vel venis: quoniam hæ admodum sibi cognatæ sunt. Unde ne mireris, quod supra scripserimus: nempe quod Rami filius Chamah & Abbaja & Rabba Dima Nehardæus omnes fuerint è radice una; omnesque fuerint coævi.

§. 4. Deinde alia quoque occurrit ratio juxta ea, quæ supra diximus: quod nimirum omnes animæ in exilio sint cum gloria cohabitante permixtæ inter cortices: ubi pro ratione temporis vel etiam præceptis ab homine quodam in hoc mundo observati, iste homo dignus evadit educendi duas vel tres pluresve scintillas, si ab una radice fuerint: quamvis non tantùm sint propinquæ, sicut aures vel oculi. Unde à pluribus hominibus, qui singuli scintillam quandam educunt, quilibet nempe pro ratione præcepti à se observati, in mundum protrahi possunt similes scintillarum species; & in specie, si justus ille fuerit de radice istius animæ. Atq; tunc quamvis anima una sit à capite, & altera è pede, atque sic porro; nulla tamen hinc difficultas. Quoniam omnia dirigantur secundum præcepta, & bona opera, quæ homo perficit, similesq; iisdem scintillas educit. Fieri ergo potuit, ut homo quidam è generationibus primis observaverit præceptum aliquod parvum, per quod educere non potuit nisi animam quandam de pedum notione: Et ut alius quidem vivat in generationibus his posterioribus, qui observet præceptum aliquod magnum, cujus beneficio educere queat animam quandam excellentem de notione Capitis & similiterita ut non omnino observetur ordo ille inter animas quo venerunt in mundum. Quia interdum animæ excellentes sunt in profundo corticum ut exinde prodire nequeant, donec veniat homo quidam de radice earum & observet præceptum aliquod ipsis competens & per quod restituendum est vitium talis animæ: Unde diu ipsis est expectandum, donec talis quidam inveniatur.

§. 5. Interdum autem animæ dantur parvæ inventique fuerunt quidam qui observarunt præceptum tale parvum eisdem competens; atque sic citò prodierunt in mundum in generationibus primis.

§. 6. Adhuc alia porro datur ratio, ut hoc adhuc intelligatur plenius, nempe sicut diximus Cap. 24. quod scilicet in singulis radicibus dentur discipuli sapientum & observatores præceptorum atque bonorum operum, nec non populares, qui in membris si-

miles sint cuti, carni, pilis & unguibus. Quare necesse est, ut in generationibus primis plebeji illi unius membri, verbi gratia superioris prius prodeant tanquam pili illius membri & citius in mundum veniant quam discipuli sapientum multò præstantiores, pertinentes tamen ad membrum aliquod inferius illo: Cum tamen inter discipulos sapientum qui ad pedes pertinent & inter plebejos in Capite existentes nulla sit proportio vel similitudo: & nihilominus plebeji illi citius prodeunt è corticibus. [prout videmus quod ante Patriarchas mundi viginti præcesserint generationes per bis mille annos: nimirum generatio diluvii & generatio turris Babelicæ:] Hi vero deinde in apricum prodeunt tempore debito, pro ratione nempe membri sui inferioris, quamvis sint excellentes admodum; vel propter observatum aliquod præceptum in illo tempore, quod causa fuit ut exire potuerint, ut dictum est supra.

§. 7. Alia quoque adhuc ulterius ratio datur; (quare nempe viliores animæ præclaras antecedant) quia animabus præstantioribus nimium quantum adhærent cortices; ita ut magno opus sit labore iis educendis. Unde mirum non est, quod in generationibus istis inveniantur Justi insignes, quia fieri potest, ut animas habeant multò præstantiores quam plurimi è prioribus. Unde quoque intelliges, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, nullam dari generationem, in qua non sint justi quidam, quales fuerunt Abraham, Jizchak, & Jaacobh & Moschech Magister noster super quo pax, & Schmuel Propheta. Et quamvis in Gemara dicatur: quod Generatio non fiat melior; quod probant per Templum, quod prioribus reædificatum sit; posteriorbus autem non ita reædificetur. Hoc tamen intelligendum saltem est de Generatione in genere; sed respectu quorundam singularium possibile est, ut generatio evadat melior: Sicut est generatio hæc moderna, quæ est ultima, in qua manifestatur Sapientia veritatis (id est Cabbalah) ut veniat Meschiach. Sicut dicitur in Tikkunim sive supplementis: quod propter merita libri Sohar revelandus sit Rex Meschiach.

§. 8. Id etiam hinc probatur, quod multis in locis reperiamus; Vocem quandam de cœlo clamasse: N. N. dignus est, ut accipiat Spiritum Sanctum sicut Moschech; & Jehoschuah; sed generatio non est digna ut id eveniat. Unde patet, quod si generatio sumatur in genere, verum sit, Generationem non fieri meliorem: Sed in quibusdam individuis in specie eadem melior dici potest. Atque hinc quoque in Gemarah refertur de R. Pinchas F. Jair; quod excellentior fuerit Moyse Magistro nostro super quo pax, quoniam illius tempore divisum fuerit Mare rubrum in gratiam sexaginta myriadum; tunc autem propter hominem unicum. Deinde, quod Moysis tempore mare divisum saltem fuerit semel; tunc verò ter. Sic quoque R. Schimeon Jochaides ultimus è Doctoribus Mischnicis, gloriatur, quod Moscheh nesciverit faciei suæ cutem fulgorem emittere; ipse verò istud in se evenire sciat. Sicut reperimus in Idra Sect. Naso. Atque sic R. Akibha F. Joseph, qui erat filius proselyti & ultimus Dd. Mischnicorum, tam fuit præclarus, ut eum Moscheh vidisset Horoscopum R. Akibhæ, perterrefactus contremuerit, inquiens: nihil jam rei mihi circa ministerium Legis, Sicut

Sicut scriptum extat in Libro de literis R. Akibhæ. Et hæc illis qui fateri voluerint veritatem & rem profundius perspexerint perspicua sunt; deq; iis pluribus dicemus infra.

§. 9. Jam igitur prolixè satis deduximus, quomodo possibile sit Animas excellentes dari in generatione postrema; & minores illis priores in mundum venire potuerint. Expositum quoq; est, quomodo in una generatione tres vel quatuor scintillæ pluresve coævæ esse queant, quæ omnes sint de una radice. Unde mirum non est, quod Korach & Ægyptius, & Jethro omnes fuerunt coævi. Quod tamen ad tres istos attinet, ratio adhuc alia occurrit intimior. Sciastamen huc quoque referri posse, quod jam præfati sumus: nimirum possibile esse ut Psyche veniat in hominem unum; & spiritus in alium; & mens in hominem tertium, quæ omnes tres tamen sint homo unus omninò, quamvis non nati sint in consanguinitate, modo de una ortum trahant radice, ut dictum supra; & unus gradus sit Psyche; alter Spiritus; & tertius Mens. Atque sic in casu propositores se habet. Kain enim constabat à bono atque malo, inque eo erant Psyche, spiritus & mens. Psyche igitur de genere mali revolvebatur in Ægyptio illo, quem occidebat Moscheh: sed Psyche ejus de genere boni revolvebatur in Kenan; & deinde in Mahalaleel &c. sicut dicitur in Sohar Sect. Trumah. Porro spiritus ejus de genere mali revolvebatur in Korach; & quia spiritus major est quàm psyche; hinc psyche revolvebatur in Ægyptio; & spiritus erat in Judæo quodam, nempe in Korach, quamvis ambo essent de genere mali Kainitici. Deinde Spiritus de genere boni restituebatur in Schmuele Propheta; cùm primò revoluta fuisset in Nadab & Abihu; prout dicemus infra. Mens ejus tandem revolvebatur in Jethrone; atque tunc perficiebatur & restituebatur, sicut dicitur in Supplemento 115. f. 101. quod nempe in Jethrone Kain inceperit restitui. Et huc pertinet illud Gen. 4. v. 24. Septies vindicabitur Kain; ubi vox קם defectivè scribitur sine Vav, ad denotandum tres illas revolutiones; & tres restitutiones, quarum ordo à summo ad imum pergit secundùm ordinem literarum קם, id est, יתרו קרח מצרי Jethro, Korach, & Ægyptius; vide plura supra cap. 26.

Cap. XXXIII.

§. 1.

VT igitur ad specialia quædam de istis hominibus descendamus; jam præmisimus, quod Ægyptius ille, quem occidit Moscheh, fuerit Psyche mala Kaini: Moscheh autem fuit bonum quod fuerat in Hebele. Sicut autem Kain peccabat; quòd occideret Hebelem, ut acciperet Gemellam ejus: sic Ægyptius ille occidebat illum Jisraëlitam, ut acciperet uxorem ejus Schlomith filiam Dibri, sicut notum est. Unde dicitur Exod. 2. v. 11. *Et videbat virum Ægyptium, qui occidebat virum Hebræum*, איש עברי, ubi sub voce איש non intelligi potest vir ille Jisraëlita, qui eundem nominavit virum Hebræum. Et si dicas illum fuisse cognatum ejus, & de ejusdem familia; id ita non est, quia alter ille erat de familia Dan, Moscheh autem de tribu Levi, sed sensus est, illum per Spiritum Sanctum vidisse, quòd Ægyptius iste, qui occidebat virum Hebræum ortum haberet

de fratre suo, nempe Kaino, ita ut vox אחיו legenda sit per Chirek, & intelligenda de Ægyptio, qui erat revolutio Kaini fratris sui. Quod autem dicitur, Et convertit se huc atque illuc: id sic interpretantur Magistri nostri b. m. Moysen vidisse, quid ipsi fecerit in domo sua; & quid ipsi fecerit in campo. Sensus est, Moysen duas habuisse visiones, unam nempe, quid fecerit illi in domo, cùm voluerit vim facere uxori ejus; & alterum, quod idem peccatum jam commisisset, cùm adhuc esset Kain, nempe tunc etiam propter uxorem, suam nempe Hebelis & Moysis propriam: sicut Magistri nostri b. m. interpretantur locum illum Gen. 4. v. 8. *Et accidebat cum essent in campo.* Ubi per campum intelligi volunt uxorem. Cumque omnes ejus revolutiones propterea ipsi evenissent, ut elueret maculam illam, hic (existens in Ægyptio) è contrario potius peccato priori ulteriora addebat delicta, ita ut ob hanc rationem Moses eundem occiderit.

§. 11. In supplementis quoque n. 110. textus ille eodem modo exponitur superaddita quoque explicatione in verba illa Exod. 2. v. 12. *Et videbat, quod vir nullus*: id est, quod nullus Proselytus ab ipso sit prodituros; quasi contemplatus sit, an in ipso aliquid esset de natura boni, videritque quòd nulla sit spes. Supra enim dictum est, Ægyptium illum fuisse Pychen de genere mali Kainitici & non de genere boni. Et quia videbat, quod nulla in illo foret spes, hinc factum est, ut occideret eum. Absit enim, quod vir justus, qualis erat Moyses Magister noster super quo pax, occisurus esset virum quendam ob merum odium: cum scriptum sit Lev. 19. v. 17. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Hic autem frater ejus erat. Quinpotius è contrario ex mero amore eundem occidit, ut nempe illum restitueret. Unde intelliges, quare dixerint Magistri nostri b. m. Moysen nempe occidisse Ægyptium per nomen expositum. Ubi quæstio oritur insignis, quomodo Moyses pronunciaverit nomen illud sanctissimum expositum super Ægyptio illo impuro: cùm tamen in Sohar dicatur Sect. Balak f. 197. quod Pinchas dixerit ad Zelachi Abi & occide eum; sed non per nomen expositū: quia indignus est super quo illud pronuncietur. Cùm tamen Bileam fuerit Propheta, prout dixerunt Magistri nostri b. m. Multo minus igitur hoc fieri debuisset super Ægyptio isto. Verum enim vero res ita se habuit, sicut jam diximus: Moysen nimirum habuisse intentionem eundem restituendi; unde eum occiderit per nomen expositum. Ubi notandum est, quod nomen expositum hoc non fuerit illud, de quo dicitur Exod. 3. vers. 15. *Hoc est nomen meum in æternum*, de quo dixerunt Magistri nostri b. m. quod qui illud pronunciet literis suis, nullum habeat portionem in mundo venturo. Et notum est alias, quòd plura dentur nomina, quæ vocantur exposita: sicut & alia sunt, quæ vocantur cognomina. De his videri potest præfatio libri, de Literis R. Akibha, ubi agitur de nominibus sanctissimi expositis. Traditumque nobis est à Magistris nostris, quod nomen illud expositum, per quod Moyses occiderit Ægyptium, fuerit nomen 42 literarum, cujus initium est אבגיתץ &c. Hoc enim, ut notum est, nomen est severitatis, quod occidit. Sunt q; qui illi subjiciunt puncta illius dicti Exod. 2. 12. וַיַּךְ כֹּה וָכֹה. *Et convertebat se huc atq; illuc.* Summa hoc redit, quod hoc nomine eum occiderit. Porro etiam notum est, quod hæc sit istius nominis proprietas, ut per illud mundi queant elevari tribus manibus: quia in illoter continetur nomen יד i. e. manus, cujus numerus est 14. unde summa 42. Prout à nobis expositum est

tum est super benedictione matutina, cujus initium est: &c. אנא בכח. Item super simili benedictione ejusdem initii, quæ cum lectione Audi, noctu coram lecto recitatur.

§. 3. Intentio ergo Moysis erat, eundem elevare per cædem hanc sursum ad uxorem supernam tanquam aquas fœmininas, juxta dictum illud Thren. 3. v. 23. *Novæ sunt sub diluculis* &c. Nimirum per nomen 42. literarum, quod habet vim elevandi, ut nempe ibi innovaretur, inque mundum rediret emundatior, quàm fuerat antea, ut supra jam diximus cap. 31.

§. 4. Cùm igitur occidisset eum, exibat ab eo Psyche illa, & associabatur Jethroni, qui erat Mens Kaini, ut dictum supra. Cumque sic eidem jungeretur, Jethro proselytus fiebat, abnegato cultu Idolorum, quoniam restituta erat Psyche ejus per nomen 42. literarum.

§. 5. Nihilominus propterea punitus est Moses, ut pluribus infra dicemus. Et huc pertinet dictum illud Gen. 4. 24. *Quoniam septies vindicabitur Kain.* Id est, vindicta illa, qua Deus sanctissimus puniturus est Kainum, fiet per virum quendam septinomium, sicut dixerunt Magistri nostri b. m. eundem intelligi, qui occidit Ægyptium, qui erat Kain. Quod autem dicitur שבעתיים quasi bis septies, & non septies simpliciter; hoc indicatur, quod Kain vindicandus sit duplici septenario, id est, per duos viros, qui singuli habuerunt septem nomina, sicut dixerunt Magistri nostri b. m. ita ut per ambos restituendus sit Kain. Moyses enim Magister noster, super quo pax, occidebat Ægyptium, & restituebat eum per nomen expositum, (& habebat septem nomina, quæ sunt; משה & 1. Chron. 4. v. 18. יקותיאל יהבר ירד: & אבתבת אביסוכי אבגידות) Deinde autem veniebat eadem Psyche & jungebatur Jethroni, qui etiam habet septem nomina (קני פוטיאל ראעאל חובב חבר יתרו יתר) ibique restituebatur; eò quod is fieret Proselytus abnegato cultu Idololatrico.

§. 6 Ista ergo occisio Ægyptii hujus indigitatur verbis illis Exod. 21. v. 12. *Si quis verberaverit virum quendam ut moriatur; non tamen insidiatus sit ei, sed Dominus sic illum obtulerit: locum tibi ponam, quò fugias.* Ubi sub verbis; *non insidiatus fuerit*, intelligitur Moscheh, qui occidit Ægyptium, pro commodo ejus; & non ex præmeditatione; sed Deus illum obtulit manib. ejus. Nihilominus tamen punitus è Moscheh, quod eũ occiderit ante tempus destinatum ipsi: Hinc dicitur, *Ponam tibi locum.* Dicendum enim fuisset, ponam ei locum: sed quia dicitur; *ponam tibi*: ipse Moses intelligitur. Cui exinde necessaria fuit urbs refugii, ut fugeret שמה illuc, ubi ne legas שמה sed משה. Id quoque traditur in Sohar Sect. Mischpatim his verbis: hoc præceptum, de separandis urbibus refugii, tibi datur, propter illum Ægyptium, quem occidisti &c. Occidisti enim eundem tempore nondum congruo. Ubi simul dicitur, quod præsens ibidem fuerit serpens antiquus (Confer Apocal. 12. v. 9.) sive primævus. Quod idem est, quod supra diximus, Kaino scilicet, quoniam esset de severitatibus, adhæsisse impuritatem serpentis respectu Psyches. Si enim totus, quod absit, constitisset ex impuritate, prout multi autumant: quare Moscheh Magister noster super quo pax, obligatus fuisset

fuisset tolerare exilium? Porro enim dicitur ibidem: Præceptum tertium est de urbibus refugii. Atque tres hæ urbes refugii Transjordaniticæ non in usum venerunt, donec & reliquæ separarentur, quæ in terra Jisraël: Quare igitur Moscheh sic festinavit, sicut dicitur Deut. 4. v. 41. *Tunc separavit Moscheh tres urbes?* Res autem ita se habet, quod per separationem istarum urbium imputari sibi vellet, quasi ibidem exulasset, ut sic expiaretur peccatum ejus. Unde in vocula משה latet nomen משה.

§. 7. Porrò ab ista impuritate, quam impius iste Ægyptius injiciebat in Schlomith filiam Dibri, quod erat malum, prodiit ille filius, de quo dicitur: Levit. 24, 10. *Exibat autem filius mulieris cujusdam Israëlitica, qui erat filius viri Ægyptii, & maledicebat sanctissimo nomini.* Quoniam opera patrum perficiunt filii: unde quia Pater, Ægyptius ille scilicet, perfectè malus erat, mirū non est, quod delictum hoc perpetraverit: unde & ipse occisus est per Moschen Magistrum nostrū, super quo pax, quia à Patre hoc habebat. Dictum enim est v. 11. *Et adduxerunt eum ad Moscheh*, &c. De peccato autem ejus, de quo dicitur, *& maledicebat nomini Divino*, loquemur suo loco.

§. 8. De Jethrone autem jam quoque multa sunt dicta cap. 26. & 27. sicut etiam, quænam fuerit Gemella redundans illa Hebelis. Quia ergo Kain jam restituebatur in Jethrone, sicut diximus, quod ipsi se adjunxerit Psyche Ægyptii illius, atque conversus sit; quodque Jethro fuerit portio ejus fundamentalis, nempe Mens Kaini; unde in illo restitutum sit peccatum Kaini: hinc abunde intelliges, quare inter omnes tribus Jisraël, nulla Mosi destinata fuerit uxor, nisi filia Jethronis sacerdotis Idololatrici: quia nimirum in isto Kain inceperat restitui: unde loco facti sui primi, quod occiderit eum, jam eundem à Pharaone fugientem amœno vultu in domum suam suscepit, animamque ejus salvavit, cibumque & potum ei subministravit, sicut dicitur Exod. 2. v. 20. *Vocate eum, & comedat panem.* Et pro eo quod antehac gemellam Hebelis abstulisset; jam eandem eidem restituit, quippe quæ esset Zippora filia ejus, sicut diximus cap. 27. Hinc patet, quia in Jethrone Kain incipiebat restitui, quod propterea Moscheh acceperit filiam ejus: quoniam Moscheh erat Hebel, & Jethro erat Kain post restitutionem suam: quare etiam Moysi omne id exhibebat, quod de ipso legimus.

§. 9. Sed Ægyptius & Korach & Dathan & Abiram & Doeg & Achitophel omnes isti de parte mali Kainitici provenerant, antequam illa restituta esset: unde semper adversabantur Moysi & Davidi, quod probè notandum.

§. 10. Hinc quoque intelliguntur verba illa Exod. 18. v. 6. *Ego socer tuus Jethro, & uxor tua.* Ubi dicere debuisset, & filia mea; sed propterea dicit, *Et uxor tua*; quod intelligeret uxorem illam primam, quam habuerat tempore Hebelis. Unde literæ initiales horum verborum אֲנִי חֹתְנְךָ יִתְרוֹ repræsentant vocalum אחי, mi frater, quasi diceret: Ego sum Kain, & tu es frater meus Hebel; Jamque pacifice tecum agam, & benter tibi reddam uxorem tuam, ut id corrigam, quod antea deliqui.

§. 11. Et huc etiam pertinet illud, Jud. 4. v. 11. *Et Cheber Kenita seperavrat se à Kaino.* Iste enim Cheber erat de nepotibus Jethronis: sicut scriptum est ibidem: *E filiis Chobab soceri Moysis.* Unde Cheber iste è posteris Kaini erat de genere boni, quod in

ipso fuerat; sicut diximus cap. 29. Hinc dicitur: *separaverat se à Kaino.* Quoniam in Kaino permixtum erat bono malum; jam verò bonum illud separatum erat à malo Kaini: Unde Cheber etiam dicitur קני quæ sunt literæ Kain: quod nimirum à Kaino descenderet, & à Kaino, id est ejus malo se separaverat.

§. 12. Jam autem redibimus ad discursum de Zipporah, quæ nimirum fuit fœmina illa redundans Hebelis: & hæc etiam vocatur Leah, quoniam ab illo loco descenderat: quanquam illa sit de parte interna, & Leah de parte externa, ubi nodus est Phylacteriorum. Et huc pertinet illud: Exod. 2. v. 20. *Et Moyses habitare volebat apud virum istum.* Ubi literæ initiales illorum verborum לְשֶׁבֶת אֶת הָאִישׁ exhibent nomen Leah; quippe quæ ipsa erat Zipporah. Unde dicitur: *Dedit ei Zipporam filiam suam.* Quod etiam designatur verbis initialibus Psalmi 90. v. 1. Ubi per literas initiales horum verborum אִישׁ הָאֱלֹהִים לְמֹשֶׁה *Oratio Moysi viri Dei* exhibetur nomen לאה. Res autem ita se habet: Quia omnes notiones regni vocantur preces. Dantur autem variæ precum species, v. g. Oratio Davidis; quod est regnum notionis Davidicæ: item oratio pauperis, quod est regnum infimum, cui pauperis nomen competit. Item oratio Moysis, quod est regnum summum informationis, adeoque gemella redundans uxor Moysis. Hinc dicitur: Oratio Moysis, id est, notio illa regni Moysis, quod denotatur per modo dictas literas initiales, quod nempe sit Leah. Non enim intelligitur oratio infima, quæ est Rachel, sed oratio Moysis, quæ sursum est sub notione Leah. Id quoque patet è Phrasi vocis תפלה quasi diceretur טפלרך sensu copulandi seu jungendi: quia hæc gemella redundans juncta atque sociata erat Moysi, qui est fundamentum Patris: quia ibidem est radix ejus, ut dictum est cap. 27.

§. 13. Hinc quoque intelliges, quod dicitur in Sohar Sect. Balak his verbis: Quatuor sunt orationes, Oratio Moysis: Oratio Chabcuk: Oratio Davidis, & oratio Pauperis. Et nulla harum tam est accepta, quàm oratio Pauperis.

§. 14. Item exhinc intelligi possunt ea, quæ extant Num. 12. v. 1. *Et Mirjam atq; Aaron loquebantur de Moyse propter fœminam illam Æthiopissam.* Primo igitur explicabo, quæ sit mulier Æthiopissa. Ubi præmittenda sunt, quæ habentur in libro singulari, quod vocatur Chronicon Moysis Magistri nostri super quo pax, quod nempe Moscheh profectus sit in Æthiopiam, ibique regnaverit annos quadraginta: inque uxorem acceperit ipsam conjugem regis Æthiopici per Sponsalia more Judaico: Deinde tamen gladium posuerit inter se & ipsam, nec unquam illam tetigerit. Ubi quæstio oritur; Quomodo sibi desponsaverit mulierem Æthiopissam? & quia eandem sibi desponsaverat, cur non tetigerit eam? Res autem ex iis patet, quæ supra diximus cap. 27. quænam scilicet fuerit natura gemellæ illius superfluæ: ubi diximus, quod illa fuerit de notione cerebrorum status adulti. Ubi simul diximus, quod omnes istæ notiones etiam sint in cerebris minorennitatis. Unde patet, quod sicut notio Zipporæ est in cerebris status adulti, sic eadem notio animæ quoque fuerit in cerebris minorennitatis: & hæc mysti. è intelligitur per mulierem illam Æthiopissam supradictam. Jam verò notum est, quod cerebra minorennitatis omnia sint judicia perfecta de nominibus Elohim, & in specie

notiones fœmininæ ſub tempore minorennitatis. Jam verò dictum eſt de judiciis, quod duo ſint illorum genera: nimirum judicia maſculina, quæ ſunt numero 325: & judicia fœminina, quorum numerus eſt 280 juxta numerum מִגְּבַעַּי quæ ſunt literæ duplices. Iſta autem mulier Æthiopiſſa eſt regnum de notione Patris; ſuntque judicia maſculina, quorum numerus eſt שכח 325. & cum voce ſimul annumerata 326, qui eſt numerus כוּשׁ Æthiops. Ubi color quoque nigredinis per ſe denotat, illam fuiſſe de genere judiciorum rigoroſorum minorennitatis. Atque ſic quoque in Sohar Sect. Pekude dicitur, quod 325. ſcintillæ purificentur in cogitatione (id eſt, in ſapientia.)

§. 15. Unde patet, quod duas gemellas ſuperfluas habuerit Moſcheh, unam Æthiopiſſam illam de notione minorennitatis: & alteram Zipporam de notione ſtatus adulti: quam deinde duxit, cumque ea concubuit. Quapropter nomen Zipporah ſignificat avem puram, quia nempe mundatior erat à judiciis: quam ob cauſam cum hac, quæ ſtatus adulti erat, copulam exercuit, liberoſque de ea genuit. Cum Æthiopiſſa autem, quia ad judicia perfecta minorennitatis pertinebat, copulari nolebat, nec ex illa generare liberos: nihilominùs tamen uxor ejus erat, quia eam ſibi deſponſaverat more Hebræorum. Mirjam ergo & Aaron hoc ipſum neſciverunt; putantes Moyſen in hoc erraſſe, quod ſibi deſponſaverit uxorem Æthiopiſſam; cùm turpe eſſet viro tali, deſponſare ſibi mulierem Æthiopiſſam. Præſertim quod audierant, quod Eldath & Medath vaticinati eſſent in caſtris. Id quod ſic interpretantur Magiſtri noſtri b.m. illos vaticinatos eſſe, Moyſen moriturum, nec intraturum in terram Iſraël; introductionem autem inſtituendam per Jehoſchuah. Cùm igitur Aaron & Mirjam vaticinium hoc audirent, nec ſcirent cauſam, quare moriendum ſit Moyſi, nec concedendus ſit ipſi introitus in terram Iſraël: quoniam peccatum illud ad petram nondum factum erat, quod cauſa erat mortis ejus. Aaron autem & Mirjam putabant ſe intraturos in terram Iſraël. Unde loquebantur de Moyſe putantes cauſam mortis ejus eſſe mulierem illam Æthiopiſſam, quam uxorem duxerat.

§. 16. Sciendum autem, rationem, quare Moſes non ſit ingreſſus in terram Iſraël, conſiſtere in nimia ejus excellentia. Quoniam facies Moſis erat ſicut facies Solis, quæ eſt arbor vitæ: ſed facies Jehoſchuah eſt ſicut facies Lunæ, quæ eſt notio terræ Iſraëlis; quare iſte eos introducebat in terram. Hinc etiam Moyſes exploratoribus dicebat, ut inquirerent, an inibi eſſet arbor, an verò non. Scire enim volebat, an arbor vitæ, à quo Moſcheh provenerat, dominium haberet, in terram Iſraël; an verò Luna tantum. Atque hæc eſt myſtica illa ratio, quod Moſes non ſit ingreſſus in terram Iſrael. Sicut hæc expoſuimus Tractatu de generatione deſerti. Mirjam autem & Aaron putabant rationem eſſe hanc, quod duxiſſet uxorem Æthiopiſſam: quod ſi enim pro cauſa hoc habuiſſet, de quo dictum ſupra, quoniam ſcilicet Prophetia Moyſis deſcenderet ab arbore vitæ, quæ eſt nomen Tetragrammaton, & non à nomine Adonai: ſic cogitabant: Atqui etiam nobiſcum locutum eſt Tetragrammaton, an ergo tantum cum Moſcheh locutum eſt Tetragrammataton, ut nimirum hæc cauſa ſit mortis ejus? hoc impoſſibile eſt, quia etiam nobiſcum locutum eſt Tetragrammaton: quare ergo nos

nos ingrediemur, & non ille? Quoniam nondum decreta erat ſententia illa ſuper Aaronе usque ad peccatum Petræ. Tunc ergò illis reſpondebat: Non ſic eſſe, prout illi putarent: moriendum nempe ſibi propter peccatum Æthiopiſſæ; quippe quam neceſſario ducere debuiſſet. Cauſa autem vera erat excellentia Moyſis, ut dictum eſt. Quod autem objiciebant dicentes: Atqui & nobiſcum locutus eſt Dominus: quare ergo nos intrabimus? ad id non reſpondebat, quia ipſis indicare nolebat, ſe excellentiorem eſſe ipſis: unde dicit Dominus v. 7. *Non ita ſervus meus Moſcheh.*

§. 17. Et quia jam ſub manibus nobis eſt diſcurſus iſte, hîc explicabimus, quod dicitur in Sohar Sect. Breſchith: Quod Jaacobi corpus atque oſſa ſepulta ſint in terra Iſraël: Joſephi verò oſſa tantum, & non corpus: & Moſis Magiſtri noſtri ſuper quo pax, nec corpus nec oſſa. Cujus cauſa hæc eſt: quia Thimna veniebat & Jacobum alliciebat ad concubitum; ipſe verò nolebat: unde dignus fiebat, ut corpus ejus cum oſſibus ſepeliretur in terra. Joſephus autem quia Gonorrhæam patiebatur, juxta Gen. 49.24. Et ea quæ ibidem tradunt Magiſtri noſtri p.m. in negotio illo cum uxore Domini ſui, hinc non ſepeliebatur in terra corpus ejus. Moſche autem Magiſter noſter ſuper quo pax, quia mulierem Æthiopiſſam verè duxit uxorem, plane non ſepultus eſt in terra, nec quoad corpus, nec quoad oſſa. Quia terra Iſraëlis vocatur timor Domini; ille autem uxorem duxit extraneam Æthiopiſſam. Huc autem referemus & locum illum: Num. 12. v. 3. *Et vir Moſcheh humilis erat admodum & inſigniter.* Jam enim diximus ad Locum: Prov. 22. v. 4. *Propter humilitatem eſt timor Domini:* ubi in Hebræo particula עִקֵּב. id eſt. *propter* etiam denotat *calcaneum* (quaſi ſenſus ſit: calcaneus Humilitatis eſt Timor Domini.) Quod nempe Leah dicatur humilitas; & Rachel vocetur timor Domini: unde patet quod timor Domini, quæ eſt Rachel, ſit ſub pedibus & ſub calcaneo Leæ quæ vocatur humilitas. Idem ergo indigitat Scriptura, cùm inquit: *& vir Moſche humilis erat valdè.* Namque & Lea vocatur humilitas; & ipſe dignus erat menſura hâc humilitatis, quæ erat Zippora uxor Moſis, quæ etiam vocatur Lea; Sed Rachel, quæ eſt timor Domini reſpectu Moſis res erat exigua: ſicut dixerunt Magiſtri noſtri p.m. ad locum illum: Deut. 10. v. 12. *Jam ergo Iſrael, quod Dominus Deus tuus à te deſiderat niſi ut ipſum timeas?* Quod notes: Unde etiam Rachel dicitur parva. Id quod innuunt Magiſtri noſtri p.m. dum dicunt: omnino timor penes Moſen res erat exigua.

§. 18. Nunc autem revertemur ad materiem de Jethrone, de quo ſupra jam diximus, quod in illo reſtituta ſit Labes Kaini. Ubi porro ſciendum, quod & aliud correxerit vitium in Kaino obortum: de quo nimirum loquitur Targum Hieroſolymitanum: Kainum nempe dixiſſe Hebeli fratri ſuo: Non eſt judicium; nec eſt judex; nec eſt mundus alius. Jam ergo in mundum venit ut iſta corrigeret, quia cum ipſo initium ſit lectionis de judiciis, his verbis: Exod. 18. v. 21. ואתה תחזה sicut dixerunt Magiſtri noſtri piæ memoriæ. Et propterea Moſi dedit conſilium de conſtituendis judicibus, ut nempe primam elueret maculam. Hinc quoque intelliges, quare dixerint Magiſtri noſtri piæ memoriæ. Nomen ipſi fuiſſe Jether, i.e. ſuperadditus, quia ſuperaddiderit unam ſectionem codici legis, cujus initium eſt ואתה תחזה. unde ſuperaddita ſit ei litera

una de nomine sancto nimirum יתרו ut loco יתרו vocatus sit יתרו. Et huc pertinet & illud quod de Kaino dicitur: Gen. 4. v. 15. *Et Deus posuit signum in Kaino*; Ubi per vocem signi intelligitur litera Vav. quæ addita est nomini Jethro. Atque sic etiam in Sohar sectione בראשית dicitur: Superadditam ipsi esse literam אחד unam de viginti duabus literis legis. Notum autem quod litera ו plenè scripta hoc modo: ואו numero suo efficit 13 quem numerum etiam habet vocula אחד unus. Id quoque indigitatur in Tikunim: quod per verba illa: *Et posuit Dominus signum in Kaino*, denotetur Jethro.

§. 19. Hinc itaque apparet, quod tota restitutio Kaini fuerit in Jethrone: Quoniam ille habebat gradum mentis Kaini, ut dictum supra: & simul etiam psychen ejus malam, quæ fuerat in Ægyptio, eiq; se adjunxerat. Id quod etiam indicatur verbis illis Gen. 49. v. 3. יתר שאת ut sensus sit: illud quod dictum est Caino: Gen. 4. v. 7. *Annon si benefeceris* שאת *condonatio tibi*: impletum esse in Jethrone, ita ut Jether habuerit condonationem. Quod etiam in Sohar traditur Sectione בראש cùm dicitur: quid est שאת? illud quod scriptum est יתר שאת. Quod probe notandum. Infra autem cùm agetur de Rubene eadem exponentur latiùs.

Cap. XXXIV.

§. 1.

Capite 32. dictum est, quod psyche Kaini ad genus boni pertinens revoluta sit in Kenan & Mahalaleel, qui singuli aliquid de illa restituerint, scintillam nempe cuiq; debitam, quæ tamen omnes continebantur in Kaino: istud igitur deinceps ita continuatum est, donec veniret Ruben filius Jacob, qui & ipse de radice Caini erat: sicut dictum est Gen. 29. v. 32. *Et vocabat nomen ejus Ruben*. Vox autem ראובן dividitur in duas partes, quasi diceretur: ראו videte; בן filium. Ubi quæstio oritur hæc: An nimirum nulla unquam mulier filium viderit quàm hæc? Res autem ita se habet, sicut dictum est: quod nempe Kain provenerit de fundamento matris supernæ, unde Leah prodiit: atque hinc Leah peperit Ruben, qui erat ipsa Psyche bona Kaini: quare dicebat: Videte filium, i. e. videte primogenitum illum filium inter omnes in mundum natos, nempe Kainum.

§. 2. Hinc etiam dixerunt Magistri nostri b. m. Leam dixisse: Videte, quantum differant filius meus, & filius soceri mei (i. e. Esav). Quod ita intelligendum est, sicut explicuimus in tractatu de Leah: quod nempe hæc venire debuerit in portionem Esavi. Esavus autem prodibat rufus, ceu profusor sanguinis, eratq; portio Kaini mala. Jaacob autem acceperat portionem Kaini bonam, quæ pertinet ad notionem calcanei, ut dictum supra cap. 29: quod nempe, quia provenerat de parte fœminina severitatum, Calno adhæserint cortices, qui intelliguntur per serpentem. Unde dicitur: Gen. 3. v. 15. *Et tu perforabis ei calcaneum*. Hunc autem calcaneum sibi rapuerat Esav: unde etiam primogenitus erat, sicut Kain. Deinde autem cùm prodiret Jacob, manu sua prehendebat calcaneum illum sanctum, quem assumserat Esav. Unde scriptum est: Gen. 25. v. 26. *Et manu sua apprehendebat calcaneum Esavi*: i. e. calcaneum illum, quem Kain sibi

sibi rapuerat, non verò calcaneum Esavi ipsum. Jam verò notum est, quod sicut impuritas serpentis adhærebat Kaino; sic eadem adhæserit Esavo: sicut etiam in Sohar dicitur sect. Tholedoth, quod Esav se applicuerit ad partem serpentis.

§. 3. Porrò notum est, quod Jaacob fuerit revolutio Adami. Sicut igitur primò, cùm adhuc protoplastes esset, causa fuerat, quod serpens sese applicaret ad illum calcaneum: quoniam in singulas notiones fœminæ, ubicunque illæ sint, injecerat spurcitiem suam, quod probè notes. Adeoq; & ad hunc calcaneum sese applicuerat. Jacob igitur qui erat Adam ipse, id restituebat, quod primò corruperat, istumque calcaneum eripiebat de manu Esav: qui erat malum, quod in Kaino fuerat, unde primogenitus erat sicut ille. Sumebat autem illum, eumque applicabat super manum suam: per quam intelligitur brachium sinistrum; quia ibidem est notio calcanei hujus in humero sinistro. Quare non dicitur: *Manibus suis*: sed *manu sua*, in singulari.

§. 4. Porrò etiam nosti, quod Jacob fuerit pars postica Patris, quæ etiam erat Adam: denotaturq; per literam Jod Tetragrammati. Si enim hæc litera plene scribatur hoc modo יוד; reperimus Metathesin vocis ירך *manus sua*. Nam quia Jacob ortum habebat de parte Patris, qui vocatur Jod; hinc restituere poterat calcaneum hunc, qui est de parte Matris. Sicut etiam dicitur in Sohar sect. Pekude; quod in cogitatione i. e. Patre purificentur scintillæ judiciorum, Patet igitur, quod Jacob, qui erat notio partis posticæ literæ Jod, sicut dictum, per illam literam Jod sese applicuerit ad hunc calcaneum עקב, unde etiam vocatur יעקב i. e. combinatio literæ ו cum calcaneo, quod probe notandum.

§. 5. Jacob igitur putabat, filium suum Ruben, qui primogenitus erat sicut Kain, accepisse calcaneum hunc: qui est fundamentum omnium: nimirum primogenitura, quæ denotatur vocula שאת, illorum verborum, Genes. 4. v. 7. *Annon si benefeceris*, שאת, quod per metathesin est אשת quæ est regnum hoc, cui nomen calcanei: nec non sacerdotium, quod etiam vocatur נשיאת; ita illud: Lev. 9. v. 22. וישא *Et extulit Aaron manus suas*. Videatur cap. 23. Fundamentum tamen horum omnium pertinebat ad gradum Mentis Kainiticæ: hanc autem acceperat Jethro, ut dictum supra. Patet igitur, quod quamvis Ruben esset de parte Psyches Kaini; tamen cum peccaret cum Bilhah, ab ipso sublata sit hæc primogenitura, collataque Jethroni. Et quamvis Scriptura dicat, eandem datam esse Josepho; unum tamen & idem est, juxta illud, *quod ille fuerit Pinches, natus de filiabus Puthiel*, qui est Joseph & Jethro, sicuti dicemus.

§. 6. Sensus ergo eorum, quæ Jacob dixit Rubeni Gen. 49. v. 3. hic est: *Ruben tu primogenitus meus*: id est, quia tu primogenitus meus es; & ego sum quasi Adam; tu merito accipere deberes primogenituram animarum, sicut dictum est: Verum enim vero ita non eveniet: sed יתר שאת i. e. ille, qui vocatur Jether habebit primogenituram; יתר עז i. e. ille qui vocatur יתר; quæ sunt literæ יתר accipiet roburi. e. regnum; quem sensum etiam assecutus est Paraphrastes Chaldaicus Onkelos.

§. 7. Quia autem Ruben pœnitentiam egit, hoc ipso id effecit, ut per illum restitueretur portio illa Kaini, quæ vocatur שאת: & hic est ille, qui vocatur Jissaschar: ille

enim non prodiit, nisi per violas seu Mandragoras illas, quas attulit Ruben Gen. 30. v. 14. Quamvis enim non ipse Ruben dignus fuerit illa portione; nihilominus dignus fuit eundem restituere per Jissaschar. Notum enim est, quod iste hoc nomen acceperit, quia Leah Jacobum mercede conduxerat ad concubitum per Mandragoras. Porrò etiam notum est, quod Leah & Chavvah unum sint: quia Adam & Jacob sunt in Patre: Et Chavvah & Leah in matre. Quamvis Adam & Chavvah in parte superna; & Jacobatque Leah pars postica istorum graduum sint, sicut dictum est suo loco. Huc quoque pertinet illud, quod vaticinata sit Chavvah, cum diceret: Gen. 4. v. 1. *Emi mihi virum cum Domino.* Ubi intelligitur emtio illa & conductio, qua deinde ceu Leah conductura fuit Jacobum, ut nempe produceret Jissaschar, in quo restitueretur Kain; eo quod Kain haberet in se cum bono malum, quod erat serpens: Jissaschar verò restituebatur per legis studium, ut totus esset è genere boni, è genere sanctitatis Dei Benedicti. Unde dicebat: Emi virum, cum Domino, De quo dictum cap. 25. In tractatu autem de R. Akibhah naturam Jissascharis plenius declarabo, & quare dictum sit: Genes. 49. v. 14. *Jissaschar asinus osseus.*

§. 8. Cum autem conduceret Leah Jacobum, verba hæc extant: Gen. 30. v. 16. *Et cubuit cum illa eadem nocte.* Mysterium autem ita se habet: Quoniam Jacob est stipes arboris ligni vitæ: sed tribus & filii ejus, sunt rami sub mysterio duodecim signorum Zodiaci, & articulorum in manibus atque pedibus, sicut observatur in Sohar Sect. Vajechi. Jissaschar autem plus in lege studebat, quam omnes reliquæ tribus: & ipsa natura Jissascharis etiam erat de stipite arboris ipsa, cui est nomen legis scriptæ; sicuti Jacob pater noster: Et non pertinebat ad ramos, prout tribus reliquæ. Unde patet, quod Jissaschar quasi Jacob ipse fuerit, & corpus Jacobi. Unde dicitur: Et cubabat nocte ea cum illa. Id est, concubitus reliqui pro cæteris tribubus tantum erant sub conceptu ramorum: iste autem fiebat pro ipsa natura Jacobi: & contingebat sub mysterio istius calcanei, quem abstulerat Esavo, & propter quem dictus erat Jaacobh.

§. 9. Hinc quoq; intelliges dictum illud: 1. Par. 12. v. 32. *Et de filiis Jissascharis erant* יודעי בינת לעתים prudentes observatores temporum, ubi literæ initiales referunt nomen Jabal: quia Jissaschar veniebat à Kain, qui est fundamen matris, quæ Binah dicitur. Supra autem jam dixi cap. 29. quod Jabal fuerit revolutio Kaini: ille nempe, de quo dicitur: Gen. 4. v. 20. *Et Adah genebat Jabal:* omnes autem generationes Kainidæ radice mentis ejus descendebant: & Jissaschar erat de natura Jabal: unde in literis initialibus verborum supra dictorum hoc nomen continetur.

§. 10. Sequitur digressio de quatuor Elementis, quæ sunt Ignis, Aer, Aqua, Terra; in illis latet mysterium ipsarum quatuor literarum Tetragrammati, sicut dicitur in Sohar Sect. Vaerah: Et ex his facta sunt omnia creata, & singula quidem secundum suum Elementum prædominans. In Tetragrammato autem duodecim sunt metathesis: imo deinde plane ascendit summa ejus usque ad sexaginta myriades: Et in qualibet harum particularum sunt conceptus Elementorum juxta personas suas. Et animæ dividuntur secundum quatuor Elementa, ita, ut in singulis membris detur quaternarius iste, inque

inque omnibus personis. Unde patet, quod animæ dividantur in multas species, & in singula specie sit integra persona, usque in infinitum. Atque hoc est mysterium revolutionis, de quo vide, quæ dicta sunt supra cap. 4.

Cap. XXXV.

§. 1.

Postquam jam explicuimus, quænam fuerint Psyche, spiritus & Mens Kaini, & quô ordine ipsis contigerit revolutio; jam superaddemus aliud quid, quod pertineret ad cap. 29. Nempe cum peccarent Adam, Kain & Hebel, non satis erat, quod exhinc resultaret mixtio mali cum bono: sed ipsum quoque bonum confundebatur atque turbabatur: & omnes scintillæ animarum permiscebantur invicem. Unde datur mixtura scintillarum Adami in Kaino, & Kaini in Adamo: Adamiin Hebele, & Hebelis in Adamo: item Kaini in Hebele, & Hebelis in Kaino, atque sic similiter: ita ut in homine quodam unico sæpè sit Psyche una, constans è scintilla Kaini, & è scintilla Hebelis, & sic deinceps quoque in cæteris.

§. 2. Res autem ita se habet: Cum homo perfecit Psychen suam, in eum venire potest spiritus de radice alia, si quoad gradum & naturam correspondeat cum Psyche ejus, quamvis non sint de genere uno & de radice una, prout supra quoque cap. 11. dictum est. Unde quasi plurima animarum pars, imo veluti omnes hoc modo mixturam patiuntur. Hinc etiam diximus cap. 29, quod in omnibus Kainiticis nemo fuerit, qui omnes tres gradus animæ inferioris habuerit à Kaino; præter unicum Abbajam, sicut pluribus dicemus volente Deo.

§. 3. Et hæc sic permanebunt & continuabuntur usque ad adventum Messiæ: deinde autem quælibet anima redibit ad radicem suam, omnesque Psychæ abibunt ad Mentes & spiritus suæ radicis. Atque hoc efficietur per Eliam Prophetam bonæ memoriæ, sicut dicitur: Mal. 4. v. 6. *Et convertet cor Patrum ad filios,* &c. quia jam etiam patres & filii non omnes sunt de radice una, ita ut quandoque pater sit Kainita, & filius Hebelita, & sic deinceps. Tunc autem omnes animæ redibunt ad radicem suam veram. Et quia etiam Esas talis erat, ut Psyche ejus de radice una, & spiritus de alia radice esset; hinc per illum restituentur omnia.

§. 4. Unde patet, quod istæ revolutiones, de quibus diximus in Kaino, tantum intelligendæ sint de Psyche: de Mente enim nihil memini. Atque ita res se habet in omnibus radicibus.

§. 5. Jamque revertemur ad naturam Kaini: quamplurimi enim sunt & quasi infiniti, qui ortum habent de genere spiritus Kaini. Nam spiritus ejus revolutus est in Nadab & Abihu, & Schmuel Propheta; & Psyche ejus in Jissaschar. Sed spiritus ejus de genere mali erat in Korach. Quamvis enim Korach fundamentaliter esset ab Hebele; tamen propter confusionem animarum spiritus Kaini de genere mali sese immiscuit Koracho. Unde dicitur: Num. 16. v. 1. *Et accepit Korach,* &c. Ubi dixerunt Magistri nostri bonæ

bonæ memoriæ: quod ipse sibi assumserit malum. Quod rectè dictum scias: quia per odium istud, quo invidebat Moysi super quo pax properabat que ad statum inquinatum, aperiebantur ipsi portæ, eique immisscebatur spiritus Kaini de genere mali: non autem est acceptio pejor, quam talis, quia iterum rixari incipiebat cum Mose Magistro nostro super quo pax, sicut Kain cum Hebele: quod paulò latius diducemus.

§. 6. Nam quia Korach erat Levita, nimirum de genere severitatum, præsertim quod sibi attraheret spiritum Kaini malum; hinc cogebatur radere caput: quia mysterium capillorum denotat applicationem externorum ad judicia, sicut notum est: unde abradendi fuerunt, sicut dictum est in Sohar, sect. Tasriah fol. 48. & 49. ad locum: Levit. 13. v. 40. *Si viro cuidam decapillatum erit caput ejus* קרח *calvus est.* Dixeruntque Magistri nostri bonæ memoriæ, quod Korach princeps fuerit omnium Levitarum, Prout etiam videmus, quod rixari ausus fuerit, Mosesque eum timuerit, nisi Dominus ipsi adstitisset: sicut etiam ducenti & quinquaginta assessores Synedrii partes ejus secuti sunt, ipsiq; adhæserunt: sicut dicitur: v. 5. *Et loquebatur cum Korachо, & cum Synagoga ejus.* Unde nullum est dubium, quin homo præclarus fuerit admodum: ex hac nempe ratione, quod esset de genere Kaini, qui fuerat primogenitus: unde aspirabat ad sacerdotium, quod est annexum primogenituræ: quamvis tantum esset de genere mali Kainitici. Putabat ergo Korach, Kainum in se restitutum iri: atque hinc ad se pertinere jus primogenituræ & sacerdotii: quam ob causam adversabatur Moysi. Errabat autem; quia tantum malum erat Kaini, quod in se traxerat. Bonum autem non fuit restitutum, nisi per Schmuel Prophetam, qui ortum habuit ab eo, & à semine ejus. Unde dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ Corachum vaticinatum esse, & tamen nescivisse, quid vaticinatus fuerit: item vidisse eum, quod ignis prodiret de membro suo genitali, per quem indigitatus sit Schmuel nepos ejus. Et quia dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, illum vaticinatum fuisse, hinc etiam cognoscitur, quod vir fuerit excellens admodum.

§. 7. Sicut igitur cum Kain occidisset Hebelem, Gen. 4. v. 11. *Maledicta dicitur terra, quæ aperuerit os suum,* &c. Sic jam eadem terra resarcivit, quod primo corruperat: unde dicitur de Koracho: Num. 16. v. 32. *Et terra aperuit os suum,* &c: quoniam erat malum Kaini, unde punitus fuit apertione terræ, quod notandum.

§. 8. Scito etiam, quod & Dathan & Abiram fuerint de ista radice Kaini è genere mali: unde & ipsi adversabantur Mosi; erantque filii primogeniti Rubenis. Et nisi fuissent viri insignes, non nominati essent in Scriptura: nec Moses eos timuisset. Legimus enim, quod Moses abierit illos dehortaturus; illi autem ascendere noluerint, nec ipsum curaverint. Et sic quoque in Ægypto eosdem timuit, donec dicatur: Exod. 4. vers. 19. *Mortui sunt viri illi,* &c. id est, Dathan & Abiran. Ubi sensus est, illos bonis suis cessisse. Atque hi deinceps revolutisunt in Doëg & Achitophel, omnesque fuerunt linguæ maledicæ; omnesque adversati sunt justis Mosi & Davidi, & hic pariter viri erant magni, sicut dicit David: Ps. 57. v. 5. *Anima mea est in medio leonum,* &c. Et Achitophelem David vocat, *Dominum suum & amicum suum* Psal. 55. v. 14.

§. 9. Ut

§. 9. Ut autem in viam redeamus, jam addendum esset, quomodo Psyche Kaini de genere boni perfecta fuerit: ubi etiam explicandum esset, quid evenerit spiritui bono Kaini. Nadab enim & Abihu quasi fundamentum erant inchoatæ restitutionis Psyches Kaini de genere boni. Nam & ista de Psyche emanativa ortum habebat, quæ vocatur placenta mundi, ut dictum cap. 21. Sed hæc non sunt à Magistro meo.

Tractatûs primi de Revolutionibus Pars altera;

quæ sunt

Collectanea quædam ad materiam de Revolutionibus spectantia.

Primum.

1. DE Revolutionibus hæc quoque dixit R. Jizchak Lorjah bonæ memoriæ, quod etiam in arbores & lapides transferatur homo, juxta gradus illos mysticos (rerum naturalium;) hominis scilicet; viventis sermone carentis, Vegetabilis, & silentis. Qui etiam in sacrificiis ipsis præstò erant; ita ut hominis gradum referret intentio Sacerdotum, Levitarum, & Israëlitarum ad stationem requisitorum seu Ecclesiam repræsentantium: Vivens illud, esset hostia ipsa; Vegetabile, vina, olea, & similæ; & tandem silens, Sal; quare in omni sacrificio Sal requirebatur.

2. Et hoc ipso tempore nostro homo quidam maledicæ linguæ revolutus fuit & mutatus in torrentem rapidum, eumque agnovit Magister meus bonæ memoriæ, quod ibi revolutus esset; & scivit quisnam esset.

Secundum.

1. Raf Hammenuna Senex erat revolutio Mosis Magistri nostri super quo pax. Quare R. Schimeon Jochaides dixit: Si Doctores nostri Babylonici scirent excellentiam R. Hammenuna Senis: &c.

2. Atque è dictis Magistrimei bonæ memoriæ pariter intellexi, quod ipse quoque R. Schimeon Jochaides fuerit de revolutione Mosis Magistri nostri super quo pax, quamvis non quoad splendorem illum supremum Mosis, quem prima vice habebat, cum in montem ascenderet; sed de genere Mentis ejus, quam habebat tempore tabularum secundarum. Unde etiam in Sohar, Tractatu Idra dicit: Contestor super me, quod altera vice cùm ascenderet in montem, &c. Quoniam Moses mille partibus diminutus fuit, quæ denotantur per Aleph parvum in voce ויקרא sub initium Levitici.

Tertium.

1. Schlomoh Rex super quo pax, erat de revolutione Mosis Magistri nostri super quo pax, de quo scriptum est: Exod. 2. v. 6. *Et ecce puer ille flebat; & filia Pharaonis salvabat eum:* quare eam dein uxorem ducebat.

ANNOTATIO.

2. [*Ubi quæstionem hanc proponit Raf. Jisraël Benjamin bonæ memoriæ, quare mirum revoluta fuerit in Ethnica, ubi pejor fieri potuisset, cum tamen tam excellens esset, sicut de ipsa scribitur in libro Chronicor. c. 4. v. 18. Et uxor ejus Jehudith, &c. Item: ibid. Et isti sunt filii Bitjah? Ubi respondetur: quod malum tantum quod fuerat in Bitjah filia Pharaonis venerit in illam Salomonis Uxorem.*]

3. Et quia Schlomoh Rex super quo pax ducebat Filiam Pharaonis; & hæc illum in errorem inducebat illa nocte, ut mane non surgeret, omnesque Jisraëlitæ impediretur ab initiatione Templi (offerendisque sacrificiis:) hinc revolvebatur in Jirmejahu Prophetâ, templumque istius tempore destruebatur. Unde de hoc dicitur: *Et puer Ego.* Jer. 1. v. 6. & de illo alibi: 1. Reg. 3. v. 7. *Et ego puer servus.*

4. Porrò Schlomoh quoque in alio quodam casu errabat, nempe cùm Reginâ Sabæâ; quæ ab illo imprægnabatur, ita ut è nepotibus ejus Nebucadnezar prodiret. Unde hic de Jirmejahu Propheta præcipiebat; Jerem. 39. v. 12. *Accipe eum & observa eum*, &c. Nam ex Horoscopo suo observaverat, (quod Pater suus esset.) Unde quoque multoties dicitur, Servus meus. Et nisi venisset ex Ethnica, dictus fuisset servus bonus, & non servus malus.

5. Iste autem erat è revolutione Nimrodi, qui turrem extruebat in terra Sinear.

Quartum.

1. Illud quod in Gemara habetur, quod dixerit R. Elieser F. Asarjah: ecce ego quasi septuagenarius sum. Et quod Magistri nostri dixerunt, eum fuisse decimum ab Esra Scriba. Id sic intelligendum; quod ipse fuerit Esra ille. Si enim, exempli gratia, fata cujusdam ferant, ut vivat septuaginta annos; & tamen aliquam ob causam dies ejus abbrevientur decennio; ille deinceps cum revolvitur, cum vixerit decem illos annos, perfectus est. Hinc dicebat R. Elieser F. Asarja: Ecce ego quasi septuagenarius sum (cum tamen decennis saltem esset:) Quia illo tempore completi erant anni ejus, qui ipsi defuerant in revolutione prima, ut tunc quasi septuagenarius esset.

Quintum.

1. Illud quod in Gemara refertur de Filio Asai, quod (interrogatus, quare uxorem non duceret, respondens) dixerit: quid faciam? quia anima mea delectatur Lege: Intelligi potest ex eo, quod fecit Chiskijah Rex Jehuda super quo pax, qui cum videret per Spiritum Sanctum filios suos fore degeneres, uxorem ducere nolebat. Deinde autem matrimonium inibat & generabat filios ut notum est. Propterea enim tunc nolebat uxorem ducere, quia jam habuerat Liberos in revolutione priore.

Sextum.

1. Quod Mardochai procumbere nollet coram Hamane, & causa esset ut Jisraëlitæ maximum incurrerent periculum; causa hæc erat: quod Mardochai esset Jacob, & Haman Esav: & quia Jacob jam semel reverentiam exhibuerat Esavo, & propterea punitus fuerat, ut notum est; hinc ista vice idem renuebat.

Septimum.

1. R. Schimeon Jochaides erat revolutio Mosis: & R. Eleasar filius ejus erat puer ille, qui serviebat Michæ, eratque filius Gerson filii Mosis, erat que Idololatra secundum dicta Magistri nostri bonæ memoriæ. Et puer tredecim annorum. Unde R. Elieser tredecim annos sedebat in spelunca.

2. R. Schimeon quoque erat revolutio Achiæ Silonitæ: & quia ex hoc, quod ille subscripserat Jeroboamo, facti fuerant vitulilli; hinc & ipse tredecim annos consedit in spelunca.

Octavum.

1. Quod dicitur Psalm. 22. v. 21. *Eripe Psychen meam de gladio, & singularem meam de manu canis*; id sic intelligendum est. Cum anima exit ex hoc mundo, & vult ascendere ad Dominum suum, locus quidam datur tenebricosus atque caliginosus itineris trium dierum; quem Deus indigitavit per tenebras Ægyptiacas triduanas. Cum igitur anima ascensura in tenebras has subintrat, tunc de illa intelligendus est locus Psalm. 84. v. 7. *Transeuntes per vallem lachrymarum.* Ibi autem sunt bestiæ quam plurimæ immanes, custodientes viam illam. Eò quod via ibi detur recta ascendens ad Hierosolymam superiorem (confer. Gal. 4. 26.) directè obversam Hierosolymæ inferiori: qua via omnes animæ puræ ascendunt.

2. Datur tamen via quoque alia in Gehennam vergens: quæ dividitur in triginta sex mille myriades viarum. In bivio autem duarum istarum viarum omnis generis reperiuntur bestiæ, quales in hoc existunt mundo: ut sunt leones, canes, vulpes, &c. quæ duas has vias observant, nec permittunt, ut ascendant animæ puræ; quin potius easdem abripere conantur, & abducere in Gehennam, ut ibi puniantur. Canis ergo custos est, quia etiam dormiens omnes transeuntes observat: quod cætera animalia non faciunt: unde canis præponi solet ædibus gregibusque. Eademque ratione etiam in sublimi, illi dæmones, quibus est forma canum, custodes sunt; cumque vident atque observant animam quandam venientem, statim latratum cient, atque tunc bestiæ cæteræ furgunt abripiuntque animam illam, si illis debetur.

3. Atque hinc tradiderunt Magistri nostri bonæ memoriæ Estherem dixisse loco citato: *Eripe de gladio animam meam, & de potestate canis singularem meam*: & porro: *Salva me de ore leonis.* Ubi hæc est mens Doctorum, per Estherem intelligi animam: quam si justa sit, sanctus ille, qui benedictus sit, abscondat à canibus, eamque sursum elevet: casu contrario autem abscondat faciem suam ab ea: ita ut tunc eam videant canes, eandemque allatrent. Hinc etiam in Gemara quæritur, ubi in lege mentio fiat Estheris: Respondetque ex illo loco: Deut. 31. v. 18. *Et ego abscondendo abscondam.* Ubi occurrit vox אסתיר.

4. Cum ergo dicit: *Salva me de ore leonis*, Achasverum intelligit Regem; sicut & leo rex est animantium.

5. Atque sic quoque, cum singulis noctibus mens ascendere nititur, atque pura est; Deus Benedictus eandem abscondit, atque sic ascendit, ibidemque discunt singulæ juxta gradum suum. Sin minus, quod Deus avertat, contrarium ipsi accidit.

6. Atque hinc quoque intelliges, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, tres esse custodias noctis: primam cum asinus rudit: secundam cum canes latrant: quia nempe tunc ascendit anima. Atque hinc illud quoque cum ad quæstionem, quando legenda sit lectio Audi Israël, nocturnam, respondetur: usque ad finem custodiæ primæ: quia illuc usq; quidam homines nondum dormiunt; atque tunc canes illi allatrant transeuntes ibi animas. *Nonum.*

1. Notum est, quod Deus Benedictus nobis dederit 248. præcepta affirmativa & 365 præcepta negativa: quæ correspondent 284. membris & 365 valis humanis. Intentio autem Altissimi hæc fuit, quemlibet teneri, atque obligari ad observationem 613 istorum præceptorum, quæ quasi sint totus homo, ita ut per eadem compleat membra animæ suæ. Quod si ergo, quod Deus avertat, quis mutilaverit unum de membris suis, fuerit que causa, ut ibi quietem invenerit genus alterum; tunc revertitenetur atque revolvi, ut restituat quod corruperat.

2. Quamvis autem quis non perpetraverit delictum aliquod, nec mutilatus fuerit, sed tantum omisit aliquod præceptum de jubentibus, ita ut membrum illud maneat defectivum; eò quod non paraverit locum, in quo quiescere possit Sanctus ille Benedictus: ibi pariter revolvendus est.

3. Nec tantum eo casu, ubi omisit præceptum aliquod oblatum ipsi; sed etiam si occasio illius præcepti eidem se non obtulerit: vel si neglexerit præcepta illa à structura templi dependentia, vel talia quæ reliqui Israelitæ, exceptis sacerdotibus, observare non possunt: nihilominus tamen propter illa revolvi cogitur homo, ut eadem observet, quia sunt de numero illorum 613 præceptorum. Quicunque enim vel unicum istorum omittit, istius animæ defectum patitur illius membri, cujus respectum præceptum omissum habet, sicut scribitur in suppl. fol. 131. Unde colligitur, quod talis revolvendus sit, donec veniat in revolutionem sacerdotis, in quo tempus exstructi templi, ut nempe compleat omnia membra sua. Alias enim Israelitæ essent manci & mutili defectu laborantes tot membrorum, quot sunt præcepta sacerdotibus tradita.

4. In istos autem quidam primò venit ut sacerdos, & deinde ut Israëlita: & quidam ordine contrario.

5. Quod autem ad præcepta illa attinet, quæ ad Regem spectant, qualia à singulis Israëlitis observari impossibile est: sciendum Regem in se continere omnes homines sibi coævos: quod si ergo observet præceptum illud, ad quod obligatus est, simul etiam perficiuntur omnes ii, qui in eo continentur. Hinc dicitur: Prov. 21. v. 1. *Rivi aquarum, cor Regis in manu Domini.* Unde colligitur, quod Rex quamvis sit persona unica, tamen distribuatur rivulorum instar plurali numero, per quos intelliguntur homines ipsi coævi. Quia nulla est ætas, in qua non sint sexaginta myriades hominum juxta totidem legis sensus. Et Moses Magister noster super quo pax, qui in se continebat totum populum Israëliticum, omnes sciebat. Atq; sic eodem modo quicunque habet notam universitatis, assequi potest illas explicationes. Unde filius Somah, (juxta Talmudis tradita,) cum videret multitudinem horum, dicebat: Benedictus sit ille, qui sapiens est, quoad omnia mysteria.

teria. Quoniam in multitudine datur idem numerus, qui est omnium mysteriorum legis: quia in multitudine pauciores non intelliguntur quam sexaginta myriades. Et licet Israëlitæ plures sint numero quam sexaginta myriades, nihilominus reliqui rami tantum sunt: Radices autem plures non sunt quàm 60. myriades.

6. Quod igitur attinet ad tempus hoc præsens, fieri potest ut animæ quamplurimæ dentur, quæ jam observarunt illa præcepta ad solos sacerdotes & structuram templi spectantia. Jamque adveniunt, ut observent præcepta alia. Quoad Præcepta autem Regem solum concernentia, quæ etiam de numero illorum 613. sunt; sciendum quod Rex perpetuò sit Universitas illa tota, complectens omnes sibi coævos: ita ut si ille observet præcepta ista singularia, totus populus Israëliticus hac observatione frui queat.

7. Scito autem differentiam quandam esse inter talem, qui advenit expiaturus aliquod peccatum quod commisit; & inter talem, qui advenit observaturus præceptum aliquod affirmativum, quod omiserat. Quoniam prior ille revolvitur cum corpore & psyche, nascituroq; & reviviscit, atque iterum moritur: alter autem per modum embryonatus tantùm advenit.

8. Sæpè enim e. g. videmus, quod homo quidam insectetur præceptum aliquod, vel plura, ita ut cor ejus vacuum sit ab omni vanitate mundana: cùm talem invenerit justus quidam, cui deest præceptum hoc vel illud, quique tamen illud observare conatur; tunc Psyche istius justi impræg natur in illo, eumque adjuvat in sectatione hac; cumque perficitur bonum illud opus, ambæ illæ animæ simul perficiuntur; anima nempe Viri istius; & anima istius justi, qui in ipso factus est embryo. Hoc ipsum est, quod dixerunt Magistri nostri b.m. Majores sunt justi in morte sua, quam in vita, quia non tantùm peragunt, sed & alios peragere faciunt: ut dictum est.

9. Scito autem, quod si vir ille vel minimum admiserit peccatum, psychen istius justi, quæ in eodem embryo facta est, mox iterum abire. Atque hinc homo quidam interdum tam evadit prudens atque sapiens, & virtuti plus studet, quàm alio tempore; quia nimirùm in ipso est anima justi illius, qui accesserat observaturus aliquod præceptum, quod ipsi defuerat ad perficiendum membra sua: vel quia homo observavit præceptum aliquod, prout decet; atque tunc embryo in ipso facta est Psyche quædam justi alicujus, qui suo tempore admodum studuerat præcepto illi; atque tunc justus ille hunc adjuvat, ut adimpleat voluntatem Domini sui; eidemque scientiam auget atque intelligentiam, ut hoc opus diligentius sectetur, quam fecerat antea. Si autem, quod absit, vir iste peccaverit: Psyche illa statim secedit ab ipso, & hic redit ad statum priorem.

10. Inquehoc quidem casu multa dantur contingentia alia, quibus jam non insistimus. Hæc tamen omnia ad requirunt, ut anima justi illius ejusdem sit radicis, cujus est vir ille, in quo facta est embryo.

11. Exemplum hujus reperimus in Pinchaso, cùm ulciscereturultionem Domini erga Simri: quia tunc gravidus erat animabus Nadabi & Abihu. Quare scriptura dicit Exod. 6, 25. *Et Eleasar filius Aaron sacerdotis uxorem ducebat de filiabus Putiel; quæ pariebat ipsi Pinchasum. Isti sunt capitanei Patrum Levitarum &c.* Ubi Magistri nostri

b. m. dicunt, avum ipsius maternum saginasse vitulos pro cultu Idololatrico: eumq; fuisse de parte Jethronis: prout etiam dicunt, quod fuerit de parte Josephi, qui vincebat pravam suam concupiscentiam. (Ubi voces saginandi, cujus radix פטם, & obloquendi seu resistendi, ubi radix מטם, unde מטמט alludunt ad nomen Puthiel.) Ubi paulo accuratius inquirendum, quænam in his sit illorum intentio: & quare Jisraëlitæ dixerint, cum Pinchas occideret Simri: Vidistisne filium Puthi illius, cujus avus maternus פטם saginabat, &c. quamente hæc dicta fuerint? Item quare in Sohar quæstio sit talis: Atqui Pinchas erat solus: quare ergo scriptum est: Ista sunt capita patrum Levitarum? Item quæ sit intentio scripturæ, quando loco citato scribitur: Quod Eleasar uxorem duxerit de filiabus Putiel? Item quare scriptum sit Num. 25 v. 7. *Et videbat Pinchas filius Eleasaris* &c. quid nempe viderit? Et quare nemo aliàs è Jisraëlitis surrexerit ad vindictam hanc exercendam, quàm Pinchas, cùm tamen Moschch Magister noster super quo pax, & omnes primarii illius ætatis ibi fuerint? Item quare scriptura dicat loco citato: *Pinchas filius Eleasar, filius Aaron Sacerdotis?* Ubi quæritur, si filius Eleasaris fuerit, quare dicatur fuisse filius Aaronis? Quales quæstiones in Sohar reperiuntur plures.

12. Scito autem, Pinchasum in se continuisse duas Psychas: unam de parte Josephi, & alteram de parte Jethronis. Quare eundem duo restaurare oportuit: unum, quod Josephum concernit; illas nimirum guttas frustra effusi seminis, cum uxor Domini ejus eundem sollicitaret ad concubitum; ubi eousque restitit concupiscentiæ suæ, (Hebraicè פיטפט) donec prosiliret semen è manibus ejus, sicut Magistri nostri b. m. exponunt locum Gen. 49, 24. Et alterum, quod Jethronem concernebat, qui saginavit (פיטם) vitulos per cultu Idolorum. Simile autem peccatum etiam in Nadabo & Abihu fuisse dicunt Magistri nostri, b. m. cùm nollent ducere uxores, quasi inter Jisraëlitas nulla esset ipsis congrua: quod simile est casui Josephi. Præter quod etiam ignem peregrinum adhibuerunt sacrificaturi coram Domino; quod simile est Idololatriæ Jethronis. Cùm igitur Simri concumberet cum Midianitide filia Idololatræ, nimirum cum Cosbi filia Zor, ubi etiam exercebatur cultus Peoris; ecce Pinchas supradicta omnia expiare volebat. Nam sicut in Sohar dicitur, Nadab & Abihu duæ erant medietates corporis; quia nullas duxerant uxores: quare in uno continebantur; id est, ambo impræguationem faciebant in Pinchaso. Quare dicitur Num. 25. v. 7. Et vidit, id est, intellectu suo vidit, & per Spiritum Sanctum, quod tempus esset operandi, & expiandi, quod antea commissum erat: quare statim surgebat de cœtu &c. Vel etiam sensus esse potest hic: Et videbat filium Aaronis sacerdotis: id est, videbat Psychas Nadabi & Abihu filiorum Aaronis sacerdotis coram se consistentes, inque ipsum intraturas; quippe quæ & ipse eadem expiare debebant delicta. De illis autem dicitur: Videbat filium Aaronis sacerdotis; non autem filios Aaronis: quia nimirum duæ erant medietates corporis, & deinde fiebant subjectum unum, quoniam in uno comprehendebantur. Et hoc ipsum est, quod alibi dicitur: Exod. 6. v. 25. *Et Eleasar filius Aaronis sacerdotis uxorem duxerat de filiabus Putiel, quæ generabat ipsi Pinchasum. Isti erant capitanei.* Quamvis enim Pinchas

chas unus tantum esset; in illo tamen continebantur Nadab & Abihu, qui erant capitanei Patrum Levitarum. Hoc autem factum est per אלעזר, id est, per Eleasar, qua in voce particula אל respectum habet ad benignitatem: sicut dicitur Psal. 52. v. 3. *Benignitas אל tota die adest.* Atque sic & Joseph vocatur vir benignitatis (conf. Proverb. 11. v. 17.) quoniam ipse est fundamentum una cum benignitate in ore matris. Deinde in ipso quoque erat עזר sive auxilium, quæ vox respectum habet ad rigorem; juxta illud: Gen. 2. v. 19. *Faciam ipsi auxilium* &c. Cùm tamen omnis fœmina ad genus rigorum pertineat. Et hoc ipsum respiciebat partem Jethronis, qui ortum habebat è severitatibus (ita ut duæ illæ voces אל & עזר Josephum indigitent & Jethronem) Unde ab Eleasaro nasci debebat Pinchas, ut expiaret duo illa facta: ita ut ipsum quasi oportuerit factum hoc perpetrare cum Simri, qui erat Schelumiel filius Zuri Schaddai, Num. 1, 6. cap. 2. v. 12. quoniam in Pinchaso impræguationem faciebant Nadab & Abihu, qui etiam expiare debebant duo delicta similia, ut dictum supra.

13. Adhuc tamen & alia occurrit ratio, quare hoc factum sit; quia nimirum Pinchas erat de tribu Levi, & Simri de tribu Schimeon. Et huc pertinet illud, quod scriptum est Gen. 49. v. 5.-7. *Schimeon & Levi fratres sunt* &c. *Maledictus sit furor illorum, quia pertinax.* Jam autem in Schimeone quinque erant familiæ patrum. Exod. 6. v. 15. nimirum Jemuelis; & Jamin, & Ohad; & Jachin; & Zochar, qui est Serach; & Schaul filius Cananitidis, qui simul efficiunt quinque. Unus enim de illis mortuus erat, unde illius non fit mentio. Pinchas autem erat de tribu tertia Israëlitarum: & occidebat Cosbi filiam Zur, qui erat Rex tertius è quinque Midianitis: ita ut & in eo resultet quinarius, sicut & Midianitarum reges erant quinque, Num. 31. v. 8. Evi & Rekem, & Zur, & Chur, & Rebah. Sicut ergo quinque illi in tribu Simeonis erant in sanctitate; ita iisdem inter cortices respondebant isti Midianitæ. Hinc Schelomiel filius Zuri Schaddai adhærebat Cosbidi filiæ Zur; qui nempe erat Zur inter cortices, sicut ille erat Zuri Schaddai in sanctitate; quærat de tribu שמעה; quasi dicas: שמ עון Ibi est iniquitas. Ethic ipse erat Schaul filius Cananitidis: sicut dixerunt Magistri nostri b. m. Matrem nempe ejus fuisse Dinam quam vitiaverat Cananita: ex qua impuritate Simri adhærebat Cosbidi huic, cumque ipsa peccabat.

Collectanei noni Pars II.

1.

SCiendum quoque, quod in Adamo Protoplaste fuerint Psyche, Spiritus & Mens demundo Factivo, Formativo & Creativo: & insuper Psyche, Spiritus & Mens de Emanatione; Regno nempe pulchritudine & informatione: qui tres gradus postremi vocantur splendor supremus.

2. Illo autem tempore, cùm peccaret Protoplastes, nondum natus erat Kainus, ut patet è libro Sohar. Atque tunc ab ipso tollebantur Psyche, Spiritus & Mens mundi Emanativi.

3. Cha-

3. Chanoch autem accipiebat mysterium splendoris hujus superni mundi emanativi (nempe Mentem): quare etiam fiebat Angelus.

4. Elias autem b.m. accipiebat spiritum Emanativum; quare & ipse dignus fiebat, ut evaderet angelus sicut Chanoch: & ambo non moriebantur.

5. Psychen autem Emanativam accipiebant Kain & Hebel: ut nempe restituerent, quicquid in illa restituendum erat, postquam bono mixtum erat malum.

6. Mens igitur illa Emanativa etiam vocatur Dominus mundi: quoniam ab ipso mundo emanativo ortum habet; & dominium exercet in omnes mundos inferiores. Et quia cuilibet justo duo sunt spiritus, unus infra, & alter supra: Unde duplex illa appellatio, exempli gratia Gen. 22. v. 12. Abraham, Abraham: hinc non est quod objicias: cum Chanoch esset in terra; quisnam illo tempore fuerit Dominus mundi in supernis Metatronis loco?

7. Ista igitur portio mentis deinceps tribuebatur Josepho justo; quare etiam pulchritudo illa Adami, quam Chanochus accipiebat cum splendore superno in Josephum devolvebatur. Verum enim vero Josephus hanc Mentem accipere ultima demum merebatur nocte, qua finiebatur servitus ejus, quaque elevabatur ad regnum. Atque hinc intelligi potest mysticum illud, qua ratione septuaginta linguas didicerit illa nocte, quia nimirum dignus fiebat ista Mente, quæ Metatronis est, præfecti septuaginta populorum gnarique tot linguarum.

8. Et huc pertinet illud Psalmistæ: Psalm. 81. v. 6. *Testimonium in Josepho posuit.* Conferendum cum illo Hiobi: Job. 17. v. 19. *Ecce in cœlo testis meus:* Ubi intelligitur Elijahu: *Et testis meus in excelsis:* Ubi intelligitur Metatron. Hoc igitur testimonium Metatronis datum est Josepho.

9. Cùm autem mens istorum nondum gustasset mortem ab illo tempore, quo moriebatur Adam Protoplastes: sed ab illis auferebatur ante mortem suam: Josephus autem fratres suos somniis suis irritasset, ut ipsum venderent: hinc puniebatur, mentemque hanc revolvi oportebat in R. Jischmaël filio Elischah sacerdote magno; ut sufferret pœnam mortis realiter. Hinc R. Jischmaël filius Elischah tanta excellebat pulchritudine, quanta Josephus justus. Quæ ratio est, quare eundem Metatron in libro suo, cui Palatiorum nomen est, semper vocet gloriam splendoris sui.

10. Eodem modo Elias non merebatur partem illius spiritus accipere, donec (adhuc dum Pinchas) perfecisset factum illud in Sittim, Numer. 25. vers. 7. atque tunc istum spiritum accipiebat. Et hæc est ratio, quare perpetuo, cum de Elia sermo est, mentio tantum fiat spiritus. Exempli gratia: 1. Regum 18. v. 12. *Et spiritus Domini tollet te.* Item: 2. Regum 2. v. 9. *Sit mihi duplicatura Spiritus tui.* Item: 2. Regum 2 v. 15. *Spiritus Eliæ quievit super Elischah.* Quia autem Spiritus habitare non potest nisi in Psyche; hinc dignus non evadebat illo Spiritu, donec perfecisset opus illud cum Simri, Num. 25. v. 7. ubi accipiebat Psychen Nadab & Abihu: qui sunt Psyche Adami Protoplastæ, ut porro dicemus juvante Deo. Atque tunc (in persona Pinchasi) ipsi dabatur *fœdus pacis*, Numeri 25. v. 12. per quod intelligitur Spiritus iste Emanativus Adami

Adami Protoplastæ. Hinc etiam dicitur *Pax*; quia mysterium Spiritus à pulchritudine & fundamento descendit, quibus competit denominatio pacis. Et huc pertinet illud: Jes. 57. v. 19. *Pax, pax, distantibus & vicinis.*

11. Mysterium autem Psyches Emanativæ divisum est inter Kainum & Hebelem. Sed pars Kaini revoluta est omnibus revolutionibus jam notis; in Kenan, Mahalaleel &c. donec veniret in Nadab & Abihu, quæ duæ tantum erant medietates corporis: & ab illis eam accipiebat Pinchas.

12. Atque hinc intelligi potest locus ille Num. 9. v. 6. de iis, *qui se polluerunt super Psyche Adami:* quia nimirum ibi revera intelligitur Psyche Adami Protoplastæ, quæ revoluta erat in Nadab & Abihu, (quorum corpora polluti illi tetigerant, sicut dicunt Rabbini.)

13. Patriarchæ autem radicem animarum suarum non acceperant, nisi è mysterio benignitatis, severitatis & pulchritudinis mundi Emanativi: Et sic Moscheh è mysterio cognitionis. Adam autem descendebat è sapientia, largitione intellectus, pulchritudine, & regno omnium quatuor mundorum.

Collectanei noni pars III.

1.

TRansgressio prima Jephthæ Jud. cap. 11. v. 39. causa erat alterius transgressionis similis. Peccatum enim Jephthæ concernebat votum: peccatum vero hoc alterum committebatur ab Hiele, 1. Reg. 16. v. 34. qui erat è domo Eli: & transgrediebatur maledictionem atque decretum Josuæ de non rædificanda urbe Jericho. Quia autem scriptum est alibi: Jud. cap. 1. v. 16. *Et filii Keni Soceri Mosis ascendebant de urbe Palmarum*, quæ est Jericho. Hinc patet, quod Jericho destinata fuerit radici Kainiticæ. Quapropter Hiel, qui erat de radice Kaini rædificabat urbem Jericho, quod notes.

2. Hic autem deinde vocatur Elias Thisbites: ubi denotatur illa anima, quæ erat de tribu Gad: quoniam Nadab & Abihu nondum erant restituti. Anima autem Pinchasi etiam peccaverat. Elias autem de tribu Benjamin non veniebat, nisi ut illum uniret cum animabus novis. Hinc patet, quod ille hoc loco sit radix: quare jam Pinchas tantum vocatur nomine illius animæ de tribu Gad. Obibatque legationem Domini, donec restituerentur Nadab & Abihu; 1. Reg. 18. v. 39. *Cùm omnis populus procideret in faciem suam, diceretque: Tetragrammaton est Deus.* Tunc illis remittebatur peccatum Nadabi & Abihu, qui truncaverant plantas (id est, divisionem in Divinitate meditati erant) & vitia verant gloriam cohabitantem. Quare dicebant: *Tetragrammaton est Deus* (ut indicarent Unitatem Divinitatis esse restitutam.) Atque tunc expiabatur peccatum Nadabi & Abihu: istique tollebantur, cum Pinchas fugeret in speluncam.

3. Cùm autem è mundo discederet, inque cœlum ascenderet, tunc Psyche illa

dabatur Eliſchæ, juxta illud quod dicitur 2. Reg. 2. 9. ויהי נא פי שנים ברוחך *Sit mihi quæſo duplex portio Spiritus tui.* Ubi נא particula in ſe continet literas initiales nominum Nadab & Abihu. Et literæ initiales iſtarum vocum נא פי שנים conſtituunt vocem נפש, ut ſenſus ſit, iſtos habuiſſe portionem Pſyches Emanativæ Adami Protoplaſtæ.

4. Tunc igitur Elias Thisbites ſublatus eſt ſurſum, qui nimirum erat de tribu Gad: manſitque in cœlis, nec iterum deſcendit. Remanſit autem infra portio Eliæ de tribu Benjamin. Et iſte revolutus eſt in illo, de quo ſcriptum eſt in libro Chronicorum 1. Paral. 8. v. 27. *Et Elias & Sichri cum canticis ſuis* &c. Deinde autem unitus eſt cum literis Eliæ Thisbitæ, qui in ſupernis eſt.

5. Iſte igitur eſt Elias de tribu Benjamin, qui aſcendit & deſcendit, & locutus eſt cum ſapientibus, ediditque miracula. Et hoc ipſum eſt, quod etiam indicabat Sapientibus, dicendo: De poſteris Rachelis ego deſcendo. Neſciebant enim ad quamnam partem ipſe pertineret. Et iſte ſeſe jungebat guttæ illi Jethronis, quam dabat Hieli: quo moriente, eundem accipiebat Elias. Et hæc eſt gutta illa, quam Elias dabat Jonæ filio Amithai. Idemque aliquando erit Meſſias filius Joſeph. Unde Elias dicit in libro ſuo: Puer ille, quem ego reſuſcitavi, eſt Meſſias filius Joſeph. Hinc etiam in Sohar dicitur; Jonam de horoſcopo Eliæ veniſſe. Quicquid autem remanſit Eliæ Thisbitæ vero, anima fuit alterius Eliæ orti è tribu Benjamin.

6. Hic autem quæſtio oritur: Cùm Elias peregiſſet facinus illud, ut exſtrueret altare, ignisque deſcenderet è cœlo ſuper illud: & ipſe occideret Prophetas Baalis: quare deinde ſcriptum ſit 1. Regum 19. verſ. 4. *Et deſiderabat Pſyche ejus mortem?* Et quid hoc ſibi velit? Item quare dixerit: *Quia ego non ſum melior patribus meis?* Res autem ita ſe habet, ſicut ſcribitur in Sohar Sect. Pinchas: Quod Pinchas fuerit Elijahu. Vel etiam dici poteſt, quod in Pinchaſo illo tempore, cum zelum illum exerceret pro Deo ſuo, imprægnatæ quidem fuerint animæ Nadab & Abihu: tempore autem peccati Jiphthach, cum & Pinchas peccaret, eò quod ad hunc accedere nollet, ut ejus votum ſolveret ab ipſo iterum avolaverint animæ Nadab & Abihu. Unde dicitur in libro Paralipomenon: 1. Par. 9, 20. *Quod antea cum Pinchaſo fuerit Dominus*, i. e. antequam peccaret: poſthac enim animæ illæ ab ipſo ſuceeſſerunt, nec Deus cum ipſo erat, ſicut antehac. Unde etiam nulla amplius fit mentio Pinchaſi: ſed deinceps Eliæ nomen ipſi inditur. Cùm autem Elias reædificaret altare illud confractum, factumque illud committeret, ad ipſum redibant animæ Nadab & Abihu propter zelum ejus pro Deo ſuo erga Prophetas Baaliticos: ſicut antea eadem Pinchaſum imprægnabant ob zelum ſimilem. Fiebat ergo reſtitutio eorum per ignem è cœlo delapſum, quia offerendo ignem peregrinum peccaverant; ignisque egrediebatur à Domino, eosque conſumebat. Jam autem reſtituebantur, quod dicerent: *Tetragrammaton eſt Deus*; ut nempe expiaretur commiſſum eorum. Unde bis exclamabant: *Tetragrammaton eſt Deus*: ita ut ſinguli id reunirent, quod antea ſeparaverant. Et huc etiam reſpexit Elias, cùm inquit: 1. Reg. 18. v. 37. *Reſponde mihi Domine, exaudi me.* Ubi bis hæc repetit, ut indigitaret reſtitutionem amborum.

7. Poſt-

7. Poſtquam autem reſtitutæ eſſent penitus, iterum ſeceſſerunt ab eo. Sic enim fieri ſolet in embryonatu, cum quis alterum imprægnat ad obſervandum præceptum aliquod, ut is acquiſita reſtitutione iterum diſcedat. Quare Elias poſt factum illud mori deſiderabat; dicebatque 1. Regum 19. verſ. 4. *Non ſum melior quam patres mei*, qui erant Nadab & Abihu: quoniam enim iſtiâ me diſceſſerunt, quid ego diutius in mundo moror?

8. Hinc etiam intelligi poteſt, cur Eliſchah dixerit 2. Regum 2. v. 9. *Sit quæſo duplex portio de Spiritu tuo penes me.* Quomodo enim deſiderare potuit rem impoſſibilem? Rem iſtam autem declarant duæ literæ vocis נא, quæ ſunt Nadab & Abihu: & quia hi ſunt duo; hinc dicit: *Sit mihi duplex portio de Spiritu tuo.* Quaſi innueret, ut duo illi, qui Eliam imprægnaverant, ejusque Spiritum, venirent & imprægnarent ipſum. Unde etiam dicit: *Super me.* Idque propterea deſiderabat, ut iidem in adjutorium ipſi adeſſent, pro cultu Divino illo porrò perficiendo. Elias autem reſpondebat ibid. v. 10. *Si videbis me, quando à te auferar; id eveniet.* Cùm enim attolluntur juſti, in occurſum ipſis prodeunt animæ ipſis cognatæ, ut eosdem comitentur: Sique quis dignus ſit easdem videre, tunc fieri poteſt, ut irradient in eum. Cumque ſic clarificatur anima ejus, porrò fieri poteſt, ut eadem illas ſibi attrahat, eæqs ipſum imprægnent; unde magnum ipſi adjutorium pro cultu Divino.

Collectanei noni pars IV.

1.

PORrò & hæc inveni ſcripta: Audivi, quod nomen אלהים referat numerum 52. juxta numerum Tetragrammati duplicatum. Hæc autem ſimpliciter ſaltem audivi.

2. Jam verò eandem petitionem juxta hunc ſenſum explicabo: ſimulque reſponſionem petitum ejus ſubſecutam. Notum enim eſt, quod ſi Tetragrammaton bis ponatur, unum pertineat ad Microproſopum, & alterum ad Macroproſopum. Eliſchah igitur, cùm duplicem portionem de ſpiritu ejus expeteret, id volebat, ut duo hæc lumina & ipſum illuminarent. Ubi reſponſum accipiebat: *Si videris me* &c. Cùm enim juſtus quidam ex hoc mundo diſſolvitur, tota illa lex atque præcepta ab ipſo obſervata, & omnes actus unitivi in vita ſua exerciti eadem hora omnes ſcintillant, radiosque emittunt: atque hinc inferius magna exiſtit unio atque inſignis, quaſi hæc omnia fierent lux una quam maxima & quaſi infinita. Lumen igitur, quod ad Macroproſopum refertur, ſub myſterio faciei ſuperne duarumque genarum, quæ dicuntur duæ areolæ aromatum, dividitur in 370. lumina, ſicut exponitur in Idra. Et iſta 370. lumina diſtribuuntur in Microproſopum & uxorem ejus: ita ut 220 influant in Microproſopum: reliqua autem 150, Hebr. קין, quæ vox & nidum denotat, in uxorem. Quo pertinet illud Pſ 84, 4. *Etiam avis invenit domum*: ubi vox צפור continet 370 & avis libertina קין nidum להּ, pro ea, id eſt, Uxore Microproſopi. Adeoque hæc 370 lumina influunt &

manifestantur in Microprosopo & uxore ejus, quatenus & quando in copula unitiva sunt.

3. Et sic quoq; cum justi è mundo tolluntur, eosdem irradiant omnes illi actus unitivi, quos exercuerunt, dum adhuc in hoc mundo existerent: & tunc etiam radii illi Macroprosopi affulgent Microprosopo & uxori ejus, sicut dictum est. Idem ergò est, ac si dixisset Elias: Si anima tua tam erit clarificata, tunc assequi poteris illa lumina, quæ sunt lumen Macroprosopi, & lumen Microprosopi, quorum summa est 370. Atque sic factum est animæ Elischæ, ut tam esset clara, quòd eum videret, & in se susciperet omnia ista lumina 370, quæ irradiabant in faciem brevem Microprosopi: ita ut abhinc eadem quoque longa fieret, & pariter vocaretur Macroprosopus, propter 370. lumina illa in se suscepta, sicut dicitur in Idra. Et propterea Elischah dignus fiebat, ut fulgeret facies ejus: sicut dicunt Magistri nostri piæ memoriæ, quod coactus fuerit se abscondere in speluncas montium, quoniam nulla mulier facultatem haberet lucidissimam ejus faciem intuendi. Et quia sic dignus fiebat accipere lumen faciei regis ritarum: hinc virtutem habebat bis resuscitare mortuos. Et si quis accurate omnia observet, patebit, quod virtutem habuerit influentiam in mundum derivandi liberorum, vitæ, & alimentorum: quæ omnia pertinent ad Binah seu matrem intelligendi, ubi manifestatur Macroprosopus, sicut notum est. Exemplum autem liberorum est filius Sunamithidis: Vitæ; resuscitatio ejusdem: & alimentorum, quod aleret uxorem Obadiæ, unde אלישע dicitur, quasi אלי שש, id est, Deus meus, & שש, id est, 370. lumina.

Collectaneum decimum.

1.

POtro scriptum reperi, quod sequitur. Adam in se continebat omnia 248 membra, & præterea multas species pilorum, qui quasi infiniti erant. Et ab omnibus istis speciebus descendunt species animarum specialiores: & istæ species specialiores deinde communicatæ sunt iisdem, quos progenerabat, qui erant radices animarum. Meritò igitur sciendum esset, quomodo mutatæ sint illæ radices, speciesque specialiores membrorum atque animarum, quomodo singulæ à singulis descendant, & è quo quilibet sit membro.

2. Jam verò notum est, quod plurima pars animarum sit de radice Kaini & Hebelis, à quibus deinde porro subdividuntur. Ubi rem exemplo declarabo: nimirum si v. gr. Hebel fuisset caput animarum; dicendum esset, omnes animas speciales ad caput pertinentes, esse de genere Hebelis. Sic quoque si Abraham est brachium dextrum: dicendum erit, omnes scintillas sive radios animarum speciales brachii hujus esse de genere Abrahami. Et sic deinceps. Juxta omnia membra 248. Ubi multæ sane occurrunt species: me autem exponere prius oportet species pœnitentiæ: ex quibus intelligentur & illæ.

Col-

Collectaneum undecimum.

1.

SCriptum extat in scriptis nostris, quæ Druschim seu commentationes dicimus, quare judicia Legis tribus locis tradita sint. Prima vice nimirum in Marah: sicut dicunt Magistri nostri piæ memoriæ, mandata de Sabbatho & de judiciis in Marah tradita esse. Secunda vice in sectione Mischpatim; & tertia vice in sectione Jethro: Ubi quæritur, quare non omnia judicia legis tradita sint simul & semel? Res autem è sequentibus patebit.

2. Scito, quod Adam in illis 130 annis, quibus in divortio erat cum Chavvah genuerit dæmones & plagas filios Adami. Verum enim vero omnes illi Dæmones & Spiritus ab ipso generati, radii erant & scintillæ de sanctitate: modo quod involutæ essent corticibus. Imò quandoque majores sunt animabus cæteris: sicut dixerunt Magistri nostri piæ memoriæ de decem illis gutis effusis à Josepho. Quoniam guttæ illæ, quæ à masculo solo prodeunt, præstantiores sunt illis, quæ proveniunt per copulam maris & fœminæ, ita ut in iis, quæ proveniunt è libidine solius masculi, sæpè magna sit anima. Omnes igitur illi radii seu scintillæ, quas Adam depressit tempore illorum 130 annorum, necessario ab eodem restituendæ fuerunt: eò quod essent animæ sublimes, vestitæ intra cortices.

3. Jam verò notum est, omnem animam corticibus immixtam revolvendam esse multis revolutionibus, pro purificandis sordibus suis, sicut argentum purificatur in cupella aliquoties, donec aboleantur scoriæ ejus.

4. Istæ ergo plagæ filii Adami revolvebantur ætate diluvianâ: unde tam rebelles erant Deo sanctissimo, ob nimiam spurcitiem in ipsis latentem. Et Deus tamen cogitationes habebat, ne planè repellerentur, ab ipso repulsi hi, juxta 2. Sam. 14. v. 14. In ista igitur revolutione mala multa perpetrabant. Et hoc ipsum est, quod dicitur: Gen. 6. v. 6. *Et solummi erat Deo, quod fecisset Adamum in terra.* Quæ dicta sunt de generatione diluviana, quæ erat revolutio filiorum Adami Protoplastæ, eorum nempe, quos generaverat in 130 illis annis. Et porro dicitur: Gen. 6. v. 5. *Et videbat Deus, quod multiplicaretur* רעת *mala Adami in terra.* Notum autem jam est, quod scriptum est in Sohar; eum qui frustra effundit semen; vocari רע malum. Quo refertur illud; Psalm. 5. v. 5. *Non habitabit tecum* רע *semine fluus.* Unde istæ plagæ filii Adami vocantur mali filii Adami: quos nempe Adam produxerat in mundum. Unde porro dicitur: Gen. 6. v. 7. *Delebo Adamum, quem creavi.* Ubi intelliguntur ipsius Adami filii, quem Deus Benedictus manibus creaverat propriis. Atque huc etiam pertinet illud ibid. v. 5: *Et omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum est* רע *malum tota die*; seu de faciendo Gonorrhæa. Nam quia erant plagæ filii Adami, hinc & ipsæ malum hoc committebant ad instar loci ipsius, unde proveneranr: unde & ipsi

perdebant semen suum super terra: sicut dixerunt Magistri nostri piæ memoriæ per illa verba: Gen. 6. v. 12. *Perdidit omnis caro viam suam super terra*: intelligi masturpationes.

5. Pœnitentiâ enim Adami id quidem siebat, ut venirent in mundum: sed id Adam efficere non poterat, ut restituerentur, donec purificarentur & emundarentur sæpius.

6. Namque & in Kain immixti erant isti filii Adami: quare & ipse supplicium sustinebat cum ipsis. Unde dicitur: Gen. 7. v. 4. Deleboque quicquid habet subsistentiam. Ubi intelligitur Kain: cum & vocula קין numero fere æquipolleat voci קץ (adjecto scilicet quaternario literarum.)

7. Respectu igitur loci illius, unde venerant, nempe è Gonorrhæa, cui & ipsi fuerant addicti, sicut patres ipsorum; supplicium quoq; passi sunt, peccato illi simile, ita ut suffocarentur aquis ferventibus diluvianis: quemadmodum gutta frustra effusi seminis fervens effluit.

8. Deindeautem vice altera revoluti sunt in generatione turris Babyloniæ. Sed & isti iterum peccabant vice altera. Unde scriptum est: Gen. 11. v. 5. *Descendit de Dominum, ut videret urbem atque turrim, quam extruxerant filii Adami*. Quod in Sohar explicatur de genuinis filiis Adami Protoplastæ, quos generat illis 130. annis.

9. Tertia autem vice revolvebantur in Sodomitis. Unde dicitur, Gen. 13. v. 13. *Et Sodomitæ erant mali*, id est, descenderant ab illo malo Gonorrhææ primæ, de quo Scriptura dicit; Psalm. 5. v. 5. *Non habitabit tecum malus*.

10. Cum igitur tertia jam vice mali fuissent, tribus nempe revolutionibus: de quibus dicitur: Job. 33. v. 29. *Omnia ista Deus operatur, bis vel ter cum viro*: videretque Altissimus, quod corriginollent, porro eosdem transplantabat in Ægyptum vice quarta. Atque isti erant Jisraëlitæ in Ægypto. Jam vero à nobis & alibi dictum est, quod Jisraëlitæ in Ægypto viventes Mosique coævi, omnes ortum habuerint è mysterio Daath seu cognitionis: unde & Moses exortus erat. Dictumque est etiam paulo supra, quod animæ à solis masculis provenientes sublimiores sint, quam quæ proveniunt beneficio maris & fœminæ: quia tales ab ipsa radice cognitionis oriuntur. Omnes illi igitur radii erant Mosis depressi intra cortices: illoque tempore in Ægypto restituebantur per Mosen: istumque oportebat ex Ægypto eosdem educere, eosque alere; quoniam ipsi incumbebat restaurare radicem suam.

11. Ubi quoque sciendum, quod Jochebed mater Mosis fuerit revolutio Eæ uxoris Adami Protoplastæ: & Amram esset revolutio Adami ipsius: quare hic etiam non moriebatur propter peccatum aliquod actuale; sed propter consilium serpentis. Et sicut Adam in divortio suo cum Eva uxore per 130 annos generabat dæmones & spiritus: sic & iste à Jochebed uxore sua abstinebat 130 annis, ut in illis 130 annis è Gonorrhæa ejus (nocturna) adducerentur istæ plagæ filii Adami, sursumque

sumque emergerent. Et postquam omnes emersissent, venissentque in mundum: tunc demum generabat Mosen, ut restitueret istos radios suos: quemadmodum generabatur Scheth, postquam Adam iterum consvescret cum Chavvah. Scheth autem est revolutio Mosis ut notum; denotaturque per Schin nominis משה. Atque hinc patet, qua ratione omnes viæ Domini in bonum dirigantur finem.

12. Hinc quoque intelliges, quare antecessores nostri virique clarissimi tantopere scrutati sint, quare contigerit exilium Ægyptiacum. Nunc autem intelliges magnam illam analogiam. Quoniam enim Jisraëlitæ hi in Ægypto iidem erant, qui diluvio perierant: hinc Pharao præcipiebat, ut omnis puellus projiceretur in flumen: quo innuitur pœna illa diluviana: porrò idem servitutem ipsis imponebat operandi in luto & lateribus, eo quod essent revolutio generationis turris Babyloniæ, ubi lateres quoque formabant extructuri turrim; cujus respectu nunc condere cogebantur urbem Pitom & Raëmses.

13. Porro etiam colluvies illa plebeja, quæ cum Jisraëlitis ex Ægypto exibat, ex iisdem revolutionibus ortum habebat: modo quod hi nondum essent restituti. Unde Moses tanto conabatur studio & hos restaurare: quamvis in vanum.

14. Sicut ergo Moses erat mysterium cognitionis supernæ, unde prodeunt guttæ seminales: idemque erat mysterium Hebelis filii Adami: ita colluvies hæc magna erant filii Bileam, sicut in Sohar traditur. Bileam autem oppositus erat Mosi in cognitione partis impuræ. Et hoc erat illud ipsum, quod separatum erat in purificatione istarum animarum: Ubi cortex relictus erat solus, quasi scoria, quæ erat anima Bileami: quamvis & in ipso superstites remanserint aliquæ scintillæ animarum sanctarum, prout inter nos vulgatum est. Unde Deus generationem hanc magnæ hujus colluvieivocabat populum Mosis: sicut dictum est: Deut. 9. v. 12. *Populus tuus rem perdidit*. Item: Exod. 34. v. 10. *Populus ille, in ejus medio tu es*. Ipse enim in medio illorum erat, sicut anima in corpore; eò quod ipsius radii & scintillæ essent. Porro dicitur de murmurantibus: Num. 11. v. 1. *Id malum fuisse in auribus Domini*. Quoniam erant de genere mali illius Gonorrhæalis, de quo dictum est: Psalm. 5. v. 5. *Non habitabit tecum malus*. Unde & alibi dicitur: Numer. 11. v. 10. *Atque id malum erat in oculis Mosi*. Moses enim jam viderat, quod descendissent de mysterio mali istius. Ipse autem erat pars ipsorum selectissima: quoniam jam pronatis omnibus illis animabus egressisque è malo, & cessantibus revolutionibus prioribus, nascebatur Moses, qui erat bonum illud & purum, quod in illis deliterat. Quare Scriptura dicit: Exod. 2. v. 2. *Et videbat eum, quod bonus esset*. Jam enim cessabat omne illud malum ulterius revolvi. Unde etiam dixerunt Magistri nostri piæ memoriæ: Eadem die, qua natus esset Moses, infractum esse præceptum Pharaonis, ne pueri ulterius projicerentur in flumen. Quoniam jam cessabat malum ipsum: & quia portio ejusdem bona veniebat in mundum: ulterius non opus erat præcepto hoc. Unde Mosen quoque oportuit redemtorem illorum esse in deserto.

15. Videor mihi autem audivisse, Adamum Protoplasten triplici laborasse Gonorrhæa.

norrhæa. Istorum tamen probe memini, quæ sequuntur: quod Adam plura commiserit peccata. Nimirum, quod sicut dixerunt Magistri nostri piæ memoriæ, suspectus fuerit rapinæ: eo quod scriptum sit: Genes. 2. vers. 17. *de arbore cognitionis boni & mali Non comedes.* Ipse vero furtim de illa comedebat. Quare filiis Noach talia dibantur præcepta, quæ omnia transgressus erat Adam Protoplastes. Deinde Gonorrhæam admiserat: cujus respectu homines quoque diluviani corruptores feminis sui erant. Quamvis fundamentaliter puniti sint propter rapinas conformes peccato Adami. Porrò quoque reperimus, quod Adam abnegaverit radicem omnium, Deum, factusque sit Idololatra. Cujus respectu generatio turris Babelicæ Idololatrica erat & athea. Similiter invenimus præceptum fuisse Adamo de judicio administrando; quod pariter sit transgressus. Unde inter septem præcepta Noachica unum etiam occurrit de rectè judicando, sicut notum est. Et quia Adam præcepto hôc abnegaverat Deum, hinc ejusdem respectu Sodomitæ erant mali & peccatores corruptoresque judicii: quoniam judices Sodomitæ mali erant, ita ut potissima Sodomitarum pravitas in hoc consistat, quod Judices constituerint mendaces atque corruptos.

16. Cum igitur Jisraëlitæ consisterent ad montem Sinai, cessaretque impuritas eorum: hinc primo tradenda quoque ipsis fuerunt præcepta de judiciis. Et propterea tribus vicibus illis præcepta ipsis promulgata sunt de judiciis.

17. Respectu enim generationis Babelicæ, quæ athea erat sicut Adam, datum ipsis est præceptum de Sabbatho & de judiciis in Marah, Exod. 15. v. 25. Quoniam qui Sabbathum admittit, idem præstat ac si totam legem admitteret. Unde dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Quicunque Sabbathum ritè observat, etiamsi Idololatra esset, sicut Enosch, remissionem tamen habet omnium peccatorum suorum. Ut igitur expiaretur hoc ipsorum peccatum, abnegatio nimirum Dei; primò præcepta acceperunt de Sabbatho & ritibus ejus: unde intelligitur hoc ipso condonatum iis fuisse peccatum hoc.

18. Deinde respectu Sodomitarum, qui judicia corrumpebant, sicut Adam Protoplastes, data est ipsis sectio de judicibus Exod. 18. v. 21. ante promulgationem Decalogi. Ubi intentio fundamentalis erat de judicibus constituendis. Quare cum Jisraëlitæ istos in se susciperent judices, iisdem remittebatur peccatum illud Sodomitarum. Et huc spectat intentio Moysis, de qua scriptum est: Exod. 18. v. 13. *Stabat autem populus circa Mosen à diluculo usque ad vesperam: Moseque sedebat judicans populum.* Putabat enim Moses, se restiturum totam hanc generationem Sodomiticam hoc ipso, quod ipse solus esset populi judex, atque sic expiatum iri sperabat peccatum illud. Cum enim ipse præsideret ut judex populi, scintillæ illæ animarum Sodomiticarum in ipsum veniebant per modum impræginationis; quod illis imputabatur, ac si ipsæ fuissent judices: præsertim si causa quædam offerretur Moysi, quæ jam ante quoque occurrerat judicibus Sodomitarum. Ipse igitur putabat hæc sufficere. Jethro autem respondebat ipsi: Non succederet res ista; quamvis enim tu sic agas, attamen tu solus omnes illas animas impræginationem in te facturas sustinere non poteris, sed nimium defatigaberis: si autem plures constitueris judices, qui onus tecum ferant, teq; adjuvent, melius succederet peccata enim Sodomi-

Sodomitarum levia, expiabuntur per illos: negotia autem gravia in te devenient, & tu eadem restitues.

19. Quanquam & alia sit ratio consilii hujus: quod nempe animæ illæ essent de genere Kaini, nec restitui possent per Moysen, sed aliquis requireretur, qui esset de radice Kaini: hinc consilium hoc Jethronis de constituendis judicibus multis bonum erat, & hoc modo restituebantur omnes: Jethro enim erat revolutio Kaini; unde ab hoc promanare debebat consilium istud consentiente Moyse.

20. Respectu autem generationis diluvianæ atque rapinarum, Scriptura dicit: Exod. 21. v. 1. *Et ista sunt judicia*, &c. Primumque de judiciis præceptum est de servo Hebræo emto, annisque servitutis ejus: ubi intelligitur Hebræus talis, qui venditus est à judicibus ob commissum furtum: in quem finem Moses præceptum hoc de furibus promulgavit: quod cum in se susciperent, ipsis imputabatur, ac si ipsi venditi essent, ut servi posit sexennium demum liberandi.

Collectaneum duodecimum.

1.

FActum illud Usiæ Regis, qui leprosus fiebat, quod sufficium offerre vellet; 2. Paral 26. v. 16. ita se habet: quod Usia esset revolutio illius Usæ, de quo scriptum est in libro Samuelis Prophetæ: 2. Sam. 6. v. 3. 8. *Et Usa & Achio ducebant currum*: Unde literæ nominis utriusque plane sunt similes.

2. Venerat autem in mundum, ut expiaret peccatum istud primum, quod applicuisset manum suam ad arcam Dei, & propterea esset mortuus: & tamen non restituebatur, sed redibat ad vitium prius, ut manum suam admoveret ad rem quandam illicitam. Anima tamen ejus sciebat, quod antea fuisset sacerdos: hinc sacerdotium iterum appetebat: sin hoc tamen errans, eò quod jam sacerdos non esset.

Collectaneum decimum tertium.

1.

SCriptura dicit Exod. 25. v. 10: *Et arcam de lignis Sitim compingito*, &c. *eamque deaurabis intus & foris.* Ubi dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Mosen fecisse tres arcas, unam ligneam, & duas aureas, internam atque externam. Ubi quæritur, quoniam præceptum est, ut arca intus & extus fiat aurea; quare non tota facta sit aurea, & quare in medio ejusdem collocatum fuerit lignum? Ubi sciendum, in homine esse Psychen, Spiritum & Mentem, & animæ animam: ita ut Psyche in hepate; spiritus in corde; mens in cerebro habitet; mentis autem mens hominem ambiat extrinsecus. Quicunque ergo non habet quatuor hos gradus, in illo recondi non possunt mysteria legis. Quo pertinet illud Jobi 18. v. 17. *Et cui nullum* שֵׁם *nomen, ipse foràs.* Ubi notandum, quod literæ mediæ vocis נשמה i. e. mentis, ut & gradus in נשמה efficiunt vocem שם sive nomen, ut sensus sit: Eum qui nondum habet nomen sive mentem & mentis mentem, quamvis habeat Psychen & Spiritum; tamen adhuc esse fo-

rinsecus. Vel etiam: virum talem ibi descriptum non habere mentem, quæ est foras, i. e. quæ eundem extrinsecus ambiat: ubi intelligitur animæ anima.

2. Hinc ergò intelligi poterit mysterium hujus arcæ. Corpus enim hominis vocatur lignum juxta illud: quod homo dicatur lignum Agri. Intus autem habet Psychen, Spiritum & Mentem: & extra Mantis Mentem. Quare præcepit Deus Benedictus, ut fierent tres arcæ, & media quidem de lignis Sittim, qua denotatur corpus humanum: duæ autem aureæ; una respectu Psyches, Spiritus & Mentis; & altera respectu Luminis ambientis: quo facto illuc imponenda erat Lex: ut denotetur, cum qui obtinuerit gradus istos, assecuturum quoque cognitionem Legis, nec aliter.

3. Inque hoc casu porro etiam dantur gradus, ita ut quis tantopere purificare queat corpus suum, ut hoc ascendat in gradum Psyches. Ex quo intelliges illud, quod dixerunt Magistri nostri piæ memoriæ; in duplicibus his appellationibus, v.g. Abraham; Abraham; Jacob; Jaacob, intercedere accentum. Cum autem dicitur Moscheh; Moscheh, nullum intercedere accentum. Ubi hæc sit intentio, quod primum horum nominum denotet Mentem; & alterum Mentis Mentem. Mosis autem materiam clarificatam fuisse septies, ita ut in vita sua in cœlum ascendere & descendere potuerit: quasi corpus ejus, inter gradus illos non intercederet. Hinc duo illa nomina; Moscheh Moscheh nullo distingui accentu. Abraham & Jacob autem, quamvis Patriarchæ fuerint, corpora tamen non habuisse adeo emundata, ut distinctio ista non observaretur: atque hinc duo illorum nomina accentu separari.

Collectaneum decimum quartum.

1.

QUæritur, cum Angeli non minus quam animæ humanæ ortum suum habeant è congressu quodam superno; quare Angeli manserint Spirituales, & incorporei: homines autem tali opus habeant corpore; & quis hoc causatus sit? Item quænam sit differentia inter homines & Angelos, Unde character iste distinctivus inter eos intercedat?

2. Nimirum jam sæpius à nobis expositum est, quod duplex sit copula congressiva: una superior & spiritualis atque incorporea, altera verò corporea: quodque copula superior fiat osculis, prout alibi declaratum est, quod halitus ex ore prodiens sit spirituale quid, ad tres supremas numerationes pertinens. Copula autem inferior, concubitûs, magis est corporea cum vera gutta seminali conjuncta.

3. At verò alibi explicuimus tibi, quod fundamentum horum omnium dependeat è mysterio septem regum primorum, qui mortui sunt, & deinceps restituti. Omnes enim quatuor mundi Emanativus, Creativus, Formativus & Factivus ortum habent è selectione in septem istis Regibus facta: ita ut, quod excellentissimum esset inter illos, secretum sit pro mundo Emanativo: quod autem paulo diminutius esset, selectum sit pro mundo Creativo; & vilius iterum pro formativo: quodque adhuc vilius pro Factivo. Et vilissimum tandem vocatum sit nomine scoriarum auri fusione purificati, cujus nullus

nullus planè sit usus; unde & putaminum nomine dicitur; eò quod non amplius queat emundari. Et hæc sunt judicia illa rigorosissima, ipsique cortices. Quamvis, ut alioi quoque dictum, necessariò & in his minimæ quædam insint scintillæ, quæ indigitantur per mysterium undecim specierum suffimenti: quæ futuro tempore etiam seorsim parabuntur, ita ut tunc dici queat: Jes. 25. v. 8. *Absorpta est mors in æternum.* Prout inter nos vulgatum est.

4. Quemadmodum autem jam dictum est de mundis istis quatuor; ita eodem plane modo processum est in mundis singulis. Utque, exempli gratia, initium faciamus à mundo Emanativo: in hoc, quod excellentissimum fuit, selectum est pro Sene decrepito: diminutius paulo pro Macroprosopo; quod adhuc inferius pro Patre & Matre, & quod imum hujus gradus, pro Microprosopo & uxore ejus. Idque sic etiam in Systematibus tribus inferioribus. Idemque plane & in decem numerationibus singularum personarum deprehenditur: ita ut non sit opus diutius his immorari.

5. Porrò sciendum, eo tempore, quo facta est electio systematis Emanativi, creativum, plane nondum fuisse disquisitum. Quod etiam eodem modo intelligendum de systematibus reliquis.

6. Quin & in ipso mundo Emanativo eo tempore, cum secerneretur Senex, nullam adhuc factam esse selectionem ullius de gradibus inferioribus. Atque sic deinceps. Unde patet, omnes quatuor mundos esse selectionem illam è septem his Regibus factam: & hoc est fundamentum totius hujus scientiæ.

7. Non licet autem sermonem instituere de copula illa, quæ facta est ante Patrem & Matrem: sed de iis, quæ supra Patrem & Matrem sunt, dicitur Jes. 51 v. 2. *Quia unum vocavi eum:* i. e. non assumta societate secundi. Non enim cognoscitur, nec commemoratur aliquid de illa copula: sed uxor prima, quæ in mundo est, Matris nomine dicitur: unde à Patre & Matre, & porro deorsum mentio copulæ incipit. Postquam igitur selecti essent Pater & Mater; inter hos instituenda fuit copula, ut secerni quoque posset natura Microprosopi & uxoris ejus. Jam enim præsuppositum est, nihil secerni posse penitus, nisi mediante copula; ita ut scintillæ illæ sive radii ascendant de loco illo inferiore, in quem delapsæ sunt; intrentque in uterum mulieris cujusdam; ibidemque expectent toto tempore, quo gestari solet uterus, & mitigentur adeò, ut inde fiat notio personæ cujusdam.

8. In utero igitur Matris supernæ secreti sunt Microprosopus & uxor ejus, nihilque præterea. Et in utero uxoris Microprosopi secretum est initium mundi Creativi usque ad Patrem & Matrem. Et quia jam dixi, non posse exprimi copulam supra Patrem & Matrem; hinc omnes tres superiores mundi Creativi simul comprehendo, quod nempe simul sint selectæ, quod sapienti satis est.

9. A matre autem mundi Creativi secreti sunt Microprosopus & uxor in creatione. Et sic porrò etiam quoad inferiora, ad finem usque mundi Factivi.

10. Quod autem diximus, Patrem & Matrem non secernere omne id, quod infra se habent; sed Microprosopum tantum & uxorem ejus: hujus ratio hæc est; quòd

non omnes scintillæ sint æquales: unde quicquid pertinet ad notionem Microprosopi & uxoris ejus, ab iisdem emundari potest, & ascendere usque ad Matrem. Quod autem inferius est Microprosopo & uxore ejus, sursum ascendere nequit usque ad Matrem; eò quod gradus ejus diminutior sit. Si enim ascendere posset usque ad Matrem, omnia vocarentur Microprosopus & Uxor ejus. Adeoq; nihil secerni potest, nisi à gradu uno proximè sese superiore, nec ultra. Sed de his satis.

Collectanei 14. Pars altera.

1.

IAm ergo dicemus de natura copularum; & deinde exponemus differentiam quæ est inter Angelos & homines. Antequam enim conderentur Microprosopus & uxor ejus, Pater sanè & Mater non abstinuerunt à copula: quoniam simul prodierunt; nec ulla inter ipsos datur separatio vel unico temporis momento in omnem perpetuitatem.

2. Quoniam autem ratio fundamentalis copulæ alia non est, nisi selectionis tantum gratia, ut notum est: hinc copula inferiore ipsis non fuit opus: sed copulati tantum fuerunt copula superiore, quæ osculorum dicitur.

3. Cum autem Microprosopus & uxor ejus essent secernendi, tunc Pater & Mater opus habuerunt copula inferiore, ut Microprosopus & uxor ejus allegerentur in uterum Matris superioris.

4. Jamque diximus & alibi, quod duæ sint species imprægnationum, & Microprosopus cum Uxore bis gestatus sit utero. Primum ergò conceptionis tempus hoc est, quando Microprosopus ternos artus ternis habuit insertos, ita ut prodiret ad instar infantis modo nati. Alterum autem conceptionis tempus institutum fuit, ut acciperet cerebra; quod est mysterium adolescendi. Ita ut duplici specie congressus opus habuerint Pater & Mater pro secernendo Microprosopo & uxore ejus: siquidem nulla est imprægnatio sine præcedaneo congressu.

5. Post secundam autem hanc imprægnationem Microprosopi, non amplius opus fuit Patri & Matri, ut copularentur, sicut prius. Sed tertia quædam datur notio copulæ post statum adultum Microprosopi & uxoris ejus instituenda: nimirum pro necessitate continuandæ vitæ Microprosopi & Uxoris ejus omnium quæ trium mundorum: ita ut tres sint copularum species in Patre & Matre & non plures: duæ pro corpore Microprosopi; & una pro vita ejus continuanda, & alimentis. Et tria hæc tempora pertinent ad copulam inferiorem congressivam.

Collectanei 14. Pars tertia.

1. IAm autem porro dicemus de copula osculorum, quorum sunt quatuor species, & subdividuntur in septem. Cùm enim nulla in mundo fiat copula, quam non præcedant amplexus & osculum; hinc necesse est, ut tres modo dictas copulas, tres quoque præcesserint species osculorum. 2. Et

2. Et si simul computentur oscula priora ante selectionem Microprosopi & Uxoris ejus instituta, cum nulla adhuc in Patre & Matre esset copula; hinc quatuor osculorum resultant species; tres nempe cum copula & quarta sine copula, quæ sunt quatuor. Si verò ulterius subdividantur, invenientur septem; oscula enim cum copula duplicia sunt, ante copulam scilicet pro conciliando amore; & in copula ipsa: unde ob triplicem congressum Patris & Matris sex oriuntur oscula: cumque primis ante secretionem Microprosopi institutis, quæ non bipartiuntur, sunt septem osculorum species, sicut tres copularum.

3. Porrò notandum est, quod anima hominis in plures dividatur species: ita ut habeat Mentis Mentem oriundam à Patre; & Mentem à Matre; & Spiritum à Microprosopo; & Psychen ab Uxore ejus: & hæc quoad mundum Emanativum, quibus dantur gradus similes in mundis quoque tribus inferioribus. Ubi quæstio exoritur, quomodo dici queat, hominem, qui inter inferiora refertur, habere posse notiones atque excellentias tantas, quales non habent Microprosopus & Uxor ejus: nimirum, quomodo eidem tribuatur Mentis Mens, nec non Mens ipsa, qui gradus sunt sublimiores Microprosopo & Uxore ejus: cùm tamen ne Spiritum quidem qui ad Microprosopum pertinet, assequi mereatur: quinimo nec Psychen, quæ ad regnum Emanativum spectat? Atque hæc primo intuitu magni ponderis est objectio.

4. Responsum autem peti potest è præfatione libri Sohar, præfixa Sectioni Breschith: ubi R. Pinchas dicit: Nullam dari animam, cum qua non prodeant aves volantes, qui sunt Angeli. Eodem igitur modo res se habet cum Microprosopo ipso. Hic enim cum prodit à Patre & Matre, cum ipso prodeunt aves, & animæ aliæ pro Angelis & pro hominibus. Res autem sic intelligenda est: quod quamvis per illam copulam prodeant animæ hominum atque Angelorum: illæ tamen analogum tantum quid sint illius, quod postmodum fiunt: quoniam nondum perfectè sunt completæ, donec copulentur Microprosopus & uxor ejus: nam tunc demum in mundum prodeunt per istam copulam. Radix tamen eorum in supernis est à copula Patris & Matris.

5. Quicunque ergo proveniunt à copula osculorum, illi cum copulæ hujus magna sit excellentia atque sublimitas, nullo opus habent corpore: eo quod copula hæc planè sit spiritualis. Qui verò proveniunt per copulam inferiorem congressivam, quæ corporis est, eò quod copula spiritualis osculorum iisdem elevandis & producendis non sufficiat, vestiendi quoque sunt corpore, inque hoc mundo restituendi per præcepta atque opera corpore quodam exequenda. Unde mysterium osculorum originem præbet angelis, & mysterium copulæ inferioris pro hominum est animabus.

6. Quamvis omnino animæ justorum quorundam majores sint Angelis. Nam licet per copulam inferiorem exoriantur: nihilominus tamen copulæ dantur osculis præstantiores: qualis v. gr. est copula pro conceptione formandorum cerebrorum, quæ major est reliquis conceptionibus copulisque & osculis ipsis.

7. Jam igitur ad ordinem illorum ipsum descendam. Ex osculis igitur, quæ priora sunt omni copula, & selectione Microprosopi atque Uxoris ejus, prodeunt An-

geli sancti, quorum nomina non mutantur, quique perennes sunt, de quibus dixerunt Magistri nostri p. m. ad illud, quod Deus vocatur creator ministrorum: quod sint Angeli, quorum nomen haud mutatur unquam: Et hi sublimiores sunt omnibus Angelis reliquis. Quamvis autem Angeli isti celsiores sint omnibus, nihilominus tamen dantur homines adhuc excellentiores; qui nempe ortum habent ex osculis copulæ pro imprægnatione ad formanda cerebra. Supra enim jam diximus, quod ad quamlibet copulæ duæ referantur osculorum species: quarum posterior, quæ simul cum copula conjuncta est, excellentior est priore copulam præcedente, quæ tantum sit ad amorem conciliandum. Ab illis ergo osculis copulæ pro cerebris proveniunt animæ justorum. Et horum excellentia major est quam Angelorum supradictorum. Porro etiam supra jam dictum est, animas non restitui, nisi per copulam Microprosopi & uxoris ejus.

8. Deinde sequuntur oscula secunda imprægnationis primæ: quoniam secunda semper præstantiora sunt primis; quoniam tempore ipsius copulæ fiunt.

9. Deinde sequuntur oscula copulæ pro vita continuanda mundorum. Et è tribus his osculis descendunt animæ hominum.

10. Porrò sequuntur oscula prima imprægnationis pro cerebris.

11. Et postmodum oscula prima copulæ pro vita mundorum: atque hinc producuntur Angeli.

12. Hic igitur omnium est ordo secundum excellentiam suam.

Primò Oscula posteriora cerebrorum.

Secundò Oscula omnem copulam præcedentia.

Tertiò Oscula prima imprægnationis primæ.

Quartò Oscula secunda imprægnationis primæ.

Quintò Oscula secunda pro vita mundorum.

Sextò Oscula prima pro cerebris.

Septimò Oscula prima pro vita mundorum. Atque hic est ordo secundum excellentiam eorum, ubi è specie prima, tertia, quarta & quinta productæ sunt animæ hominum: è secunda autem, sexta & septima Angeli. Quoniam autem Angeli opus non habent ut revolvantur per copulam mutuam (*conf.* Matth. 22. v. 30.) hinc etiam non opus fuit, ut vestirentur corporibus, ut supra dictum. Atque sic expolita est productio animarum atque Angelorum, per copulam Patris & Matris.

13. Eodem autem modo res se habet in copula Microprosopi & Uxoris ejus: nec non in copula Jacobi cum Rachele: Idque in mundo Emanativo. Quali processus similis etiam observatur in mundo Creativo, Formativo atque Factivo. Hinc multæ inveniuntur species animarum atque Angelorum, qui gradibus plurimis ab invicem differunt.

14. Duæ tamen iterum occurrunt species: ita ut multæ animæ productæ quidem sint è copula mundi superni, sed deinde descenderint, aliæ quidem gradu uno, aliæ duobus: similesq; descensus animarum dantur plurimi per corruptionem suam facti. Dantur ergo quædam, quarum radix est sicut initio in illo nimirum loco, è quo prodierunt in mundum: aliæ autem radicem suam loco habent sublimiore, eo quod propter depravationem deorsum lapsæ sint atque exhinc prodierint. Quæ duæ species non sunt æquales: quoniam, si anima quæpiam radicem suam habeat in Emanatione, & descenderit in Factionem, illa per opera sua restitui potest, & ascendere, donec per copulam redeat in Emanationem, ibidemque uniatur durante adhuc vita sua: nec opus habeat revolvi creatione nova. Quod fieri potest per preces illas nocturnas, Psal. 31. v. 6. *In manus tuas commendo Spiritum meum*, quoniam tunc in sublime ascendit per copulam altiorem: atque inde iterum prodit creatione nova, donec ascendat usque ad radicem suam. Vel etiam ascendere potest interdiu per mysterium prolapsus in faciem, sicut notum est. Quicunque ergo per se sublimis est, & tantum descendit propter peccatum; ille, si vult, ascendere potest interdiu sub precibus matutinis tempore prolapsus in facies: quoniam tunc exercetur copula Jacobi cum Rachele Uxore ejus fundamentali, sicut notum est.

15. Ille autem, cujus radix humilis est, quique tantum per opera sua ascendere vult: ille ascendere non potest, nisi nocturno tempore tantum per preces: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Ubi fit copula Leæ & Jacobi. Istius enim elevatio tanta esse non potest, atque illius, qui prius jam sublimis fuit. In hoc tamen hæ animæ conveniunt, quod omnes possint ascendere de gradu in gradum usque in infinitum: modo attento corde meditentur, quod scriptum est Sectione Tasriah, ad locum illum Psal. 104. v. 24. *Omnia in sapientia fecisti.* Ubi intelligitur fundamentum sapientiæ. Elevatio tamen fit in fundamentum informationis: quia vox, *fecisti*, pertinet ad informationem & fundamentum informationis est id, quod res facit, quoniam manifestum est.

Collectaneum decimum quintum.

1.

JAmque explicabo nexum Magistri mei R. Jitzchak Lorjensis cum discipulis suis: & discipulorum inter se invicem. Scito igitur nullam esse animam, cui non sit vestimentum aliquod, quo vestiatur in hoc mundo. De quo vestimento mentio fit in Sohar sectione Mischpatim, ubi R. Jebah senex locum Exod. 21. v. 10. explicat.

2. Cum autem Josepho justo accideret illud, ut guttæ seminis ipsi prodirent è digitis manuum pedumque ejus, juxta illud Genes. 49. v. 24. *Et dispersa sunt semina manuum ejus*; hinc quia Joseph repræsentat fundamentum superius; eodem tempore etiam in supernis scintillæ animarum prodierunt è fundamento masculino: quæ non deductæ sunt intra fœminam: sed in vanum prodierunt, ita ut iisdem adhæserint cortices.

3. Et quia multæ sunt species fundamentorum in supernis, Joseph autem omnia illa repræsentat: hinc ex omnibus quoque prodierunt in vanum scintillæ animarum.

4. Jam igitur explicabimus fundamenta illa: quæ intelligenda sunt juxta naturam copularum. Primò enim est copula Jisræëlis sive Microprosopi cum Rachele: & hæc copula fit tempore matutino Sabbathi: item circa additamentum precum. Atque tunc

tunc Rachel extenditur juxta totam longitudinem Microprosopi ita ut revera cum ipso copuletur verum fundamentum Microprosopi ipsius.

5. Deinde datur copula Jisraëlis cum Leah diebus profestis, tempore sacrificii pomeridiani; ubi tamen non extenditur hæc, nisi usque ad medietatem supernam, nimirum usque ad pectus: atque tunc cum ipsa copulatur fundamentum ejus primum.

6. Deinde adhuc alia datur copula Jacobi cum Rachele, quæ sit tempore matutino dierum profestorum. Ubi cum ipsa copulatur verum fundamentum Microprosopi, quatenus consistit sub mysterio extremitatum: prout penes nos alibi deductum est tractatu de precibus.

7. Alia iterum datur copula Jacobi cum Leah sub precibus vespertinis dierum profestorum: quæ sit in medietate superna Jisraëlis, ubi alio utitur fundamento.

8. Alia porro datur copula post noctem mediam, Jacobi cum Leah: ubi hi extenduntur juxta totam longitudinem Microprosopi: atque tunc alio iterum utitur fundamento. Atque hæ sunt quinque species copularum: adeoque & quinque species fundamentorum. Illæ autem guttæ mysterium sunt vestimentorum pro animabus.

9. Præstantissima igitur inter has copula est ea, quæ sit inter Jisraëlem & Rachelem: cujus tamen duæ sunt species, quod in aliis copulis non reperitur. Et hæc in eo consistit, quod in fundamentum Jisraëlis verum, per quod copulantur Jisraël & Rachel, derivantur benignitates & severitates de cerebris matris, nec non de cerebris Patris: quoniam fundamentum Patris pertingit usque ad fundamentum Microprosopi ipsius, quo Josephus pertinet. Adeoque in eo sunt duæ notiones Patris & Matris. Decem ergo illæ severitates, quæ sunt quinque Paternæ, & quinque Maternæ, denotant decem illos martyres, ab Imperatoribus gentilibus occisos: quarum animæ vestitæ fuerunt guttis istis.

10. Quinque autem severitates Patris sunt R. Akiba; R. Schimeon Ben Gamliel; & R. Jeschebab, Scriba; & R. Jischmael filius Elischah; & R. Jehudah filius Babah. Videtur autem mihi hunc verum illorum esse ordinem: Quoniam R. Akibah, est severitas, quæ in benignitate: ipsumque sequitur R. Schimeon filius Gamliel, & cæteri.

11. Ne autem mireris, quod R. Akiba sit de radice rigoris, nempe Matre, vestis autem illius à Patre sit: nihil enim interest. Et sic quoque in cæteris. Nam in fundamento miscentur omnia: unde Josephus vicinitatem habuit cum omnibus tribus, quia est repræsentatio fundamenti.

12. Hæ vestes autem semper relinquuntur animabus istis, nec unquam ab ipsis separantur, ne quidem post resurrectionem. Eademque est ratio omnium vestium, quæ pertinent ad subsistentiam cæterarum quoque animarum.

13. Cæ-

13. Cæteri quinque martyres ab Imperatore occisi pertinent ad quinq; severitates matris. Et quia martyres isti pertinent ad severitates; ideò occidendi fuerunt: quoniam cortices adhærent severitatibus; & in specie guttis Gonorrhæalibus: & quidem duri admodum atque magni.

14. Decem autem benignitates sunt decem discipuli R. Schimeonis Jochaidæ super quo pax: qui sunt R. Elieser; R. Abbah &c. Et quia hi decem sunt benignitates Patris & Matris, hinc non opus fuit, ut occiderentur: quoniam cortices nullum hoc loco habent dominium, nec istuc aspirant. R. Schimeon filius Jochai autem p. m. est ipsum fundamentum, à quo prodierunt guttæ: ideoque venit eosdem informatum & restitutum.

15. Tres autem discipuli, qui assumti sunt atque mortui in Area magna, pertinent ad tres benignitates Matris manifestas: quæ sunt pulchritudo, victoria, & gloria. Sicut enim istæ ascendunt & sustolluntur, ut luceant superius: ita etiam elevati sunt tres isti discipuli, sursumque ascenderunt.

16. Penes istas benignitates igitur fundamentum datur atque doctor, nempe R. Schimeon Jochaides: sed penes severitates nullum reperimus Magistrum expresse, vel fundamentum: ubi quæritur, quare id factum non sit, cùm tamen Nechonjah filius Hakanah eosdem informaverit, quo elevarentur in vehiculum cœleste? Verum enim verò iste fundamentum non dici voluit: sed potiùs inquit: In severitatibus neminem nominari posse Magistrum, & multò minus fundamentum: cujus rationem jam tradidimus ad locum Psalm. 32. vers. 10. *Sperantem in Deminum benignitas circundabit.* Fundamentum Patris enim non consistit intra fundamentum Matris, eò quod hoc angustum nimis sit: ideoque illi foràs adstant, & ambiunt fundamentum. Unde patet, quod benignitates Patris & Matris consistant in fundamento unico nempe Matris: sed severitates separatæ sunt, quædam in fundamentum Patris, & quædam in fundamentum Matris. Et quia benignitates in uno fundamento colliguntur; hinc dici potest, hunc vel illum eorum esse Magistrum, qui hinc descendunt. In separatis autem non cognoscitur, quisnam illorum sit Magister: utrum nimirum fundamentum Patris, an verò fundamentum Matris. Et ego quidem aliquando Magistrum meum interrogabam, objiciendo: An ergò iis non tribui potuissent ambo fundamenta, adeoque duo Sapientes atque Doctores. Ipse tamen nihil tum respondere volebat.

17. Et quoniam isti socii ortum habebant à benignitatibus copulæ celsissimæ omnium; hinc iisdem manifestabantur omnia mysteria Legis, citra cruciatus & afflictiones ullas: quod non iterum eveniet usque ad generationem Messianam.

Pars Secunda.

1.

COpula secunda illa est, quæ istam sequitur secundum ordinem præstantiæ: est autem copula Jacobi & Rachelis. Et quia Rachel tunc non designat judicia: nec minus & Jaacob ortum habet è lumine cerebrorum Paternorum: hinc isto loco nonnisi benignitates & severitates Patris tantum extant. Atque his denotatur Academia Doctoris nostri R. Jehudah, qui Sanctus dicitur. Ita ut ille sit fundamentum: & discipuli ejus sint guttæ: qui sunt R. Chijah & Levi Bar Sisi, & Rabh, & similes.

2. Copula tertia, quæ hanc sequitur, est Jaacobi & Leæ post mediam noctem. Et quamvis Leah denotet judicia rigorosa: ista tamen post mediam noctem mitiora sunt. Adde, quod illa extendatur per totum Microprosopum: quod ita non sit, nequidem in copula præcedente Jaacobi & Rachelis. Atque istæ decem sunt quinque benignitates, & quinque severitates.

3. Et quoniam istæ duæ copulæ à fundamento Patris ortum habent: hinc isti, qui abinde descenderunt, non sunt occisi, sicuti descendentes à copula Jisraëlis cum Rachele.

4. Quoniam autem circa diluculum matutinum magis abundat misericordia; quia parum abest, quin hoc tempus jam vocetur dies: atque tunc Jaacobh & Leah alternatim copulantur; ubi duæ tantum prodeunt guttæ, quarum una continet quinque benignitates, & altera quinque severitates: hinc duæ hæ præstantiores sunt omnibus decem supradictis, quæ ortæ sunt à copula prima post mediam noctem: è quibus simul sumtis duodecim efficiuntur guttæ, inter quas duæ postremæ majores sunt prioribus decem. Et hæ duæ sunt condiscipuli nostri: quorum fundamentum est Doctor noster R. Jitzchak Lorjensis. Priores decem autem repræsentant collegium aliud, suntque alii discipuli Academiæ Magistri nostri. Antehac enim Jaacob & Leah copulati tantum fuerunt usque ad pectus Jisraëlis: post mediam noctem autem extenduntur usque ad finem. Unde vestigium primum prioris fundamenti copulæ ante mediam noctem factæ, non annihilatum est: quoniam Jaacob & Leah non redierunt in statum junctorum tergorum, nisi post mediam noctem: sed quoniam facies habuerunt junctas, extensæ sunt ad majorem celsitudinem: unde quod habuerunt primò, non est annihilatum.

5. Apparet igitur à copula ante mediam noctem facta etiam processisse duodecim guttas alias, exillo nimirum fundamento: quamvis non revera prodierint, nisi noctis medio elapso. Adde quod duodecim illæ viliores sint quàm duodecim priores quæ prodierant à copula ipsa extensorum usque ad finem.

6. Duæ autem illæ diluculi matutini è secta hac secunda jungi quidem potuerunt

runt cum duodecim prioribus; eò quod meliores essent, quam decem secundani. Et quoniam duo illi ortum habent è copula ante mediam noctem facta; hinc priores fuerunt in Schola Doctoris nostri.

7. Interrogavi autem Magistrum meum, quoniam duæ essent sectæ, quare etiam non duo essent fundamenta? Ille verò respondebat: Unum contineri in altero, ita ut fundamentum saltem sit unum: & noviss altissimum, utrum (Ipse) minimus, sit fundamentum secundum, an vero sit è duobus illis sublimioribus diluculi.

8. Copula quarta est Jisraëlis & Leæ constitutis à pectore & porrò deorsum. Unde benignitates ibidem non habent locum extendendi sese in brachium sinistrum: quare duæ saltem sunt guttæ. Et quia copula illa sit circa sacrificium pomeridianum, ubi judicia durissima dominantur; hinc istarum respectu, duo fratres occisi sunt Lyddæ, quorum excellentia magna fuit, eo quod prodiissent è copula Jisraëlis. Suntque Papus & Lulianus. Nullum autem ibidem est fundamentum: adeoque nullus ipsis fuit Magister.

9. Copula quinta est Jacobi & Leæ ante mediam noctem, ubi etiam judicia perfecta. Et hi sunt occisi in urbe Bither. Fundamentum autem ipsorum fuit R. Elieser Hammodai, qui etiam occisus est Bitheræ.

10. Differentia autem est inter omnes has guttas, & inter cæteras animas, eò quod reliquæ animæ ortum habeant ab illecebris fœmininis, cùm nimirum uxor ansam dat ad copulam, unde postmodum & maritus excitatur ad copulandum. Atque tunc, quoniam non ex proprio arbitrio excitatur ipse, sed fœmina eundem allicit: hinc cùm masculus guttam benignitatum & severitatum in ipsam intromittit, ista non prodit à cognitione ipsius: sed è sex ejus extremitatibus, postquam guttæ illuc jam sunt derivatæ atque extensæ.

11. Quæcunque autem guttæ prodeunt sine fœmina, eò quod ipse masculus copulari desideret cum uxore, sed eandem non invenit, eò quòd infra sit in mundo Creativo: tunc guttæ illæ in vanum prodeunt. Si quæ igitur animæ proveniunt è desiderio solius masculi, illæ multis modis præstantiores sunt, quoniam tunc non prodeunt nisi à benignitate & severitate ipsius cognitionis ejus, & quia non transeunt per sex ejus extremitates nisi transitu momentaneo: hinc excellentia earum multò major est omnibus animabus cæteris in infinitum quasi. Hæc omnia autem tantùm intelligenda sunt de mysterio vestimentorum. Et quia supradictæ animæ eorum omnium, quorum jam fecimus mentionem, hoc modo ab ipsa cognitione ejus prodierunt: hinc illis tributa sunt talia vestimenta, quæ sunt guttæ supradictæ: unde ipsis conficiuntur 248. membra, quibus anima talis superinvestitur.

12. In istis tamen guttis internum aliquid etiam est ab ipsis cerebris intra victoriam, gloriam, & fundamentum Patris vel Matris, vel Microprosopi, vel Jacobi detentis.

13. Porrò etiam guttæ dantur, quibus ineſt internum aliquid & externum ſimul: ſiquidem aliquæ proveniunt ab exteriori parte, nempe à veſte victoriæ & gloriæ Patris vel Matris, vel Microproſopi vel Jacobi.

14. Aliæ item dantur guttæ, quæ proveniunt à partibus internis ipſorum cerebrorum in victoria, gloria, & fundamento Patris & Matris contentorum &c.

15. Sed ſupradicti omnes ortum habuerunt à partibus internis cerebrorum ipſorum.

16. Datur tamen ſecta adhuc alia, qui ſunt ſeniores, nimirum R. Moſche Aſchich; & hi omnes ſunt è notione exteriorum, eque parte veſtimenti: quamvis & ipſi naturam habeant ipſarum guttarum ab ipſa cognitione provenientium, licet per partes veſtimenti ſaltem.

17. Porro & adhuc alia datur ſecta juvenum, qui correſpondent ſectæ ſecundæ noſtratium, qui ſtuduimus in Schola Doctoris noſtri, & hi ſunt de veſtibus illorum: ſecta autem Senum eſt de veſtibus noſtratibus.

18. Et quamvis dixerimus, magnum eſſe nexum inter omnes has guttas: idtamen omne intelligendum reſpectu guttæ veſtimentorum. Ipſæ vero animæ ſingulæ ſunt de radice propria: quamvis omnes ortæ ſint de notione cognitionis, modo quod non ſint nexæ ex una radice.

19. Omnes autem iſtæ guttæ in ſcriptis Prophetarum vocantur reliquiæ Iſraëlis, ut Jerem. 6. v. 9. cap. 31. v. 7. Jechesk. 9. v. 8. Mich. 2. v. 12. Aliquæ enim guttæ ſunt Iſraëlis & aliquæ ſunt Jacobi: & quæ ſunt Iſraëlis, vocantur reliquiæ Iſraëlis, ſicut ſcriptum eſt Zephan. 3. v. 13. *Et fiet, ut reliquiæ Iſraëlis nihil faciant perverſi.* Deinde etiam dantur reliquiæ Jacobi, ſicut ſcriptum eſt Mich. 5. v. 6. *Et reliquiæ Jacobi erunt ſicuti ros.*

20. Adeoque quinque ſunt ſpecies, de quibus ſupra, quarum reſpectu in ſcriptis Propheticis, in duobus verſiculis nomen reliquiarum quinquies reperitur.

21. Iſtæ autem guttæ noſtrates Jaacobi & Leæ poſt mediam noctem exortæ ultimę ſunt omnium, & prodierunt in mundum poſt quinq; illas ſpecies copularum ſupradictarum: quamvis id non conveniat ordini excellentiæ illarum, eò quòd in exilio hoc ultimo ſint. Iſtarum autem fit mentio in Prophetia Jeſaiæ, illoque loco, ubi agitur de onere Dumæ Jeſ. 21. v. 11. *Ad me clamat ex Seir.* Ubi intelligitur exilium hoc uſtimum. Notum enim, ubicunque reperitur vox לילה intelligi tempus poſt mediam noctem: & ubi occurrit לילין intelligi ante mediam noctem: Sicut dicitur in Sohar. Duæ autem ſectæ condiſcipulorum noſtrorum omnes ſunt è tempore poſt mediam noctem, quamvis pars una è priore parte meſonyctii matutini, & altera è poſteriore ejusdem parte ſit. Et iſtorum reſpectu ſchechinah ſeu gloria cohabitans dicitur ex ultimo hoc Exilio Seir & Edom, & dicere ad Deum Benedictum:

dictum: Cuſtos, quid eſt de לילה ſeu poſtrema parte noctis, id eſt, quid facies cum iſta ſecta, quæ eſt poſt mediam noctem, quæ vocatur לילה. Item, cuſtos, quid facies cum לילי, quæ eſt ſecta altera primæ nempe partis meſonyctii matutini, & prodiit circa ultimas partes temporis לילה ſeu meſonyctii veſpertini. Ubi reſpondet cuſtos: *Venit mane & nox:* Si quæritis quærite, & revertimini & venite. Ubi per Manè intelliguntur illi, qui nati ſunt circa diluculum matutinum: & per noctem illi, qui nati ſunt poſt meſonyctium, quod vocatur לילה. Et quia ambæ hæ ſectæ in mundum veniunt in generatione Meſſiana, hinc illos converti oportet vera converſione multisque precibus & jejuniis. Et hoc etiam indigitatur verbis illis: Mich. 5. verſ. 6. *Reliquum Jacobi.* In quem finem bis repetitur vox Reliqui, reſpectu duarum iſtarum ſectarum.

Collectaneum decimum ſextum.

1.

Magiſter meus piæ memoriæ nunquam occidebat pulices vel pediculos, nec ullum reptile vivens: eò quod ortum haberet è radice Kaini, qui occiderat hominem.

2. Item ob myſterium revolutionis ſuæ: quoniam antea fuerat circumciſor, per quem mortuus fuerat infans quidam. Unde cavendum eſt, (nobis, qui de hac radice ſumus) ne aliquid occidamus unquam: imò ne mactemus quidem aliquid.

3. Dicere etiam ſolebat, pediculos prognatos è ſudore hominis, præſertim hominum juſtorum, aliquid participare de myſterio hominis, & ejusdem eſſe ſcorias: atque exhinc fieri cortices ejus: Hinc non debere abhorrere hominem à pediculis ſuis; eò quod in hoc conſiſtat aliqua ejus melioratio, dum pediculi prodeunt è corpore ejus.

Collectaneum decimum ſeptimum.

1.

Dicere etiam ſolebat Magiſter meus: Bonum eſſe habitare in domo, cui multæ ſunt feneſtræ, ut ſemper quis omnique momento reſpicere queat cœlum? Præſertim ſi quis contempletur admiranda Dei in opere cœli & terræ juxta illud Pſal. 8. v. 4. *Quoniam videbo cœlos tuos.*

2. Id quod etiam ſic traditum eſt in Medraſch Haneelam, ad dictum illud Nebucadnezaris, ubi inquit Dan. 4. v. 31. *Se oculos ſuos in cœlum ſuſtuliſſe.* Id enim multam homini confert ſapientiam, timoremque, & ſanctitatem. Hinc valde conducit, omni tempore, hora, atque momento cœlum intueri.

Collectaneum decimum octavum.

1.

ID quoque dicebat Magister meus: Si homo quispiam in aliqua habitaverit domo, & ex eadem abeat aliò habitaturus loco: hunc in priori domo, è qua exierat, non iterum debere habitare, nisi exacto tempore integri septennii.

Collectaneum decimum nonum.

1.

PORro dicebat: Non esse bonum educare turtures vel pullos columbarum in domo quadam; inque domo, ubi hoc fiat, morituros liberos, nec residuum ei fore semen.

Collectaneum vigesimum.

1.

NEc debere hominem jurare per vitam animæ suæ juxta illud: *Qui non in vanum sumserit animam suam.* Psal. 24. v. 4.

Collectaneum vigesimum primum.

1.

SI homo scire velit, an habeat Psychen de mundo factivo vel Spiritum de mundo Formativo: ille claudat oculos suos, formetq; quatuor literas Tetragrammati coram se. Si istæ eidem videbuntur albæ & scintillantes admodum, de mundo Emanativo est. Si albo quidem colore sint, sed non scintillent admodum, de mundo Creativo est. Si colore sint rubeo, de formativo est: & si viridi, è factivo.

2. Ut etiam quis sciat, contra quam literam Tetragrammati potissimum peccaverit is pariter claudat oculos, & si aliquam illarum literarum coram se non satis & facile queat imaginatione sua efformare: contra illam literam peccavit.

3. Id quoque sciat homo; Si passus sit Gonorrhæam, & macula impuritatis illa falsem die agnoscatur, vestigium ejus perire: sin minus, non transire vestigium, donec submergatur, quò facto fortè transibit.

Collectaneum vigesimum secundum.

1.

SCito quatuor Elementa, Ignem, Aerem, Aquam, Terram, designare mysterium quatuor literarum Tetragrammati, sicut traditur in Sohar scil. Vaerah. Et ab istis omnia prodierunt creata singula nempe secundum Elementum in se prædominans.

2. Sunt

2. Sunt autem Tetragrammati duodecim Metatheses: & deinde extendi potest usque ad sexaginta myriades variationum; quæ singula etiam sic fiunt in Elementis secundum variationes illas & animæ à quatuor Elementis descendentes juxta singula membra sua habent Metatheses istas: unde animæ dividuntur in tot species, & in qualibet specie est persona integra usque in infinitum. Atque hinc fluit mysterium revolutionis.

Collectaneum vigesimum tertium.

1.

MAgister meus scintillans erat Mosis super quo pax. Degebat autem in urbe Zephas vir quidam semper adversans Magistro meo. Ad quem dicebat iste: Itane adhuc mihi adversaris? Atqui si vellem, efficerem, ut terra te deglutiret. Quamvis id non intendam, ut ulli hominum noceam.

2. Ubi Magistrum meum interrogabam enixius, quid hoc sibi vellet: mihique respondebat: virum illum esse revolutionem Korach; & venisse ut restitueretur, & à se discederet. Sed non velle eum, eò quod adhuc obnoxius sit naturæ suæ primæ rixosæ.

Collectaneum vigesimum quartum.

1.

PORro etiam interrogavi Magistrum meum, unde admirandam hanc sapientiam esset assecutus. Mihique respondebat: Se magno studio incubuisse lectioni libri Sohar septimanis pluribus: dictumque ipsi esse: se nondum rem assecutum. Ubi adhuc profundius studium hoc tractaverit.

2. Interrogavi autem porro: Annon & R. Moscheh Korduero, & ego ipse quoque his studiis invigilavimus: quare ergo non & nos eò usque pervenimus? Ubi respondebat: Nos quidem magnam quoque impendisse operam: non tamen parem sibi.

Collectaneum vigesimum quintum.

1.

ADam Protoplastes non assecutus est splendorem supernum usque ad mysterium animæ singularis. Quin potius etiam Psychen, Spiritum & Mentem perdidit, quos gradus postea accepit Chanoch.

2. Kain revolutus est 245 revolutionibus. Videtur autem per Jethronem restitutus esse.

3. Nachor frater Abrahami revolutus est in Achabo: unde hic etiam Idololatra erat, & nomen ipsi Achabi, i.e. frater Patris, quod frater esset Abrahami Patris nostri.

4. Adam Protoplastes revolutus est in Haran fratre Abrahami; nec tamen in eo restitutus est: quoniam hic non sustinebat combustionem suam corde integro. Nihilominus tamen comburi meruit pro sanctificatione Divini nominis.

5. Postea autem revolutus est in Aharon adjecto Aleph nomini priori: atque nec dum restitutus est: quoniam potius mortem sustinere debuisset, quam obedire plebi, fabricam

bricam vituli pro Idololatria exposcenti: quod tamen intermittebat, quoniam videbat, quod Chur jugulatus coram ipso jaceret.

6. Chur autem etiam revolutio erat Adami Protoplastæ. Adam enim veniebat in Nachor: jam verò Nachor veniebat in Chur & Haran in Aharon.

Tractatûs primi de Revolutionibus Pars tertia; quæ sunt *Revolutiones R. Missod cæci piæ memoriæ.*

Cap. I.

1.

AHaron Sacerdos revolutus est in Eli Sacerdote. Et quia supplicium Idololatræ est lapidatio: (seu præcipitium,) ideoque cervicem frangebat de sella prolapsus, (quæ est mors lapidationis præcipitio similis.)

2. Deinde autem revolvebatur in Esrah Scriba, qui etiam erat Sacerdos: atque ibid. restituebatur.

Cap. II.

1.

NAdab & Abihu scintilla erant Kaini: quoniam pars bona animæ Kaini erat in Abirone, reliquum autem in Jethrone erat. Et scintilla, quæ erat in Nadab & Abihu dividebatur in duas partes. Volebant autem participes fieri splendoris Schechinæ seu gloriæ cohabitantis ex invidia: quoniam in illis revivisebat invidia Kaini contra Hebelem: atque hinc prodibat ignis è fundamento Adami, & Scheth, quo denotatur Microprosopus; & comburebat animam eorum scintillis ignis, penetrantibus per nares illorum.

2. Duæ autem nares nasi Divini sunt Leah & Rachel. Et quia nolebant ducere uxores, adeoque diminuebant imaginem atque similitudinem Dei; hinc in nares ipsorum deferebantur duæ scintillæ ignis.

3. In Eliah quoque erant animæ Nadab & Abihu. Hinc de pelle arietis Jizchak Elias sibi faciebat cingulum coriaceum circa lumbos suos. עזרת autem & מתנים numeris æquipollent. (Pinchas autem est Elias.)

4. Sciendum enim, quod Nadab & Abihu fuerint duo cornua modo dicti arietis. Deinde veniebant in duos illos tauros unò ventre natos, & uno præsepi enutritos: atque sic per illos sanctificabatur nomen Dei, quia Elias illos sacrificabat. Porrò etiam impugnando fuerunt in Pinchaso: sed propter factum illud cum Jephthah commissum ab ipso fugiebant. Postmodum veniebant in Chophni & Pinchas, & occidebantur. Deinde iterum in duos filios Samuelis veniebant: & quoniam hi peccabant circa carnem, hinc porrò in duos corvos Eliæ veniebant, ibique restituebantur per carnem, quam Eliæ afferebant singulis diebus.

Cap.

Cap. III.

§. 1.

QUæ sequuntur, reperi in Manuscripto R. Schmuel Podulah p. m. verbis sequentibus. Audivi à Cabbalista sapientissimo atque Divino R. Jitzchak Germano explicationem istius dicti Ps. 140, v. 12. *Vir linguæ non stabilietur in terra* &c. Quod ut intelligatur, præmittendum, quod à Sapientibus nostris p. m. in Tractatu Kidduschim dictum est, quod nempe Elischa alter viderit linguam R. Chuzpith interpretis in ore porci: & propterea factus sit hæreticus. Quod quidem & alii majores & meliores ipso pariter viderunt, & tamen facti non sunt hæretici, quoniam iste hæresin jam habuerat animo conceptam. Dicit autem R. Jizchak: istud indigitatum esse in supradicto loco Scripturæ: quoniam nihil accidit in mundo, quod non suo modo in Lege divina adumbretur. Per virum igitur hunc linguosum, intelligitur R. Elischa alter; qui erat vir legis peritus, & linguam videbat, ori porci non convenientem, interim tamen non totus mundus in hæresin prolabebatur.

§. 2. Pergit autem textus: *Virum injustum ac ferocem mala capient ad expulsiones.* Ubi pariter intelligitur Elischa alter, qui jam sua natura malus erat; hinc expellebatur; non autem reliqui, quamvis idem vidissent.

Cap. IV.

§. 1.

TOtus humerus sinister est Kain: & humerus dexter est Hebel.

§. 2. Totus autem humerus habet ter mille pennas, mille majores, mille mediocres, & mille parvas: & in qualibet penna sunt 150. scintillæ seu radii animarum.

§. 3. Singulæ autem habent foveam, è qua prodit penna; ibique & sanguis reperitur. Et aliqua pars pennæ infixa latet; aliqua autem foras prominet implumis.

§. 4. Ala igitur Caini pertingit usque ad Psychen Emanativam, estque ala sinistra Regni Emanativi: & sic pariter & porro usque ad imum Factionis, omnes humeri sinistri huc pertinent.

§. 5. Penna autem præstantior semper est quam fovea, & sanguis: caulis item pennæ præstantior quam plumæ; & plumæ longæ præstantiores quam breves. Per breves enim intelliguntur infantes in infantia mortui.

§. 6. Ego Chajim autem ex illo pennarum numero sum, adquem pertinet Esra [alii legunt Asarjah] nimirum è mille illis pennis majoribus.

§. 7. Singulæ autem pennæ habent 150 scintillas, juxta numerum vocis תורה.

§. 8. Fovea autem pennæ meæ fuit Abbaja: & sanguis ejusdem fuit Rami Bar Chamah.

§. 9. Pars autem caulis carni infixa duo habet membra, unum cum sanguine, alterum sanguinis expers: quæ distinctio in parte foras prominente non occurrit.

§. 10. Pars autem sinistra fuit Samuel Propheta: dexteram autem non novi.

§. 11. Ulterior pars caulis prominentis implumis fuit Rex Jechiskiah.

§. 12. Deinde caulis dividitur inter plumas in duas partes, quarum singulæ suas sustentant plumas.

§. 13. Una autem de plumis sinistris ego sum: & sustentator meus fuit R. Akibah. Et de hac ala etiam erat R. Joseph Caro; nec non frater meus Moschch.

§. 14. Omnis autem notio hæc pertinet ad notiones lucis internæ Psyches Emanativæ: & sic etiam in tribus mundis inferioribus.

§. 15. Sed Nadab & Abihu erant de luce ambiente Psyches Emanativæ. Alibi enim jam diximus, quod Kain & Hebel acceperint Psychen Emanativam.

§. 16. Et quamvis omnes mundi sibi invicem sint innexi, ita ut alter alterius sit Thronus: attamen notiones dantur, quæ ulteriorem gradum restitutionis non assequuntur, quàm Psychen Factivam tantum: cum alii mereantur ascendere usque ad Emanativum. Quod ipsum tamen non reperitur nisi in specie Kaini & Hebelis. Istæ enim quia vocantur animæ quadantenus novæ, ascendere possunt usque ad Psychen Emanativam, nec tamen ultra. Cæteræ autem radices animarum veterum non pertingunt usq; ad Emanationem: & utinam saltem ad Creationem usque pervenirent.

§. 17. Nihilominus & inter Kainiticas quædam tantum ascendunt usq; ad Creationem vel inferius, sicut radices veteres.

§. 18. Alia tamen adhuc datur notio ipsius nempe portionis Adami, quam hæreditariò tradidit Kaino: in illa est affectio omnium mundorum à Psyche Factiva usq; ad Psychen Emanativam. Quicunque ergo à notione hac secunda descendit, magnus nodum est excellentiæ, quoniam prima statim vice, qua in mundum venit, restituipotest usque ad Psychen Emanativam, & simul tota radix ejus ad hanc notionem pertinet secundam. Duæ enim sunt notiones, lux interna & ambiens. Et Elias erat de luce interna ejusdem, & tota radix ejus de luce hac interna erat. Et quia pertingere possunt, usq; ad Emanationem, hinc vocantur Angeli. Quapropter & Elias p. m. vocatur Angelus. Duo etiam filii R. Chijæ Jehudah & Jechiskia Angelis ministrantibus similes dicuntur, erantque è notione & radice supradicta. Penna autem istorum, Jehudæ nempe & Jechiskiæ major erat, quam penna R. Akibæ; & R. Jehudæ Bar Illaha, unde hi illorum erant discipuli. Ubicunque autem aliquis cognominatur Angeli titulo è Sapientibus, is certè est de radice hac. Unde etiam de Pinchaso, qui erat unus exploratorum primorum, dicitur Jes. 2. v. 4. *Et occultabat eum:* quoniam erat Angelus, sicut dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ.

§. 19. Ut autem redeamus ad propositum, Kain semper denotat brachium sinistrum in omnibus mundis, sive in Macroprosopo, sive in Patre, sive in Matre, usque ad mundum Factionis. E regione autem Hebel est brachium dextrum, & in omnibus quidem mundis inferioribus locum habet brachiorum nomen: in Emanativo autem alarum nomen obtinet. In alis autem præter pennas etiam est caro, vasa & ossa. Radix autem mea è vasis est alæ sinistræ, quoad mundos inferiores: sed in Emanatione in ipsis quoque

quoque pennis partem habeo, ut dictum supra. Et hæc ala ad Psychen tantum pertinet Emanativam i. e. ad regnum ejusdem mundi. Ulterius autem aspirare impossibile est, usque ad revolutionem secundam.

§. 20. Chanoch autem, quia accipiebat splendorem supernum i. e. mentem supernam, fiebat Angelus, & quidem excellentior quam Elias. Quicunque enim est de notione Emanativa, ascendere potest usque ad gradum Angelicum.

§. 21. Ala autem sinistra ter mille habet pennas, ut dictum est, in quarum singulis 150 sunt animæ: & iste est numerus animarum radicis meæ. Et numerus iste 150 desumtus est à litera initiali & finali nominis קין.

§. 22. Sed ala Hebelis aliter dividitur: ita ut quælibet penna habeat quinque partes, & quælibet pars contineat 32 portiones, ita ut nomen הבל idem sit, ac quinquies 32, quæ efficiunt 160, juxta numerum vocis קין. Sed pennæ Kaini singulæ dividuntur per se.

§. 23. Magna tamen est Kaini prærogativa præ Hebele, quoniam severitates Matris; (i. e. severitates Senis insertæ Macroprosopo, unde prodit Mater,) multo tempore manifestantur ante benignitates: prout & semper manifestæ manent; unde qui de hac radice est Kainitica, & hac ejus notione, de gradu in gradum, & de severitate in severitatem, ascendere potest usque ad illas severitates Senis decrepiti, ut abhinc hauriat influxum. Quod fieri non potest ab illis, qui sunt de genere Hebelis: quippe qui provenit è benignitatibus contectis semper, nec unquam tam manifestò prodeuntibus. Et huc pertinet illud, quod R. Akibæ plus sit manifestatum, quam Mosi Magistro nostro super quo pax. Unde & Moses dicebat ad Dominum: Talem hominem in mundo habes, & legem per me promulgare vis. Unde R. Akiba plura assequi potuit, quam Moses. Atque hinc etiam intelligi potest, quare dictum sit: Mosen invenisse Deum, nectentem coronas literis. Quoniam illi, qui sunt de radice Hebelis, ulterius scandere non possunt, quam ad coronas literarum: i. e. apices: cùm radix Kaini pertingere queat usque ad accentus, & altius. Quamvis Moses postmodum ista similiter assecutus sit, per opera sua fortia.

§. 24. Porrò & alia est ratio istius prærogativæ, quia qui Kainiticæ sunt radicis, proveniunt à largitione intellectus superna: cùm Hebelitici tantum descendant à benignitate & severitate Patris. Mater autem usque ad pectus Microprosopi unum tantum habet tegumentum: unde lux abinde prodiens magna est admodum: & anima abhinc influxum sibi assugens, magna luce frui potest. Pater autem contectus est duobus tegumentis usque ad pectus. Infra pectus autem mater aperta est penitus, & Pater uno tectus velamine. Unde animæ quæ sunt à severitatibus vel benignitatibus manifestis semper præstantiores sunt, quam quæ sunt è loco contecto: quamvis istæ ratione loci sint altiores. Et hic est sensus dicti illius Talmudici: Mundum vidi inversum.

§. 25. Adhuc alia suppetit ratio istius casus: quod nempe Sapientia non aliâ luceat viâ, nisi per benignitates & severitates informationis: quare qui hinc descendunt, majores sunt.

§. 26. Adhuc alia ratio hæc est, quod severitas prior prodeat per fundamentum: unde etiam Kain primogenitus erat; juxta sensum dicti illius: *Mulier fortis corona mariti sui*, Prov. 12, 4.

§. 27. Tempore autem futuro omnes radices Kaini Sacerdotes erunt: ita ut quicunque hactenus fuerunt Levitæ sub specie severitatum, qualis, exempli gratia, erat Korach, qui etiam ortum habebat de Radice Kaini: omnes, inquam, potientur primogenitura, quod est Sacerdotium. Et huc pertinet illud Ezechielis: *Et Sacerdotes Levitæ filii Zadek* &c. Quod nullibi extat, nisi apud Ezechielem. Hic enim, quia etiam de hac radice erat, hoc vaticinium protulit.

Cap. V.

§. 1.

De nexu, quem ego habeo cum reliquis discipulis Doctoris nostri, adhuc observanda sunt sequentia, ubi primo repetimus: quod in Adamo Protoplaste comprehensæ fuerint omnes animæ: quodque propter lapsum ejus multa ab ipso deciderint membra, & statuta ejus sit diminuta: quia nempe animæ multæ descenderunt in profundum corticum. Aliquæ autem remanserunt in eo: quod est mysterium centum cubitorum.

§. 2. Porrò etiam quædam animæ planè sunt novæ, quæ non venerunt in mundum, comprehensæ in Adamo Protoplaste: & hæ revera dicuntur novæ.

§. 3. Postmodum aliæ quoque sunt animæ in Adamo relictæ, quæ etiam vocantur novæ: non tamen ita ut priores. Et quando istæ animæ prima vice veniunt in revolutionem post mortem Adami, qua separatæ sunt ab eo; tunc etiam vocantur novæ. Ratio autem, quare prima Adami creatio non repetetur pro adventu primo, hæc est: quia formatio ejusdem fiebat per mysterium junctorum tergorum: unde tum demum adventus esse judicatur, cum veniunt per mysterium junctarum facierum: atque tunc venire dicuntur vice prima. Quod si verò talis anima post mortem Adami non veniret mercatur, nisi similiter per mysterium junctorum tergorum: nihilominus tamen adventus iste æstimatur pro primo, quamvis non fiat per junctas facies: eo quod veniant post mortem Adami.

§. 4. Deinde sunt Kain & Hebel: qui prodierunt ab illis scintillis, quæ remanserunt in Adamo, & quas iste hæreditariò tradidit Kaino & Hebeli. Ubi nec iste adventus reputatur pro primo. Sed post Kainum & Hebelem omnes illæ scintillæ venientes in mundum, quamvis id fiat junctis tergis, prima vice venire dicuntur: ita ut & hæ vocentur animæ novæ. Quotiescunque autem vicibus sequentibus adveniunt, toties dicuntur revolvi. Quamvis enim Adam easdem tradiderit Kaino & Hebeli, id tamen non habetur pro adventu per se: quia non sunt mortuæ, & postmodum iterum natæ: sed

sed Adam adhuc vivus easdem istis suis filiis tradidit. Nihilominus tamen multò sunt viliores, quam eæ, quas Adam ipse retinuit: quippe quæ recentiores sunt.

§. 5. Quæcunque autem ab Adamo deciderunt in cortices, istæ primo suo adventu in mundum vocantur revolutæ: similesque sunt Adami residuis, vel Kainiticis & Hebelicis, secunda vice venientibus.

§. 6. Deinde quoque dantur animæ in Proselytos venientes.

§. 7. Omnes autem animarum species in cortices descenderunt præter illas, quæ planè novæ dicuntur.

§. 8. Animæ autē Adami uno tantum laborant vitio ex lapsu nempe ipsius Adami. Sed Kainiticæ & Hebelicæ duobus laborant vitiis; uno ob lapsum Adami; & altero ob lapsum Kaini & Hebelis.

§. 9. Quandocunque igitur animæ hæ de profundo corticum exeunt ingressuræ in mundum, commorandum ipsis est per tempus aliquod in regno, ut à corticibus istis, situque ibidem contracto purificentur. Quo dignior autem est anima, eò diutius ibidem degere potest; quod fit ordine sequenti. Nam quæ planè novæ sunt, ibidem morantur menses duodecim in utero nimirum, ut ita dicam, regni: & postmodum in mundum veniunt. Et huc pertinet, quod in Gemara dicitur, de partu duodecimestri.

§. 10. Species secunda est illorum, quæ manserunt in Adamo: quæque & ipsæ vocantur novæ, quamvis non ut primæ. Hinc in utero Regni non diutius manent conceptæ, quàm novem menses tantùm: atque tunc descendunt in mundum.

§. 11. Species tertia est Kainiticarum & Hebelicarum, quæ ob vitium suum singulare non gestantur in utero hoc, nisi septem menses.

§. 12. Species quarta est reliquarum animarum ab Adamo deciduarum, quamvis primo adventu accedant. Vel etiam reliquarum animarum supradictarum, cum jam semel in mundo fuerunt: quoniam hæ omnes vocantur revolutæ. Istæ omnes non diutius in hoc utero morantur, quam quadraginta diebus, juxta tempus, quo formatur fœtus: atque tunc veniunt in mundum.

§. 13. Quinta species continet animas Proselytorum, quæ per triduum saltem in utero hoc tolerantur, juxta tempus, quo coagulatur semen.

§. 14. Juxta tempus igitur moræ illius in Regno, majori potiuntur vel minori lamine; & à corticibus magis vel minus emundantur.

§. 15. Id quoque observandum: omnes has animas nullò è corticibus prodire modo alio, nisi per preces Jisraëlitarum, quæ dicuntur aquæ femininæ: vel per observationem alicujus præcepti, sive actum quendam unitivum justi cujusdam hoc in mundo.

§. 16. Dehinc quædam etiam dantur animæ, quæ sive per aliquod vitium in mundo exortum, sive per culpam propriam, quam commiserunt in mundo, iterum delabuntur atque descendunt in cortices. Si igitur eodem tempore anima quædam è corticibus prodeat, commoratura in Regno, hæc facultatem habet, vitiatas illas animas detinendi, antequam in cortices decidant, easdemque restituendi suo loco, sursumque redu-

reducendi in Regnum, ut ibi simul sustineant statum fœturæ, cumque ea restituantur: ita ut postmodum simul in mundum prodeant. Hoc autem ex eo fit, quod anima talis in utero Regni existens, ibidem semper elevet aquas fœmininas; virtute quarum elevare quoque potest alteram illam animam. Quod tamen fieri nequit, nisi anima hæc elevans alteri illi communicet Spiritum quendam, qui in illa habitet. Et per Spiritum istum, sive communicatam hanc vim, reassumta hæc anima vestitur atque restituitur: atque hic Spiritus connexus semper cum ipsa manet usque ad tempus resurrectionis mortuorum: atque tunc ab invicem discedunt.

§. 17. Porrò sciendum, quod si anima elevans de illarum genere sit, quæ duodecim mensibus utero gestantur, etiam alteram hanc animam (sive ad speciem novem, sive septem mensium, sive quadraginta, sive trium dierum pertineat,) duodecim menses pariter ibidem detineri. Quod etiam fit, si elevans illa sit è septimestribus, vel etiam vice versa, si anima elevans tantum sit de septimestribus; elevata autem novimestris; tunc ambæ per novem menses ibi morantur.

§. 18. Jam condiscipuli mei omnes pertinent ad genus illarum revolutarum, quibus quadraginta dierum in utero mora est. Ego Chajim autem anima nova sum, de soecie Kaini & Hebelis, prima vice in mundum veniens: ita ut tempus meum fuerit septimestre. Unde patet, quod in omnibus condiscipulis meis aliquid Spiritus mei sit immixtum, omnesque per me influxum habeant: & Spiritus meus communionem habeat cum Spiritibus illis cuilibet communicatis: quare studendum mihi est, ut eos restituam: quia hoc ipso propriam meam animam in illis existentem restituo, ut paulo post dicam plenius.

§. 19. Ego tamen dubito, prout & Magister meus, annon revolutæ illæ sint de specie ipsarum Adamicarum vicibus tantum ulterioribus retrogressarum; quæque ob radicem suam primam novimestrium naturam habent, quo casu, quamvis anima mea sit septimestris: ambæ tamen morarentur in utero illo novem menses. Non detinui tamen omnes simul in cortices delapsuras: sed primò detinui & servavi animam unam; quæ deinde adjumentum mihi fuit, ut servaverim animam quoque aliam: ita ut anima hæc secunda duos habeat Spiritus, unum à me, & alterum ab anima illa prima, quam ego solus elevavi; & sic porrò usque ad finem: ita ut anima decima unum habeat Spiritum à me, & unum à singulis novem condiscipulis ipsa prioribus. Ordinem autem illarum non novi.

§. 20. Secundum illum autem ordinem, quem observabat Magister meus, cum illos altera vice vocaret, ita procedimus; Ego exiguus: & postmodum R. Jitzchaci Serug: postea R. Jitzchak Ammon: porro R. Jitzchak Sacerdos: reliquorum ordinem nescio.

§. 21. Ne objicias autem, quod me præposuerim illis: cum tamen R. Jitzchak Ammon annis major sit me, & aliis sociis: quamvis enim ego eos præcedam quoad hanc uteri moram: quoad adventum tamen in mundum illi me possunt esse priores.

§. 22. Et

§. 22. Et huc pertinet illud, quod dicit Elischa 2. Reg. 3, v. 14. *Vivit Dominus exercituum, coram quo ego consisti.* Dantur enim animæ quædam, quæ finito tempore fœturæ Regni statim descendunt in mundum hunc: aliæ autem descendunt in mundum Creationis, ibique consistunt ministrantes coram Deo Benedicto ad instar Angelorum, usque ad tempus definitum, vel donec contingat orationem quandam, vel bonum aliquod opus, vel alicujus præcepti observationem ab homine quodam fieri: atque tunc statim descendunt in mundum hunc.

§. 23. Aliæ porrò etiam permanent in mundo Formativo: nec non quædam & in Factivo, quamvis omnes prodeant è Regno Emanativo. Quæ omnia tamen dependent ab operibus hominum in hoc mundo.

§. 24. Fiunt enim preces, per quas anima non potest elevari in uterum Regni. Et aliæ dantur preces majori intentione peractæ, adeoque acceptæ coram Deo, ut per illas talis anima deduci possit in hunc mundum. Sicut aliæ quoque eandem deducere saltem queunt in mundum creativum, & similes. Quod non dependet ab ipso animarum genere; sed ab operatione inferiorum cum ista anima cognatorum.

§. 25. Adeoque homo secundum opus suum, quod peragit, derivare potest in filium suum animam quandam, quæ sibi suæque radici admodum sit propinqua: ubi deinde altera illa anima tamdiu ibi manet, donec inveniat redemtorem magis sibi cognatum. Quæ omnia non dependent à majore vel minore gradu ipsius animæ, vel à majore vel minore mora in utero facienda.

§. 26. Si igitur anima quædam statim, postquam pronascitur è regno Emanativo in mundum hunc descendit, citra impedimentum alterius cujusdam mundi ibique factæ detentionis, illa sanè magnum habet emolumentum: quoniam non vestitur ulla veste hujus vel illius mundi: sed per illos nudè transit. Sed quæcunque moram trahit alicubi, illa in quolibet mundo, ubi detinetur, peculiarem accipit vestem, descenditque pluribus induta vestibus.

§. 27. Non tamen similis est detentio in mundo Creativo facta, illi quæ facta est in mundo Formativo: quoniam vestis Creativa admodum est tenuis. Omnia tamen in singulis fiunt secundum speciem cuilibet animæ propriam; quia interdum anima quædam, quæ detinetur & vestitur in mundo quodam, excellentior est, quam alia, quæ unico descendit momento in mundum hunc, absque omni veste aliena: quoniam præstantia illius detentæ per se major est, quam hujus. Interior ipse casus per se differentiam quandam infert: quoniam anima unico momento descendens, multo est luminosior, quam alia in aliquo mundorum detenta. Atque hinc intelligi potest illud: *Vivit Dominus, coram quo consisti.* Quoniam Elischa bonæ memoriæ detentus erat in mundo Creativo sub egressum suum ex imprægnatione Regni Emanativi: ibique ministraverat coram Domino Benedicto, sicut Angeli ministerii. Id quod etiam indigitatur in Sohar sectione Achare Moth fol. 88. ad hunc locum.

§. 28. Ani-

§. 28. Anima autem mea non statim descendit post egressum ex utero superno: sed impedita est in supernis alicubi: nescio tamen, quo loco detenta fuerit.

§. 29. Ut autem redeamus ad rem propositam, quod nempe ego restituere teneor condiscipulos meos, notandum per opera quidem illorum disponi ista; per opera autem mea illos nihil habere emolumenti: quoniam spiritus meus in illis est, & mihi enascitur lucrum, si ipsi sint justi. Operibus autem meis illi nihil juvantur, quia illi Spiritum nullum in me habent. Unde quæcunque præcepta illi observant, illorum & ego fio particeps, mediante illo Spiritu meo, qui in ipsis est.

§. 30. Quod ut rectius intelligatur, sciendum, nullum dari in mundo justum, qui non duas habeat animas: sicut dicitur in Schar sectione Noach ad loca: Noach; Noach: Moscheh; Moscheh: Schmuel; Schmuel. Quorum sensus hic est: quod nempe animæ quædam dentur internæ, quæ cum homine nascuntur in mundum; & aliæ animæ tantum sunt ambientes alteram illam super caput hominis, quæ in supernis sunt, in mundo quodam superiore. Et hoc notorium est, quod homo superius habeat talem animam. Quod si igitur peccet homo iste, hoc ipso efficitur, ut anima ejus gradatim descendat intra cortices, donec tota eodem pervenerit, quæ omnia sic fiunt juxta naturam peccatorum: atque tunc anima ejus ambiens in interiora istius hominis descendit: unde patet, quod utraque harum animarum de gradu suo descendat: adeoque talis homo unam tantum habeat animam, eo quod prior illa descenderit in cortices. Cum è contrario justus utramque retineat, unam ambientem, & alteram internam. Unde intelligi poterit, quod in Sohar dicitur ad locum illum: Noach; Noach &c. In impio autem una tantum est anima; eò quod altera descendit in cortices. Quod innuit Scriptura dicendo Ex. 12, v. 15. *Anima autem illa exterminabitur.* Exscinditur enim intrando in cortices.

§. 31. Juxta mysterium igitur hoc, ambientis nimirum animæ meæ, omne lumen influxus derivatur in condiscipulos meos, mediante illo Spiritu meo in ipsis existente: omnia enim hac via transeunt. Porro autem ab illo lumine in eos derivato, hac via in me quoque derivatur aliquid ab illorum portione, & deducitur in animam meam internam. Unde ego teneor eosdem restituere, eosque erudire. Anima autem mea interna nullam cum ipsis habet participationem: nec illi ab operibus meis quicquam participant. Sed hæc omnia intelligenda tantum sunt de ipsis animabus omnium meorum sociorum: de nexu enim Magistri mei cum discipulis suis, & discipulorum inter se, dictum est alibi.

Tractatus primi de Revolutionibus Pars Quarta.

Cap. I.

§. 1.

Pro meliori intellectu revolutionum, nec non vituli à Jisraelitis in deserto facti, sciendum, quatuor esse rerum genera in mundo hoc sublunari, nempe Silens seu inanimatum; Vegetabile; Vivens seu Animal; & Loquens seu homo: quorum ordo juxta gradus suos iste est, quem hic posuimus.

§. 2. Jam igitur nihil in mundo est, ne quidem inter Silentia, v. gr. pulvis terræ atque lapides, cui non sit vita quædam, & natura Spiritualis, & planeta suus atque præfectus in supernis. Quod nisi foret, terra non produceret semina, atque gramina.

§. 3. Vita autem Vegetabilium sublimior est illâ, quia ocularitèr videmus, eadem vegetari & crescere ad instar hominum: cujus causa est vita illorum intrinseca.

§. 4. Porro vita viventium adhuc sublimior est: hominum autem adeoque loquentium vita summa est omnium.

§. 5. Porrò etiam jam dictum est alibi, nihil esse inter creata, quod non prodierit de expurgatione septem Regum: è quibus quod præstantissimum fuit, ad mundum Emanativum; quod paulo inferius, ad Creativum; quod adhuc vilius, in Formativum; quod adhuc deterius in Factivum; & omnium deterrimum ad cortices assumtum fuerit. In mundo autem Factivo quatuor illa genera sunt, Silentis, Vegetantis, Viventis, atque Loquentis; inter quæ homo præstantissimus est omnium: qui etiam, si bonis operibus studuerit, ascendere potest usque ad gradum Angeli.

§. 6. Hoc enim est mysterium selectionum, ut elevetur primò gradu uno; atque dehinc ascendat in gradum sublimiorem; & sic porrò sicut diximus Tractatu de Meditatione super cibis. Quod nimirum homo naturas Silentes reducere queat ad illum gradum, ut inde fiant partes hominis: quæ porrò si probus sit, ulterius ab ipso promoveri possunt, usque in gradum Angelicum; ita ut selectio semper sequatur selectionem, & purificatio purificationem usque ad gradum excelsum admodum.

§. 7. Id igitur justi præstare valent, ut etiam cibos suos restituant, & secernant ab iis, quicquid est immundum atque obscurum, donec illos elevent è genere Silentis, usque in statum hominis perfecti. Improbi autem contrarium planè efficiunt, quippe qui humanam quoque naturam demittunt usque in naturam Silentium. Prout & impii dantur, qui peccatis suis causa sunt, ut post mortem suam revolvantur in animal quoddam loquela carens, eò quod eidem fuerint similes: atque isti sunt gradu tertio.

§. 8. Idiotæ autem plebeji ne unicum quidem gradum restituere possunt. Interim prohiberi eidem non potest, quin aliqua comedat, præsertim vegetabilia: quia hoc ipso non usque adeo culposus est, interim vetitum ipsi sit, manducare carnem, quia ne unicum quidem gradum elevare potest.

§. 9. Discipuli autem Sapientum, qui legis quidem periti sunt, nec tamen Cabbalæ studium exercent, elevare possunt gradum unum; Vivens nimirum in hominem. Qui verò admirandi sunt in Sapientia Veritatis, elevare possunt vel ipsum Silens in hominem: ita ut hac ratione ab homine restitui queant omnia ista genera.

§. 10. Quod si verò homo quidam revolutus deveniat in manus cujusdam, qui eum restituere nequit; v. g. si revolutus quidam in animal, comedatur ab Idiota plebejo & illiterato; vel revolutus in vegetabile quoddam, à literato Sapientia veritatis destituto: tunc magno istos damno afficere potest, ita ut eosdem seducat in omnibus viis suis, eosque impediat ab omni observatione præceptorum. Et hinc intelligi potest mysterium illud, quod multi inveniantur justi, in quibus opera quædam mala deprehenduntur, quæ corrigere & intermittere non valent: cujus ratio est, quod in illos devenit revolutus quidam, qui solitus sit idem peccatum committere, qui & in hunc eandem deduxit consuetudinem.

§. 11. Quandoque etiam accidit, ut in uno homine multi tales revolvantur simul, quod Deus avertat.

§. 12. Hinc quoque intelligi potest, quod in Gemara occurrit, de R. Chasda, qui dixerit: Ego nec in paupertate, nec in opulentia mea comedi olera: pro eo enim, quod ventrem meum implerem oleribus, carnes comedi atque pisces. Quæ verba primo intuitu absurda videntur, eo quod hoc non deceat nisi gulones: quid igitur opus fuit, futilia hæc inserere Gemaræ? Verum enim verò profundum quoddam in hoc latet mysterium, nec nudo sensu literali intelligendum est. Sensus autem hic est: quod nemo dicatur pauper nisi ratione legis atque præceptorum. Cum ergo hic inquit: Nec in paupertate mea; idem vult, quasi diceret; antequam factus sum discipulus Sapientum, adeoque dum essem in paupertate Legis. Nec in opulentia mea, i. e. postquam ad Sapientiam Legis admissus sum, comedere nolui olera, id est, naturas Vegetabiles. Ratio hæc est, quia cum adhuc esset illiteratus, tum sane non potuit quicquam elevare, è Silenti in Vegetabile, multo minus è Vegetabili in hominem, imò adhuc minus comedere potuit carnem, quod illiterato prohibitum est. In opulentia autem, cum nempe factus esset Sapientum discipulus, adeoque elevare potuisset duos gradus, v. g. Vegetabile in hominem: tantum impendere noluit laborem, ut olera comederet, duosque restitueret gradus simul: eo quod magno ad hoc opus sit conatu. Atque hinc comedit carnem, ut nempe facillimè restituere posset gradum unum. Quare id dicere voluit: Implere ventrem oleribus, magnam requirit operam atque conatum, & parum præbet emolumenti: præstat ergo carnem comedere, ubi facili negotio restituere possum revolutos quam plurimos in illo gradu. Atque hinc intelligi quoque potest, qua ratione, ea quæ dixerunt Sapientes nostri: quamvis videantur futilia & inania, profundiorem tamen habeant sensum, opusque habeant studio: eo quod talia saltem quasi corpus Legis sint nec nudo sensu literali intelligenda; sed omnia veritatem in se habeant.

§. 13. Porrò sciendum, multas dari species revolutionum in mundo, ita ut vix unus reperiatur, qui iisdem non sit subjectus. Ratio autem est, quod quilibet pro ratione peccatorum suorum, suas patiatur revolutiones.

§. 14. Id quoque sciendum, quod impii post mortem suam puniantur Gehenna, atque sic expientur. Justi autem atque pii & Sapientes in Gehennam ingredi non possunt: ut docet exemplum Elischæ alterius: hinc necesse est, ut revolvantur in hoc mundo pro abolendo hoc vel illo peccato.

§. 15. Sciendum & hoc, quod justus ascendere quidem possit per gradus, non tamen æquales. Quia primò (certo quodam pœnarum genere) aboletur aliquantula pars peccatorum ejus, atque tunc illi datur gradus unus. Siq; elevare eundem volunt gradu adhuc alio sublimiore, iterum puniunt eum, ut expoliant peccata ejus, etiam minima; quò eundem extollere queant in gradum secundum. Atque sic eodem modo peccatilla quoque ejus, vel pilii instar tenuia quam accuratissimè puniuntur, ut adhuc gradu uno ulteriore, & sic porro in gradum suum debitum elevari queat. Quæ ulteriori deductione non opus habent.

§. 16. Postquam igitur è vivis excessit homo propter peccata sua, pœnas sustinet multis in locis: & pauci sunt homines, qui evitare queunt, ne revolvantur in animal quoddam, vel bestiam, vel avem, vel inanimatum quoddam, vel vegetabile aliquod; & sic similiter in aliquam mundi creaturam. Qua ratione quilibet pœnam suam sustinere cogitur, quoad corpus & quoad Psychen: quoniam in statum corporeum deducendus est, ut sentire queat dolores illos commeritos. Et omnia quidem pro natura peccatorum. Quare etiam discipuli Sapientum atque justi quandoque revolvendi sunt eodem modo propter peccatum aliquod ab ipsis admissum, vel simile quid.

§. 17. Nec satis est hoc, quin etiam postquam multos annos jam quieverunt in mundo futuro, & ulterius elevandi sunt; ad supplicia reducuntur vice altera, ut dictum supra: adeoque revolvuntur modis supradictis, si adhuc species quasdam peccatorum in se habeant, quæ hanc pœnam requirant. Sicut dictum est de illis, qui rem habent cum uxore sub luce, qui revolvendi sunt in capro. Nec prolixius his immorabimur, quia secreta sunt Dei judicia, [Confer. Roman. 11, v. 33.] oculi autem nostri carnales sunt, atque occlusi.

§. 18. Justi autem præcellentes, quales fuerunt Daniel, & David Rex super quo pax, læto hoc afficiendi fuerunt nuntio, quod quieturi sint in mundo venturo, nec opus habeant revolvi, Sicut dicitur Dan. 12. v. 13: *Tu autem Daniel vade in finem, & requiesce.* Et Davidi dicitur 1. Samuel. 25. v. 29. *Et erit Psyche Domini mei ligata in fasciculo viventium.* Nihilominus reperimus, quod David id metuerit, istoq; timore multum indoluerit per totam vitam suam, sicut dicit Ps. 27. v. 13. *Vix credo, me visurum bonitatem Domini in terra viventium.* Quanto magis id metuendum est hominibus exteris.

Et nihilominus in Gemara reperimus, quod David septem annos consederit post mortem suam, nec intrare potuerit in adyta sublimiora: quæ prolixius diduci nequeunt hoc loco, ubi studendum brevitati.

§. 19. Porrò sciendum, cum qui Magistratus gerit officium, animum q; superbia extollit super populum, revolvi in Ape (Hebr. דְּבוֹרָה) unde Talmudistæ dicunt: Deboram Prophetissam superbam fuisse, quod miserit & ad se vocaverit Barakum: nec ipsa ad eundem abierit. Quod etiam fecisse legimus Chuldam Prophetissam, quæ dicebat 2. Reg. 22, v. 15. *Renunciate viro huic &c.* Regis nomine neglectò. Apis autem animalculum est superbum & murmurans & loquaculum sive bombilans: unde qui multiloquio excedit indecenti, etiam revolvendus est in ape.

§. 20. Si quis autem profuderit sanguinem, ille revolvitur in undis. Quod illo dicto innuitur: *Interram effundes, sicut aquam.* Deut. 12. v. 16. Talis autem semper movetur & convolvitur in aquis, nec ullam habet quietem: quod si scirent homines cruciatum istum, perpetuas effunderent lachrymas. Summus autem illo loco est dolor, ubi aquæ defluunt. Quo loco in ipsum semper delabuntur, cumque subter se mergunt, & iterum iterumque convolvunt.

§. 21. Si quis etiam tale commisit peccatum, ut supplicium strangulationis pati debeat; is quoque punitur aquis, ibique suffocatur omni tempore.

§. 22. Porrò sciendum, neminem è revolutis his vel alia quadam pœna afficiendis in tribunali superno condemnari, quin antea præconio publicetur, supplicium ejus & delictum ejus. Per totum igitur tempus illud, quo ex sententia pati debet supplicium hoc vel revolutionem illam, incessanter adjunctus est ipsi Angelus quidam lictor, qui ipsum suffocat aquis, & convolvit convolutionibus illis, vel aliis revolutionum speciebus: qui ab ipso non tollitur, donec supplicii immineat terminus. Plurimi etiam singulare suum habent consistorium, à quo judicantur omni tempore, ita ut mox hæc mox aliæ ipsis dictentur pœnæ, prout commeriti sunt. Mysterium autem supplicii hujus aquarum continetur dicto illo 2. Schmuel. 14. 14. *Et sicut aqua erunt promanantes in terra.*

§. 23. Quicunque autem adulterium committit cum uxore aliena, revolvitur in molâ aquaticâ, ibique puniuntur ambo, vir ille & mulier illa; juxta illud Hiob. 31, v. 10. *Molere faciet alterum uxorem meam &c.*

§. 24. Qui autem maledicus est & calumniator, mutatur in lapidem silentem, unde de Nabale extimescente dictum est 1. Sam. 25. v. 37. *Et fiebat lapis.* Quoniam is revolutio erat Bileami, cujus veritas nonnisi in ore maledico consistebat: hinc in lapidem mutabatur.

§. 25. Si quis etiam homini cuidam Israëlitico cibos proponat cadaverosos (id est, legitima præparatione non mactatos) is mutatur in folium arboris, ventusque superveniens eundem contorquet, unde magnus ipsi cruciatus. Finis autem supplicii hujus est, cum folium in terram decidit: quod pro vera morte ipsi imputatur. Juxta illud Jer. 8, v. 13. *Et folium* נבל *decidit*: quæ vox lapsum denotat & cadaver; unde cibus Judæum cadavere mutatur in folium. Et huc pertinet & illud Jeschajah 1, 30. *Quoniam eritis ut ulmus defluens folio suo.* Quandoque etiam eandem revolutionem pati cogitur vicibus pluribus.

§. 26. Qui vero non lavat manus suas, etiam revolvitur in aquis. Et huc pertinet illud Ps. 124, v. 3. *Aquas transierunt super animam nostram &c. Benedictus sit ille, qui non dedit nos rapinam dentibus ipsorum.* Ubi verba hæc נחנו טרף לשיניהם literis suis initialibus referunt vocem נטל, quod significat lotionem manuum: quali quæstio esset: quinam sunt illi, super quos transeunt aquæ superbæ? illi nempe, qui non lavant manus suas. Unde David porro inquit: *Benedictus sit Dominus, quod super nos non transierunt aquæ tales*, quia nos manus lavimus; prout literæ illæ initiales subindicant.

§. 27. Ille quoque qui non benedicit Domino benedictione usualium, super omnibus quibus in mundo fruitur, eodem pœnæ genere afficitur,

§. 28. Unde sciendum, his positis, nec fontem esse, nec cisternam aquasve stagnantes, nec fluvium, in quo non sint quamplurimi tales revoluti, in infinitum quasi. Unde non conducit homini applicare os suum canali, ut bibat; sed manu sua aquam hauriat: quandoque enim propter aliquod ejus dem peccatum accidere ipsi potest; ut in ipso embryo fiat anima quæ dam impia; quæ eundem ad omnia peccata impellat, prout notum est. Et huc pertinet historia illa libri Sohar de Spiritu quodam habitante in fonte illo. Et Magister meus p. m. sæpissimè expectavit, ne biberet è fonte, donec tales spiritus repulsisset a fonte; qui deinde regressi sunt in locum suum. Unde magna cautela opus est, etiam bibenti manu suâ, ut debita cum attentione benedictionis suæ dicat: Et utinam etiam tunc evadat!

§. 29. Et quia hâc ratione per cibum atq; potum variæ revolutiones in homine fiunt, quocunq; tempore: hinc qui discipulus Sapientum est, cibos q; suos comedit debita attentione: elevare & restituere potest multas animas revolutas. Qui vero non attentus est, ille non tantum nihil restituit, sed damnis quoq; afficitur ab illis: Sicut accidit Jochanani Sacerdoti magno, qui anno Sacerdotii octogesimo evadebat Sadducæus. Qui vero gnarus est Sapientiæ hujus Cabbalisticæ, nullo afficitur damno. Hinc multos invenies homines, quibus varia accidunt mala, horæque noxiæ; ita ut in peccata incidant prægrandia: quæ omnia è suprædictis eveniunt.

§. 30. Postquam autem aqua in domum deportata est, nullum amplius subest periculum. Nihilominus tamen melius est, ut antequam homo bibat, parum aquæ effundat. Misericors autem ille Dominus liberet nos ab omni accidenti malo. Amen! Selah!

Cap. II.

§. 1.

Si quis revolvitur ex eo, quod improles exciderit; quamvis fuerit ficut filius Assi, qui liberorum causa nullam sustinere cogebatur revolutionem. Nihilominus dum redit impræg natus, us aliquem vel in statu revolutionis, propter supplementum aliquod alicujus defectus; sive in auxilium aliorum: ille venire non potest solus: quia tantum æstimatur pro corpore dimidio: adeoq; necessariò accedere debet in societate animæ cujusdam alterius.

§. 2. Siquidem quælibet scintilla unius radicis animarum tenetur adimplere omnia 613 præcepta, eo quod nullum sit membrum, quod non in se includat omnia. Hi duo vero non sunt similes; ille, nimirum, qui jam observavit præcepta omnia; & ille, qui eadem nondum observavit. Multa enim sunt, quæ jam non possunt adimpleri in hoc mundo, qualia sunt præcepta de sacrificiis, & similia. Quicunque ergo non observarunt præcepta hæc in diebus suis, illi propterea revolvendi sunt, cum reædificabitur templum, ut tunc eadem adimpleat. Et hoc innuit R. Jischmael F. Elischa in Gemara, cum tempore Sabbathi lucernam tangeret; postquam restauratum erit templum, inquiens, pingue offeram sacrificium peccati.

§. 3. Quod autem attinet ad reliqua præcepta, v.g. de Leviratu & discalceatione, atque similia quæ non à quolibet observari possunt: circa hæc ista occurrit differentia, ut si occasio fuerit cuidam eadem observandi; nec tamen observaverit ea; propterea revolvendus sit, ut eadem observet: quoniam oblata occasione, eadem tamen neglexit. Qui vero nullam habuit occasionem eadem observandi, is embryo saltem sit in tali quodam qui ea observat, non vero revolvitur. Atque tunc illa simul adimplere potest.

§. 4. Porro & alia in his occurrit differentia. Si quis enim non habuit occasionem adimplendi præceptum aliquod, nec illud præ ignavia neglexit; ille securior est quod non sit peccaturus tempore revolutionis suæ. Qui vero oblata occasione studio neglexit præceptum illud, tam securus non est, ut prior: quia viso v.g. avium nido, præceptum tamen illud neglexit.

§. 5. Porro etiam sciendum, si homo non impleat unumquodque præceptum opere, verbo & cogitatione; illum propterea necessario revolvi oportere. Quod enim ad verba attinet, mysterium extat in dicto illo Levit. 6, v. 9. זֹאת *hæc est lex holocausti* &c. [quæ particula denotatur gradus Regni, quo etiam refertur Verbum.]

§. 6. Si quis etiam non studuerit observare mysterium פרדס quæ vox Paradisum denotat, sed literis suis harum vocum notas exprimit: סוד: רמז: דרש: פשט i.e. indagandum esse sensum Scripturæ literalem, allegoricum, anagogicum & mysticum; illum revolvi oportet, donec ea præstiterit omnia.

Cap. III.

§. 1.

Scito quoque, per peccata Kaini & Hebelis, & per peccata Adami & Chavvæ, omnes scintillas inter se esse commixtas atque confusas: Ita ut scintillæ Caini immisceretur Adamo; Et quæ Adami erant Caino; Sic quoque Adamiticæ Hebeli atque sic porro. Hinc quandoque invenitur psyche quædam Cainitica ad quam accedit spiritus Adamiticus: Quoniam Species illæ confusæ sunt, sicut dictum est. Quamvis enim spiritus ille gradum multo habeat sublimiorem, quam Psyche; tamen si homo restituat atque compleat Psychen suam; tunc illum Spiritum in se accipere potest, quamvis non sit de genere Psyches.

§. 2. Hæc

§. 2. Hæc autem durabunt usque ad adventum Messiæ, atque Eliæ bonæ memoriæ, tunc quilibet restituetur radici suæ, ita ut Spiritus Adamicus redeat ad Psychen Adamicam: & sic quoque Psyche Kainitica ad Spiritum Kainiticum. Quod Scriptura innuit verbis illis Mal. 4. v. ult. *Et convertet cor Patrum ad filios* &c. Id omne enim efficiet Elias p.m. Quoniam & ipse in hoc erat statu, ita ut Spiritus ejus esset ab Adamo Protoplaste; Psyche ejus autem à Nadabo & Abihu, qui erant radicis Kainiticæ. Tunc igitur ipse singulos restituet loco suo.

Cap. IV.

§. 1.

Jam de quibusdam Revolutionibus in specie disseram. Hebel igitur erat Mysterium humeri dextri Adami Protoplastæ. Idemque pertinebat ad corollam benignitatis relictam in Microprosopo: Unde ipse quoque ad mysterium Cognitionis refertur. Jam verò notum est, quod Cognitio quasi lingula sit bilancis: unde tres in illa occurrunt notiones, Benignitas, Severitas, & Pulchritudo.

§. 2. Schem autem & Noach, & Moscheh, omnes ab una radice descenderunt, nimirum à benignitate Hebelis. Unde dictum est de Moscheh Ex. 2, v. 10. *Quoniam ex aquis extraxi eum.* Aquæ enim ad Benignitatem pertinent. Huc etiam pertinet dictum illud Ex. 33. v. 12. *Tu autem dixisti: Cognovi te nomine* בְּשֵׁם: item ibidem: *Invenisti* חֵן *gratiam.* (Ubi vocula בְּשֵׁם denotat, Semum filium Noach; & vocula חֵן per metathesin est Noach.) Moscheh enim erat revolutio Semi & Noæ: & in vocula שֵׁם duæ literæ nominis מֹשֶׁה extant.

§. 3. Moscheh autem cum legem acciperet, gradus assequebatur omnes (nempe non Benignitatis tantum, sed & Severitatis & Pulchritudinis:) hinc elevabatur in Mysterium Cognitionis atque lineæ mediæ: illuc enim pertinet mysterium Legis. Quamvis etiam inveniamus, legem datam esse ex parte Severitatis.

§. 4. Postmodum autem Hillel senex etiam ortum habebat de Benignitate Hebelis: & Schammai descendebat à Severitate Hebelis. Hinc iste iracundus erat admodum: eò quod provenisset è mysterio judiciorum iratorum homini. In quo tamen peccabat, eò quod multi ipsi obvenirent Proselyti, quos nolebat suscipere. Hinc revolvebatur in Simeone filio Assai: in quo nullam ducebat uxorem: atque tunc producebat Psychas Proselytorum: Juxta illud Genes. 12, 5. *Et animæ, quas fecerant in Haran* Nimirum per studium Legis. Atque in hoc mysterium Severitatum, quæ fuerant in Schammai, convertebatur in benignitatem. Notum enim, quod omnis exsuscitatio Psycharum Proselyticarum, pertineat ad Benignitatem, quo & Abraham pertinet Pater noster super quo pax. Id quod & Moses faciebat, cùm separatus esset ab uxore: eo quod & ipse esset è Benignitate.

§. 5. Et quia Abbajah descendebat à Kaino, unde juxta ipsius sententiam nullum fiebat decisum: hinc & ipse insistebat viæ filii Assai, ut produceret Psychas Proselytas

lyticas per studium Legis. Notum autem, quod non tantum Psyche ejus, sed & Spiritus atque Mens fuerint à Kaino, quæ omnes tamen saltem Psychæ vocantur, quod est mysterium Regni: hinc erat orphanus. Sicut dicitur in libro Tikkunim: Psyche & Spiritus manserunt orphani, &c. ita ut esset sicut Psychæ Proselytorum. Mysterium autem in hoc consistit; quod scintillæ Psyches Kainiticæ omnes hujus naturæ sint, ut non prodierint per Patrem & Matrem, unde omnes vocantur pupilli. Et sic etiam proselyti veræ sunt pupilli, quia Patre & Matre carent. Et quia Abbaja fundamentaliter totus erat è mysterio Kaini: hinc erat pupillus, & restituebat animas Proselytorum, quæ Patre & Matre carent. Et quia fundamentum ejus è radice Kaini erat, quò etiam animæ Proselytorum pertinent; hinc Abbajah iste poterat animas Proselytorum producere citra separationem ab uxore. Hinc illud Gemaræ: quod Abbajah in hilaritate sua dixerit: Ego similis sum filiis Assai in foro Tiberiadis. Hilaritas autem hæc ex eo erat, quod provenisset à Kaino, qui erat corolla severitatis: quam ipse mitigabat per operationes Benignitatis procreando Psychas Proselytorum. Exsuscitatio enim ad producendos Proselytos pertinet ad latus dextrum. Atque tunc conversa est Severitas in Benignitatem: Juxta illud Ps. 104, v. 15. *Vinum lætificat.*

§. 6. Sic etiam R. Akibhah procreavit animas Proselytorum; quarum natura alias fundamentalis descendit à cortice splendoris, Hebr. נוגה; qui aliquando convertitur in Sanctitatem. Psyche autem R. Akibæ radicem quidem habebat ab interioribus Sanctitatis: sed tamen exierat intra cortices: unde aliis Proselytis non est similis.

§. 7. Scito autem, quod Psyche R. Akibæ descenderit à Kaino: hinc poterat procreare Psychas Proselytorum, quales sunt Hebelitiæ. Hinc dicere solebat filius Assai: Omnes Sapientes Israëlis similes mihi videntur putaminibus allii; excepto calvo isto: quierat R. Akibhah. Quo id intendebat: Omnes Sapientes sibi coævos nequiquam posse restituere animas Proselytorum, ut filius Assai; excepto R. Akibah. Quamvis enim Sapientes plerique producere possent animas Proselytorum, per studium legis attamen quidam saltem educere easdem poterant è cortice illo splendoris, qui Nogah dicitur; Filius Assai autem & R. Akiba ingressi in locum ipsum interiorem, exindeillas attraxerunt. Et hic est sensus verborum illorum: Omnes Sapientes habendos tantum pro corticibus allii &c. Notum enim, quod in homine duo sint foramina membri genitalis; unum pro emittendo semine sancto; & alterum pro urinâ, inter quæ cuticula quædam intermedia est, ut cortex allii; quæ cuticula mystice designat corticem splendoris seu Nogah. Id igitur innuebat: Omnes Sapientes sibi coætaneos educere saltem potuisse animas Proselyticas per mysterium illius corticis allii: se verò ex ipsa Sanctitate easdem proferre, unde postea descendant. Sic autem faciebat R. Akibah, eodem modo ut filius Assai, per illos viginti quatuor annos, quibus abiens studiis legis incumbebat ab uxore separatus. Quare autem eundem vocaverit calvum. Heb. קרח ratio hæc est, quia Korach descendebat à Kaino, è corolla nempe Severitatis. Iste autem ob Sanctitatem suam abraserat sibi omnes capillos, judicii rigorosi notas; ut hoc ipsum mitigaret, unde evadebat calvus. Et hoc ipso producebat animas Proselytorum, de parte

parte benignitatis. Quare R. Akibah vocatur Sanctus sive Benignus, non tantum in Gemara, sed etiam in Sohar, ubi vocatur Senex sanctus sive benignus.

§. 8. Et quamvis major sit cognatio Abbajæ cum R. Akibah, quam cum filio Assai: unde dicendum ipsi fuisset, se similem esse R. Akibæ, & non filio Assai: nihilominus tamen filius Assai majoris erat excellentiæ quam R. Akibah; quia planè cælebs erat. Et quia Abbajah non solum Psychen, sed & Spiritum atque Mentem habebat de parte Kaini; hinc penitus æqualis erat filio Assai.

§. 9. Nomen autem filii Assai erat שִׁמְעוֹן: quo in nomine duæ sunt literæ שׁ & מ de nomine שְׁמֹאי: & simul literæ עֹן i. e. peccatum: quasi denotetur; in hoc expiatum esse peccatum Schammai, qui repellebat Proselytos. Porro in ipso quoque sunt literæ מֹשֶׁה è nomine Moscheh, & è Schem, filio Noach. Sed literæ אֲחִי denotant vocalum *Ubi*, juxta locum illum Gen. 4, v. 9. אֵי *Ubi Hebel frater tuus:* quo indicatur, eundem provenisse è mysterio Severitatum Hebelis. Hinc eo ipso etiam indigitatur peccatum Hebelis; quod nempe deliquerit contra primam & ultimam literam nominis אֲחִי.

§. 10. Ratio autem, quare totò illo tempore filii Assai nemo fuerit tantæ excellentiæ, imò ne quidem Sacerdos magnus R. Jischmaël filius Elischa, qui erat scintilla Josephi justi, prout declaratum est; hæc est, quia in ipsa quoque radice decem illarum scintillarum guttarum Josephi seminalium, vitium erat, (eò quod Josephus passus sit Gonorrhæam:) hinc iste R. Jischmaël hoc idem præstare non poterat: imo potius ipse majori pœna dignus erat, quam reliqui omnes. Unde narratur, quod cutem ipsi abstraxerint per faciem ejus. Juxta illud Gen. 37, v. 23. *Et abstraxerunt Josepho tunicam.* Porrò quoque reperitur: quod sicut Joseph eleganti fuit forma; sic etiam R. Jischmaël: & sicut Joseph captivus fuit inter Ægyptios: ita R. Jischmaël inter Romanos. Unde cum eundem reperiret R. Jehoschua filius Chananjah, ipsique diceret Jesch. 42, v. 24. *Quis dedit Jacobum in conculcationem* &c. Ubi sensus est, quod conculcatio semper fiat sub pedibus: & quia omnes radices guttarum Josephi filii Jaacob descenderunt in profundum corticum, sub pedes: & intuitu illarum guttarum interrogabat R. Jehoschua filius Chananjah, dicens: Quis dedit Jacobum in conculcationem? Ubi respondebat R. Jischmaël (ex eodem loco:) *Quoniam peccavimus.*

§. 11. Et quia filius Assai descendebat de Severitate Hebelis: hinc uxorem ducebat filiam R. Akibah, qui erat è Kaino: & in hoc tertio (Severitatis) cognationem habebant.

§. 12. Filius Soma autem ortum habebat ab Hebele. Cumque commiscerentur Scintillæ, specie pollicis dextri Adami Protoplastæ deveniebat in filium Soma. Sicut autem diximus, nullum esse membrum, in quo non fuerint sexaginta myriades scintillarum: ita hinc patet ratio, quod iste filius Soma impregnari debuerit ab omnibus illis sexaginta myriadibus pollicis dicti; quoniam ceciderant in sortem ejus, ut ipse easdem restitueret. Et huc pertinet illud, quod dicitur: Filium Soma, cum vidisset turbam magnam in monte templi sancti, dixisse: Benedictus sit ille, qui creavit hos

omnes, ut mihi serviant : quoniam omnes à me dependent. Ipse igitur imprægnabatur ab iis, ut eos restitueret. Jam vero notum est, eum qui revolvitur pro restituenda anima quadam alia, participare ab observatione præcepti illius, quod anima hæc adimplet. Unde apparet, quomodo sexaginta illæ myriades inservierint ei: quia nimirum illæ observabant præcepta, & ipse particeps fiebat operis ejusdem absque conatu.

§. 13. Mysterium autem pollicis hujus dextri Adami Protoplastæ derivatur à mysterio informationis. Quia pollex Hebr. בֹּהֶן easdem habet literas atque בֵּינָה excepta unica ה. Literæ ergo בֹּהֶן cum ה denotant literas initiales numerationum בינה : הוד : נצח : יסוד.

§. 14. Hinc etiam reperimus, quod mysterium hujus pollicis repertum fuerit in Lot : quare ex illo prodiit Naëmah Ammonitis, quæ descendebat è Binah, cui etiam nomen Naëmah. In Lot autem continebantur duæ ejus neptes, quæ in Gemara dicuntur duæ columbæ bonæ ; Naëmah scil. & Ruth. Quæ ambæ commixtæ erant in Hebele. Quod patet ex verbis illis Genes. 11, vers. 31. Et Terach secum sumebat לוֹט בֶּן הָרָן, Lot filium Haran, quorum literæ initiales sunt Hebel. Quamvis fundamentum radicis ejus esset è pollice dextro Adami. Et quia in ipso erat mysterium pollicis, quod denotat judicia rigorosa, sicut dictum est in Sohar Tract. Idra sect. Naso: hinc concupiscentia prava Hebelis in ipso dominium habebat : eumque accipiebat Abraham, ut ipsum emendaret.

Cap. V.

§. 1.

De Psyche, Spiritu & Mente porrò sciendum est : quod omnes Psychæ sint è mundo Factivo tantum ; & Spiritus à Formativo &c. Plurimi autem homines præterea nihil habent quam Psychen de mundo Factivo : Et nihilominus multæ in ipsis sunt differentiæ. Ratio hæc est, quod mundus Factivus dividatur in quinque Personas : quæ sunt Macroprosopus, Pater & Mater, & Microprosopus atque Uxor ejus. Homo igitur, antequam accipiat Spiritum è mundo Formativo, prius complendus est secundum omnes quinque personas mundi Factivi. Quamvis enim aliquis Psychen haberet de Regno mundi Factivi ; vel alius Psychen contineret de fundamento ejusdem Regni, atque sic porro : nihilominus Spiritum mundi Formativi assequi non potest, donec in se consummaverit, quicquid est mundi Factivi. Atque tunc demum Spiritum Formativum assequitur : ita ut non sufficiat, si suam tantum restituat radicem. Atque sic in cæteris quoque mundis. Quicunque ergo tantum restituit Regnum mundi Factivi, in illo tantum est Psyche Factiva. Et qui restituit pariter Microprosopum mundi Factivi, ille simul Psychen & Spiritum habet

habet de Fabricatione. Sique porrò restituit etiam dationem intellectus mundi Factivi ; tunc dicitur, Psychen, Spiritum atque Mentem Fabricationis assecutus esse. Et qui totum mundum Factivum consummavit, is dicitur accepisse Psychen, Spiritum, Mentem, Vitalitatem & Singularitatem, omnes è mundo Factivo. Atque hæc omnia vocantur Psyche tantum, & sic meretur accipere Spiritum è mundo Formativo.

§. 2. Nec minus porrò & ibi omnes hæ species occurrunt, donec ille, qui assecutus est Matrem intelligendi mundi Formativi, donatus esse dicatur Mente Formativa. Et sic ulterius usque ad gradus summos.

§. 3. Differentia tamen est inter mundum Factionis, & inter mundos cæteros: unde intelligi potest, quare is, cujus radix est in Regno Factivo, ascendere tamen teneatur usque in coronam Factivam ? Et quoniam omnes Jisraëlitæ tamdiu revolvi tenentur, donec restituantur quoad Psychen, Spiritum, Mentem, Vitalitatem & Singularitatem ; unde necessum est, ut eleventur in coronam mundi tam Factivi, quam Formativi, Creativi, & Emanativi : quare dicatur, aliquem pertinere ad Regnum, & aliquem ad Fundamentum, atque sic porro ? cum (apprehensâ semel radice) cætera omnia frustranea videantur.

§. 4. Responsum autem hic dari potest duplex. Primo enim inter mundum Factivum atque cæteros hæc est differentia : ut si quis radicem habeat in Regno Factivo : illius Psyche semper maneat in Regno Factivo : modo quod Psyche ejus clarificanda sit de gradu in gradum, donec ascendat usque ad coronam Factivam. Quamvis autem in istum usque gradum elevetur : in eâdem tamen coronâ Factivâ, nihilominus remanet sub specie Regni Factivi. Et sic quoque in cæteris partibus mundi Factivi.

§. 5. Sed in Formativo, Creativo & Emanativo, eodem modo se res non habet. Nam si quis absolverit regnum Formativum, ibique fuerit radix Spiritus ejus ; ille si ulterius perficiatur usque ad Fundamentum Formativum, ibidem accipit Spiritum quendam de fundamento Formativo ipso : & Spiritus alter prior inferius remanet in Regno Formativo, atque sic si ascendat in gloriam Formativam, Spiritum suum fundamenti relinquit in fundamento Formativo, & Spiritum accipit alium è gloria Formativa. Atque sic porrò semper usque ad finem mundi Formativi : ita ut consummatâ Psyche ejus per totam fabricam ; assequi possit Spiritum, juxta singulos gradus Formativos. Idemque accidit in creatione circa mentem.

§. 6. Ratio autem differentiæ istius hæc est, quod mundus Factivus admodum propinquus sit corticibus ; unde postquam aliquis perfecit locum proprium, nihilominus tamen ad sublimiores gradus elevandus est, quoad ejus fieri potest præ cortices metu. In Formatione autem metus iste cessat ; unde consummatâ radice Spiritus sui, ascensurus ad gradus ulteriores, opus non habet ut simul elevet Spiritum primum.

§. 7. Et hoc innuitur 2. Sam. 14. v. 14. his verbis: *Non tollet Deus Pſychen, ſed tales cogitat cogitationes, ne ulla fiat expulſio in exilium, ſcil. corticum.* Quod ſi enim, aſſumtâ Pſyche aliâ, priorem relinqueret infra, prout idem fit in Spiritu Formativo: ad eandem ſeſe applicarent cortices. Unde intelligi poteſt, qua ratione omnis homo talis fieri queat, ſicut Moſes Magiſter noſter ſuper quo pax, modò velit ipſe.

§. 8. Hinc etiam intelligi poteſt illud, quod in Gemara dicitur: Animas nempe juſtorum venire, & embryones fieri in anima hominis, ut eundem adjuvent in mundo hoc, cùm tamen ipſæ ſint in faſciculo viventium, apud Creatorem Benedictum. Nimirum hoc ipſo intelligi Spiritus illos, quia ab iis remanent in ſingulis gradibus mundi Formativi: qui deſcendant, & hanc imprægrationem faciant.

§. 9. Deinde alia quoque hìc occurrit ratio dubii ſupra propoſiti. Quod nempe totus mundus Factivus numeratio tantum ſit unica; ita ut in illo aſcenſus fieri queat uſque ad Coronam ejus. In Formatione autem ſex ſunt membra, quæ revera ſex ſunt numerationes. Unde ſi alicujus radix ſit è Regno Formativo, ille non poteſt includi in ejusdem mundi Fundamento: eò quod conceptus ſint planè diverſi. Quare Spiritus de fundamento Formationis planè novus eſt. Atque ſic per omnia membra ſive extremitates mundi Formativi.

Cap. VI.

§. 1.

SCito eum, qui duxit veram conſortem ſuam, generare poſſe liberos partim è radice propria; partim quoque è radice aliena. Si quis verò non duxerit veram conſortem ſuam, is priori ſimilis tantum eſt in caſu ultimo.

§. 2. Pater animam confert filio ſuo, & iſta portio veſtis evadit animæ filii. Atque hanc ob cauſam filius tenetur honorare patrem. Et hæc anima in illo permanet uſque ad dies Meſſiæ.

§. 3. Sed in reſurrectione mortuorum vel in mundo venturo, quilibet redibit ad radicem ſuam veram.

§. 4. Hæc omnia autem eo caſu intelligenda ſunt, ſi inter filium & patrem diſtantia ſit minor quam quingentorum graduum. Si verò inter utrumque diſtantia 500 graduum ſit vel major; cuilibet radix eſt propria.

§. 5. Magiſter autem præclarus, ſi communicet Spiritum ſuum diſcipulo ſuo, tunc ambæ illorum pſychæ ſibi invicem adhærent. Juxta illud 1. Samuel. 18. vers. 1. *Et adhæſit Pſyche Davidis Jonathani.* Atque tum in perpetuum in una manent ſocietate.

§. 6. Si verò filius quidam patris ſui ſiat Magiſter, etiam ſi plus quam 500 gradibus diſtent, ambo tamen ſibi invicem adhærent ob utramque illam rationem.

Cap.

Cap. VII.

§. 1.

DE imprægnatione hominum notanda ſunt & ſequentia. Primò Pſyche datur hominis tempore nativitatis ejus: eidem vero, ſi bonorum operum fuerit ſtudioſus, conceditur Spiritus poſt annos 13. & dein unum. Et ſi ulterius juſtificata reperta fuerint opera ejus; porrò in ipſum ſubintrat mens anno vigeſimo. Si verò probè ſe non gerat, pſyche & Spiritus ejus permanent ſine mente. Imo quandoque non meretur niſi ſolam accipere pſychen; remanetque ſine Spiritu & mente. Spiritus autem atque Mens relinquuntur in loco quodam occulto, quem novit Sanctus ille, qui benedictus ſit: quoniam ibidem ſua parata ſingulis ſunt loca. Prius autem revolvenda eſt Pſyche tam diu, donec purificata fuerit in quantum opus habet. Quo facto nondum tamen aſſequi poteſt Spiritum, donec adhuc ſemel ſit revoluta poſt ultimatam reſtitutionem ſuam. Atqui ſic meretur Spiritum ſuum primævum accipere. Deinceps revolvenda eſt unà cum Spiritu ſuo, donec & hic plenariè reſtituatur. Quo facto aliâ iterum vice revolvendi ſunt poſt conſummationem ſuam: Atqui tunc adipiſcuntur mentem. Porrò multoties revolutionem ulteriorem ſubire coguntur, donec perficiantur omnes tres gradus. Atque dein nulla amplius revolutione opus habent.

§. 2. Poſtquam autem reſtituta eſt Pſyche, ita ut revolvatur cum Spiritu, ut nempe & hic ſuam accipiat perfectionem: tunc ſi Pſyche illa aliquod admiſerit peccatum vel corruptelam: hæc non dicitur corrupta pſyches, ita ut Pſyche ipſa propterea revolutione opus habere dicatur ulteriore: Sed vitium illud tribuitur Spiritui ſoli, donec plenè reſtitutus fuerit.

§. 3. Et ſic quoque ſi reſtituti jam gradus pſyches & Spiritus, & cùm mente revoluti, pro iſtius purificatione peccent; idem vitium nonniſi menti tribuitur ſoli, ut dictum eſt de Spiritu.

§. 4. Quandoque autem accidit, ut uſque adeò purificetur Pſyche mundi factivi, ut nulla amplius revolutione opus habeat, ſed ſupra remaneat in loco ſuo in cœlo. Atque tum Spiritus in revolutionem demiſſus veſtitur Pſyche Proſelyti: Sicut dicitur in hiſtoria de Sene ſectione Miſchpatim; donec reſtituatur. Poſtea verò idem in revolutionem redit, ſed cum Pſyche ſua, ut nempe accipiant mentem; donec reſtituatur & mens. Aliquando etiam accidit, ut Spiritus ſolus veniat una cum mente, donec reſtituantur: atque deinde nulla amplius opus habent revolutione: ſed omnes tres junguntur ſuperius.

§. 5. Et quia Pſyche illa Proſelyti, vicem pſyches ſuſtinuit in hoc mundo, ita ut per illam vel pſyche vel Spiritus huc deſcenderint: hinc & eadem pſyche proſelytica elevari poteſt in gradus pſyches ſupradictæ, ita ut in illo mundo in vicinia habitent.

§. 6. Interdum quoque accidit, ut Pſyche eo uſque compleatur, & juſtificetur, ut proxima ſit gradui Spiritus: interim tamen Spiritum ſuum nondum acquirere poteſt:

eo quod non semper omnes tres vel duo etiam gradus jungi queant in una revolutione, nisi singuli gradus per se magnam assecuti sint perfectionem. Primo enim perficienda est psyche: quo facto non tamen revolvi in illam potest Spiritus, nisi psyche singulari adventu revoluta fuerit post consummationem suam, atque tunc meretur etiam Spiritum accipere.

§. 7. Quod si ita se habet: quid interim sit cum illa psyche jam restituta, donec digna fiat accipere Spiritum! Nempe scias, quod pro ratione purificationis atque restitutionis suæ, Psyche hæc in suo quoque statu auxilium quoddam accipiat, ita ut ipsa viv ente in corpus ejus veniat Psyche quædam alia justi cujusdam, qui jam absolvit revolutiones suas, nec ulterius redire opus habet: atque hæc tum intrat in eam, atque hoc est mysterium illius impræg nationis: ut nempe psyche illius justi obeat locum Spiritus in illa psyche.

§. 8. Hinc aliquando fieri potest, ut redeant psychæ quædam è pristinis, nequidem Abrahamo Patre nostro super quo pax, excepto, vel Mose Magistro nostro super quo pax, & similibus, secundum proportionem nempe restitutionis & purificationis modo dictæ.

§. 9. Quandoque etiam per Mysterium impræg nationis in illam subintrat Spiritus quidem alicujus Justi: prout nempe major vel minor fuerit psyches istius puritas. Unde etiam fieri potest, ut & nostro tempore psyche quædam talis assequatur Spiritum è Spiritibus anteces sorum, ne Patriarchis quidem exceptis, ut dictum supra. Quæ omnia tamen dependent ab operibus ejus. Dantur enim præ cepta quædam, quorum observatione acquiritur psyche: nec non alia, quibus acquiritur Spiritus.

§. 10. Interdum etiam embryo in ipsâ sit psyche quædam alicujus justi: Et si dignior evadat, eandem ingravidare quoque potest psyche quædam alia justi cujusdam excellentioris priore; quæ in ipso locum mentis obtineat; cum psyche justi prioris ipsi tanquam Spiritus adsit.

§. 11. Interdum eousque purificatur, ut alium insuper Spiritum justi cujusdam majoris accipiat, quirevera Spiritus locum occupat. Ita ut quis vel Abrahami Spiritum acquirere possit. Quare dixerunt Magistri nostri p. m. quod in singulis generationibus aliqui sint Abrahamo, Jizchako & Jacobo similes. Sed Sapienti satis.

§. 12. Omnia autem sequuntur gradus purificationis psyches illius: quieousque ascendere possunt, ut quis & mentem justorum primævorum acquirere possit, imo ad ultimum usque graduum complementum.

§. 13. Duplici autem modo hæ fiunt. Unus est per ingravidationem psyches illius justi. Et alter, si justus ille particeps sit operis & præcepti à psyche illa observati: unde eundem virum ita juvat, ut purificetur. Quo pertinet illud, quod dixerunt Magistri nostri p.m. excellentiam justorum tantam esse, ut & post mortem suam generare queant liberos.

§. 14. Porro etiam, postquam revoluti sunt gradus psyches & spiritus, & ambo restitutionem adepti sunt, idem iis dem accidit pro ratione justificationis ipsorum: ut in

in illos intret eosque impræg net psyche justi cujusdam, vel etiam spiritus atque mens: Ita ut in ipsis locum obtineat mentis. Quo in casu etiam multa occurrunt specialia, ut dictum est supra de Psyche cum esset sola.

§. 15. Eâdem ratione absoluta revolutione omnium trium graduum simul, eosdem ingravidare potest psyche vel spiritus vel mens quædam justi ut opitulentur ei, ut dictum supra.

§. 16. Postquam autem perfectionem assecuti sint omnes tres gradus ejus; tunc nulla amplius opus habet revolutione: sed ascendere potest juxta notionem justi illius, qui eundem impræg naverat: tunc enim in mundo illo simul constituntur in uno gradu. Et hoc ipsum est, quod dicitur in Sohar sect. Bresehith: Quod R. Schimeon filius Jochai in somnio viderit, se in illo mundo vicinum fore R. Hammenunæ seni super quo pax.

§. 17. Id quoque sciendum, quod justus ille, qui ibidem impræg nationem instituit, vicinus sit præmio, & remotus à jactura: unde si homo iste melior evadit per impræg nationem istam, particeps & ipse fit illius præmii. Quare cum dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Justum accipere portionem suam, & portionem socii sui: id profundo non caret mysteriô.

§. 18. Quod si vero deterior evadat vir ille; justus talis nullam hinc patitur jacturam: quoniam ipse in melius eum dirigit, & non in deterius: unde de malitia ejus non participat, sed potius discedit: similisque est hospiti cuidam, qui pro lubitu alicubi vel manet, vel abit. Et hanc ob causam nullis quoque sir. ul afficitur doloribus corporis illius. Si igitur opera ejus decenter ab ipso fiant, ibidem manet, ut ejus quoque partem acquirat: nec abit ante diem mortis ejus.

§. 19. Porrò differentia quoque est inter leviratum & inter revolutionem. Quia in leviratu revolvi possunt simul tres animæ gradus, Psyche nimirum, Spiritus & Mens. Sed in revolutione simplici non revolvitur nisi Psyche per se; deinde Spiritus simul; & deinde Psyche, Spiritus & Mens. Quandoque autem singuli gradus revolvuntur per se.

§. 20. Mihi autem Chajim secundum tenuitatem meam videtur in Sohar Tractatu de Sene illo disertè dici: quod & in leviratu non accedant, nisi Psyche & Spiritus tantum: quod ulteriori disquisitione opus habet.

§. 21. E supradictis vero omnibus patet, quod impius non revolvatur, nisi tribus revolutionibus. Quod intelligitur de Psyche, quæ revolvenda sit prima solatribus vicibus. Et si toto hoc tempore nullatenus inceperit corrigi; tunc Psyche illa penitus exscinditur. Si vero corrigi inceperit; tunc redire potest, vel mille revolutionibus.

§. 22. De Spiritu & Mente autem nulla fit mentio excisionis. Nam quia Psyche è mundo Factivo est, ubi cortices; hinc in illa locum habet excisio. Spiritus autem & Mens, quæ sunt è mundo Formativo atque Creativo, necessario ad restitutionem perveniunt: quia nullum ibi robur corticum, nec aliter differunt invicem, nisi quod interdum citius restituantur, interdum post revolutiones plurimas.

§. 23. In-

§. 23. Interdum quoque ipsa hominis Psyche eò usque elevari potest, ut sit de mundo Emanativo; dum enim Psyche dicitur de mundo Factivo; Spiritus de Formativo; Mens de Creativo &c. Idem est ac si diceretur, Psychen de Regno; Spiritum de Pulchritudine, Mentem de Informatione; Vitalitatem à Sapientia provenire. Quandoque autem Psyche, Spiritus & Mens de mundo Factivo sunt: quandoque iidem gradus de mundo Formativo; quandoque de Creativo sunt, quoniam in singulis partibus quatuor mundorum tres isti sunt gradus. Interdum etiam Psyche est de mundo Factivo: & Spiritus atque Mens de Formativo. Quandoque Psyche de Formativo; & Spiritus atque Mens de Creativo. Quandoque Psyche de Creativo; & Spiritus atque Mens de Emanativo &c. quæ omnia secundum minutias suas nullo describi possent calamo.

§. 24. Singuli enim mundi constant è decade numerationum, & singulæ decades suas iterum decades includunt, atque sic in infinitum.

§. 25. Quod autem diximus, tres animæ gradus modo in Formatione, modo in Creatione, modo in Emanatione existere; sic non est intelligendum, quasi non omnis Psyche, sit generis Factivi: notum enim, etiam gloriam cohabitantem vestiri mundo Factivo: sed sensus hic est, partem Factivam eò usque clarificari, ut non amplius censeri queat de numero Factivorum, sed fulgeat luce Formationis; unde tota dicitur Psyche Formativa. Et sic juxta omnes species. Et quamvis diximus, Psychen, Spiritum atque Mentem dari de Emanatione; hoc tamen intelligendum saltem est, quatenus ista inserta est tribus mundis inferioribus: non vero quasi gradus dicti adipsam summitatem ascendant. Omnia tamen vocantur nomine Emanationis. Et sic quoque in cæteris.

§. 26. Diximus etiam, hominem quandoque observare præceptum aliquod, cujus intuitu imprægnari meretur à Psyche cujusdam justi majoris: ubi porro eò usque clarificari possit, ut Psyche ejus æstimetur in gradu justi illius consistere. Postmodum autem ita tenetur perficere Spiritum & Mentem suam, donec mereantur inseri Psychæ illi: atque tunc demum æqualis est gradui justi illius; altiusque ascendere potest, quam fuit radix animæ ejus, unde excisa est ipsa.

Cap. VIII.

§. 1.

Dixit mihi Annunciator, quæ sit ratio, quare Justus revolvatur usque in mille generationes: cum impii tres tantum revolutiones sustineant: nempe sicut dictum est in Gemara de Elischa altero: quod non judicaverint ipsum judices, eò quod exoluerit studium Legis &c. Quicunque enim est discipulus Sapientum, & præsertim anteriorum; intrare non potest in Gehennam; adeoque revolvendus est, ut restituatur. Impius autem in Gehennam detruditur.

§. 2. Nec

§. 2. Nec obstat, quod melior videatur conditio impii, ut puniatur Gehenna, quam si redeundum ipsi esset mille vicibus. Videt enim Sanctus ille qui benedictus sit, quod singulis revolutionibus impius plura commissurus sit peccata, quam bona opera: hinc in revolutionem ipsum non dimittit, sed peccata ejus expurgantur in Gehenna.

§. 3. Justus autem non tantum peccata sua expurgat per revolutiones suas: sed multas quoque & quasi infinitas lucratur vices ab actibus illis justis, quos mille suis revolutionibus perpetravit.

Cap. IX.

§. 1.

De revolutionibus singularum animarum jam notum est, quod & in Sohar traditur sect. Pekude fol. 258: Gloriam cohabitantem eò usque exulare, donec pedes contingant pedes. Omnes autem animæ justorum cum illa exulant: sicut dicitur sub initium libri Tikkunim. Temporibus igitur primævis animæ tunc viventes ad illa pertinebant membra, eosque gradus, quibus illo tempore gloria cohabitans ad cortices applicabatur. Atque sic factum est semper, donec tandem deveniatur ad pedes: ubi animæ jam viventes pertinent ad animarum genera sub mysterio pedum comprehensa. Animæ autem sublimiorum membrorum cum puriores sint, nunc in viam rectam dirigunt hominem, ut convertatur & pœnitentiam agat. Unde patet, quod in singulis animabus, plurimæ sint partes diversorum membrorum.

§. 2. In resurrectione mortuorum autem quilibet recipiet animam suam, & partem suam secundum membrum atque tempus illud, ad quod pertinet, & in quo vixerat.

§. 3. Hodie autem manifestatum mihi est mysterium ingens: quod dum refero, initium faciam ab Adamo Protoplaste, ut rectius intelligatur. Scito igitur, cum peccaret Adam Protoplastes, vel Kain & Hebel, omnes scintillas Mentis, Spiritusque & Psyches ejus, passas esse vitium. Psyche autem illa ad instar corporis habebat 248 membra; ita ut aliæ scintillæ essent in capite, & in oculis, atque sic porro usque ad pedes. Eademque ratio & Spiritus fuit: nec non Mentis.

§. 4. Omnia autem hæc membra atque scintillæ immixtæ fuerunt corticibus. Et hoc ipsum est, quod in Tikkunim dicitur: quod exulante gloria cohabitante cum illa exilium passæ sint animæ justorum, abierintque & circumferantur de loco in locum &c. Et quia animæ descenderunt in profundum corticum pro ratione scintillarum & membrorum, quo singulæ pertinerent: hinc dicitur, illas in exilio esse. Singulis autem generationibus prodeunt illæ scintillæ, & veniunt in mundum, secundum proportionem generationis (ad totum corpus relatæ). Ita ut interdum prodeant scintillæ capitis; interdum corporis; & similiter.

§. 5. Sæpe autem homo etiam peccat in revolutione sua, iterumque immergitur corticibus: ubi etiam scintillæ ab ipso derivatæ in profundum corticum simul descendunt.

§. 6. Cum igitur revolvitur Psyche quædam, fundamentum illius revolutionis tantum consistit in illa portione & scintillâ, quæ huic corpori debetur: cæteræ autem scintillæ in illa sunt sub mysterio imprægnationis. Si igitur homo ille aliquod bonum opus fecerit, Psychæ & scintillæ illæ aliæ de eodem etiam participant, quia adjuvant scintillam hanc, huic corpori debitam, quatenus cum illa sunt in imprægnatione. Et si ille sic ingravidans antea commisit aliquod peccatum; jam pro illo dolores quoque & pœnas sustinet in corpore isto: prout dolores quoque sustinuerat in corpore priore, unà cum supplicio mortis: ita ut post mortem ejus hoc modo expientur peccata ejus priora. Et si jam habuit bona opera alia peracta tempore primo; jamque superaddatur portio etiam hæc, cujus particeps fit ab observatione præceptorum impletorum in hoc corpore; hinc isto modo perficitur.

§. 7. Atque hinc intelligi potest, qua ratione tandem finis sit revolutionum. Hoc enim nisi foret, revolutiones animarum nunquam cessarent: quin potius quilibet in mundum veniens pejor fieret.

§. 8. Atque hic processus observatur in omnibus revolutionibus (totius corporis Adamici) donec consummentur scintillæ ad pedes usque; atque tunc veniet Messias, sicut dicitur sect. Pekude.

§. 9. Si autem illa ipsa scintilla peccet, eidem corpori propria; Psyche quædam alia imprægnans nil propterea patitur: quia auxilii saltem causa adest non ad peccandum, sed ad benefaciendum: unde etiam particeps saltem fit benefactorum.

§. 10. Unde patet, totam Psychen quidem revolvi juxta singula membra sua; interim tamen una saltem scintilla ejus pertinet ad hoc corpus, in quo tunc est; & ad illam scintillam tantùm promerita etiam pertinet pœna.

§. 11. Si vero quis revolvitur ob defectum præcepti alicujus; illi correctio est per dolores & similia.

§. 12. Sed si quis revolvitur ob casum improlitatis, reviviscens in leviratu, illum revolvi oportet juxta omnia membra Psyches in corpore hoc secundo, quod est corpus ejus radicale. Et si jam perficitur, tempore resurrectionis non resuscitabitur in corpore primo; deque illo nihil participat, nisi Spiritum illum in uxore relictum, ut dictum est sect. Mischpatim.

§. 13. Adeoque differunt, qui mortuus est improles; & qui mortuus est ob ulla peccata alia, quæ in mundo sunt.

§. 14. Idemque penitus accidit in gradibus Spiritus & Mentis.

§. 15. Alia quoque est differentia inter mysterium leviratus, & mysterium revolutionis. Quoniam enim diximus, illius corpus primum, qui mortuus est sine liberis, reputari ac si non fuisset; hinc in revolutione, redeunte Psyche, simul eadem vice venire possunt quoque Spiritus & Mens; quia jam quasi structura nova existit: quamvis debita etiam ad id requirantur opera, ut quis dignus fiat, cum Psyche accipere Spiritum & Mentem. Ethuc pertinet illud Job. 34, v. 14. *Si applicuerit super eum cor suum* (ut

(ut suscitet semen fratri suo) *tunc spiritum & mentem in se colligere potest* ad omnes portiunculas psyches illius.

§. 16. In omnibus autem cæteris revolutionibus simul non possunt adduci, psyche, spiritus & mens: sed primo revolvitur Psyche, donec purificetur: quo facto, moriendum est ipsi. Atque tunc revolvitur Spiritus, donec & hic expurgetur penitus: sed psyche tamen simul cum illo revolvitur per mysterium imprægnationis; partim ut illum perficiat; partim etiam ut particeps fiat bonorum ejus operum: Idemque accidit ipsi, quod supra dictum de psyche; quod nempe secum habeat omnes scintillas suas.

§. 17. Eodem modo revolvitur postea Mens, donec clarificetur: Psyche autem & Spiritus eandem ingravidant, ut dictum supra; donec perficiatur. Atque tunc ad nullum amplius obligatus est revolutionem homo ille; nisi ut ad justitiam dirigat multos per imprægnationem, non vero per revolutionem.

§. 18. Hic tamen mysterium aliquod latet: Quod nempe homo certa etiam methodo efficere queat, ut unâ vice omnes tres revolutiones psyches, spiritus & mentis suæ absolvat; nec opus habeat ulterioribus. Revolutâ enim primo psyche solâ, eâdemque ad ultimam plenitudinem purificatâ, Spiritus tamen nondum ad ipsam accedere posset, cum ipsa perfecta sit; ille vero adhuc imperfectus. Hinc eadem perficere illum potest, si dormiturus commendet Spiritum suum & psychen suam simul. Tunc psyche ejus relinquitur superius in mysterio fontis superni & aquarum fœmininarum: Cumque expergiscitur homo, in ipsum intrat Spiritus solus; cui id imputatur, ac si in corpus veniret vice prima. Atque tunc homo ille perficit portionem Spiritus illius. Et huc pertinet illud Jesaja 26. v. 9. *Psyche mea desiderat te nocte.* Id est, portio psyches meæ adhærere desiderat Domino, illo tempore, cum ego sub noctem eandem tibi commendo in manus tuas; quod est mysterium aquarum fœmininarum requisitarum ad copulam. Atque tunc sequitur: *etiam Spiritus meus intra me mane quæret te.* Id est, cum evigilo, tunc Spiritus meus intra me est: quoniam tunc contingit revolutio Spiritus, ut dictum supra. Et literæ initiales vocum: בלהה את רוחי referunt vocem באר, id est, fontem supernum. Conducitque eum vis desideranti perfectionem psyches suæ, ut versiculum illum debita cum attentione pronuntiet: sic enim dignus evadet parte Spiritus.

§. 19. Quod autem diximus de altero illo dicto: *In manus tuas commendo Spiritum meum*, Psal. 31. v. 6. in illo saltem latet mysterium depositi animarum: quod nempe abeant & redeant. Iste autem versiculus Jesch. 26, v. 9. ad perficiendum Spiritum confert. Quo facto psyche vehiculum fit Spiritus, ita ut simul habitare queant, ac si id fieret in corpore novo.

§. 20. Idem porro quoque accidit in parte mentis: ut nempe exeat Spiritus & ingrediatur mens: & postquam hæc perfecta est psyche cum Spiritu isthus evadat vehiculum.

Cap. X.

§. 1.

Sciendum quoque, dari imprægnationem inter vivos hoc modo. Quia si homo quis observet præceptum aliquod, prout decet, in ipsum ut embryo subintrat psyche justi cujusdam demortui, prout nempe hic vel ille in vita sua hoc vel illud præceptum observare fuerat solitus. Eâdem ratione fieri potest, ut justus quidam inter viventes faciat bonum aliquod opus familiarius justo cuidam alii; tunc hic ingravidat illum viventibus ambobus. Et huc pertinet illud 1. Sam. 18, v. 1. *Et adhærebat psyche Davidis Jehonathani.*

Cap. XI.

§. 1.

Si quis assecutus est psychen, Spiritum atque mentem simul; sed postmodum iterum peccavit, ut propterea cogatur revolvi; Is non potest recipere omnes hos tres gradus simul, nisi per methodum illam verborum: *Psyche mea desiderat te nocte.* Jesch. 26, v. 9.

§. 2. Sed qui primo nudam saltem habuit psychen; in eaque vitium admisit, ut cogatur revolvi; Is una eademque revolutione psychen, Spiritum & mentem recipere quidem potest: Sed si psychen prima vice non perfecit, & propterea revolvendus est in corpore secundo; tunc corpus hoc secundum, in quo facta est restitutio ista sui, hæres fit corporis prioris, & ab illo tollit psychen, Spiritum & mentem ejus: & corpori priori nihil remanet, nisi portio quædam illius scintillæ, quæ in ipso restituta est, quam tempore futuro merebitur accipere, ita ut illa scintilla psyches ejus dividatur in duas partes: Sed de Spiritu & mente corpus primum nil omnino participat, sed omnia pertinent ad secundum; quoniam nihil horum commeruit: Quod si vero habuisset illos gradus, sed eosdem vitiasset; tunc revolvendi sunt revolutione duplicata: Id est, adjunguntur scintillæ psyches corporis secundi: & deinde redeunt ad primum. Unde corpus prius aliquid habet, quod non habet secundum: & secundum aliquid habet, quo caret primum.

§. 3. Et hoc fit eodem modo, sicut dicitur in Tract. de Sene illo, circa Materiam de Levirato; & de corpore talis hominis primo, atque de ea parte, quam reliquit in structura mulieris suæ.

§. 4. Et hoc etiam innuitur sectione Chaje Sarah fol. 131: ubi dicitur: quod illa corpora, quæ prosperata non fuerunt, (id est, liberis caruerunt) sint quasi non fuissent. Id est, non fiant participia, nisi illius tantum scintillæ psyches separatæ: quare idem est, ac si non fuissent: quoniam fundamentum deliciarum futurarum tribuetur illi corpori, in quo fuit Spiritus.

Cap.

Cap. XII.

§. 1.

Scito Messiam non venturum, donec plenè prodierint omnes animæ, quæ in corpore (Adami Belialis.)

§. 2. Notum etiam, in generationibus hisce neminem dari, qui dignus sit accipere spiritum & mentem: quas tamen omnibus modis etiam restitui oportet. Id autem intelligi poterit ex loco illo Tractatus de Sene, ubi dicitur: Animas sibi assumere Psychen Proselytorum. Quod ita se habet; Mentem nempe talem, quæ habitare non potest in Psyche propria, sibi quærere Psychen Proselyti, ut per illam perfici queat. Atque hoc modo restituta, tandem futuro tempore cum Psyche propria jungi potest.

§. 3. Scito etiam fieri posse, ut Psyche quædam, vel Spiritus aut Mens aliqua eousque possit ascendere, ut colligat scintillas Psyches, vel Spiritus, vel Mentis suæ existentes infra ipsam in profundo corticum, ita ut hæ per illas restituantur.

§. 4. Et huc pertinet exemplum decem occisorum à Romanis; qui per necem suam meruerunt, ut colligere & in statum meliorem elevare potuerint omnes scintillas sibi subordinatas, è quo commodius possint restitui.

§. 5. Quamvis & alia subsit ratio insignis, de decem istis martyribus. Quoniam enim videbat Sanctus ille, qui benedictus sit! quod ab illorum tempore nullæ amplius futuræ sint Animæ, quæ inservire queant loco aquarum Fœmininarum: (quoniam ob peccata nostra in majorem semper ducimur egestatem, ut nulla nobis supersit facultas, restituendi animas nostras, easdemque elevandi sub mysterio aquarum fœmininarum.) Hinc illos occidi oportuit, ut istarum loco usui sint, ita ut per eos restitutio fiat scintillarum ipsis subordinatarum. Notum enim, quod illi fuerint universitas totius Jisraëlis. Illi quippe fuerunt decem tribus, & decem filii Joseph, sicut notum est nostratibus.

Cap. XIII.

§. 1.

Scito, quod Adam Protoplastes habuerit Psychen, Spiritum & Mentem è mundo Factivo, Formativo & Creativo: & præterea Psychen, Spiritum & Mentem è mundo Emanationis, nimirum è Regno, Pulchritudine, & Informatione: qui tres gradus vocantur splendor supernus. Illo autem tempore cum peccabat, nondum natus erat Kain; sicut notum est è libro Sohar. Atque tunc ab ipso tollebantur gradus illi Psyches, Spiritus & Mentis mundi Emanativi. Unde postmodum Chanoch accipiebat gradum Mentis, de Splendore superno Emanativo: ex quo ipse fiebat Angelus Metatron. Elias autem bonæ memoriæ accipiebat mysterium Spiritus Emanativi: unde & ipse merebatur fieri Angelus, ita ut non moreretur. Psychen autem Emanativam accipiebant Kain & Hebel, ut eandem aliquatenus restituerent, ab illa corruptione, qua bono immixtum fuerat malum.

§. 2. Mens igitur vocatur Princeps mundi, eò quod derivata esset ab Emanatione ipsa; & dominium habeat in omnes mundos cæteros.

§. 3. Et quia in Sohar tract. Tosiphtah sect. Noach traditur: quod cuilibet justo duo sint Spiritus; unus inferius, & alter superius: unde duplex illa appellatio: Abraham, Abraham &c. Hinc nullum tibi exurget dubium: quisillo tempore, cum Chanoch esset in terris, fuerit Dominus mundi superius in mundo Metatronis.

§. 4. Atque hinc quoque intelliges dictum illud Gen. 2. v. 17: quia *qua die ex ea comederis, moriendo morieris.* Revera enim mortuus est Adam eadem die, quia ab ipso tollebantur tres illæ partes mundi Emanativi: quo mortis genere nullum dari potest majus.

§. 5. Eadem autem pars Mentis deinceps derivata est in Josephum justum: unde pulchritudo Adami Protoplastæ, quam iste habuerat à Splendore hoc superno, spectanda postmodum erat in Josepho. Nimirum hic mentem illam assequebatur eadem nocte, qua finiebatur servitus ejus, & ipse extollendus erat in statum Regimn. Unde dictum illud Gemaræ: Eum septuaginta linguas didicisse eadem nocte; quod nimirum acciperet Mentem Metatronis præfecti septuaginta populorum & linguarum, quas omnes callet. Et huc pertinet illud Psal. 81. v. 6. *Testimonium in Joseph posuit.* Quem locum conferas cum loco Job. 16. v. 19. *In cœlis testis meus.* Ubi per testem intelligitur Metatron, ita ut per testimonium illud in Josepho positum Metatron intelligatur, quoniam עֵדִי testis meus, & חָכִיר eundem referunt numerum; Et hæc portio tradita est Josepho. Cum autem sequitur Job. 16. v. 19. *Et testis meus in excelsis*; ibi intelligitur Elias, ut notum est. (Hic conferre aliquis posset locum Apoc. 11. v. 3.)

§. 6. Et quia Mens illa nondum subjecta fuerat morti, cum moreretur Adamus; eò quod ablata esset ab eo ante mortem ejus: & postea etiam puniebatur Josephus, eò quod ad invidiam commoveret fratres suos per somnia sua: hinc tandem eadem Mens revolvebatur in R. Jischmaële filio Elischah sacerdote magno, ut sufferret pœnam mortis realiter. Quare & hic pulcherrimæ erat formæ ad instar Josephi. Unde Metatron in libro suo, qui dicitur Capitula palatiorum, eundem semper vocat, gloriam splendoris sui.

§. 7. Elias autem suam portionem Spiritus accipere non merebatur, nisi per factum illud in Sittim Num. 25. v. 7: *Et tunc accipiebat eum.* Hinc de illo nunquam nisi istius Spiritus saltem fit mentio. Atque tunc dabatur ipsi *fœdus pacis* loc. cit. v. 13. Qui est Spiritus iste Emanativus: unde vocatur Pax, quia mysterium Spiritus ibidem in pulchritudine nempe & fundamento consistit; qui gradus ambo vocantur Pax. Confer Jesch. 57. v. 19: *Pacem, pacem longinquo & propinquo.*

§. 8. Psyche autem Emanativa tandem tradita est Kaino & Hebeli. Portio autem Kaini revoluta est per omnes revolutiones jam notas, per Kenan & Mahalaleel: usque ad Nadab & Abihu.

§. 9. Sic igitur Patriarchæ radicem quidem animarum suarum etiam habebant ab

ab Emanatione: sed tantum à benignitate, severitate, & pulchritudine: sicut & Moses Magister noster super quo pax, descendebat è Cognitione. Sed Adam Protoplastes ortum habebat à Sapientia & largitione intellectus, nec non pulchritudine & Regno omnibus simul sumtis.

Cap. XIV.

§. 1.

De animabus novis: item si quis scire velit, quænam sit radix animæ ejus, & à quo procedat initio, notanda sunt sequentia. Scito ab initio omnem creationem (animarum), etiam ab Emanatione provenientium, factam esse per mysterium junctorum tergorum. Deinceps autem tempore Creationis Adami in hodiernum usque diem Deus animas illas novas producit (de quibus dictum est supra), per mysterium junctarum faciei rum. Postquam enim junctis tergis factæ essent, cum exilio gloriæ cohabitantis descenderunt in cortices. Si quis autem Justus perfectissima attentione meditetur; ille animam (talem) novam educere potest, (è corticibus,) ita ut sursum redeat atque emergat. Juxta illud Thren. 3. v. 23. *Nova singulis matutinis &c.* Tunc enim innovatur talis anima, atque illinc descendit per mysterium junctarum facierum: ipsisque imputatur, quasi nunc primitus crearentur. Et tales animæ non adeò pronæ sunt ad peccandum, sicut cæteræ animæ trium mundorum inferiorum, quæ nimirum sunt Psychæ, Spiritus atque Mentes.

§. 2. Futuro autem tempore post resurrectionem mortuorum animæ adhuc aliæ novæ advenient, ex ipso Emanationis mysterio ortæ, quæ adhuc erunt sublimiores & præstantiores, quam animæ Emanativæ Adamo Protoplasto datæ, sub nomine Splendoris illius supremi.

§. 3. Et huc pertinet illud, quod in Sohar dicitur Sect. Pekude: Quod ab illa die, qua vastatum est templum, nullæ animæ ingressæ sint palatium Amoris. Ubi tales animæ intelliguntur.

§. 4. Sed animæ, quæ è tribus mundis inferioribus descendunt, hoc tempore prodire possunt. Omnes autem cæteræ animæ ortum habent ab anima Adami, quem cum Sanctus ille, qui benedictus sit, primo creasset Androgynon, i. e. duas Personas tergis junctas; deinde serra quasi dissecuit, ut aversas ejus facies ad se invicem converteret. Unde patet, radicem omnium animarum ab illo descendere.

§. 5. Scito autem, quod Adam constiterit è 248 membris cum infinito pilorum numero, variisque illorum speciebus. Ab istis omnibus certæ quædam animarum species provenerunt, quæ sunt animarum radices. Quare scire quilibet merito deberet & agnoscere, quomodo omnes illæ animarum radices speciatim secundùm membra animæ Adami dispertitæ fuerint; & quomodo voceturilla radix animarum, unde proveniat ipse; & sic per omnia membra.

§. 6. Porrò etiam notum est, quod maxima pars animarum descenderit à Kaino & Hebele, quæ deinceps ulterius subdivisæ fuerunt.

§. 7. Ut autem exemplo rem declaremus : Si Hebel repræsentasset caput animarum ; tunc diceretur radix omnium animarum, quæ essent in membro capitis. Atque sic si Abraham est mysterium brachii dextri : dicendum est, quod omnium illarum scintillarum atque animarum, quæ ad brachium hoc pertinent, vera radix sit Abraham. Et sic porrò per omnia 248. membra. Multa autem hic ubivis occurrunt singularia, quæ antequam assumamus, dicendum prius est de Conversione, seu pœnitentia.

Cap. XV.

§. 1.

SCito, has esse conversionis species ; si quis Psychen habet de mundo Factivo ; ille dum peccat, mundum Factivum separat à Formativo : illum igitur eò usque redire oportet, atque converti, donec reducat iterumque societ mundum Factivum cum Formativo per mysterium partium Psyches suæ.

§. 2. Ita si quis habet Spiritum de mundo Formativo, ille eatenus restituendus est, ut iterum elevet atque reducat mundum Formativum ad Creativum.

§. 3. Atque sic etiam qui Mentem habet de Creatione, eandem reunire tenetur cum Emanatione. Et hæ tres species pertinent ad tres mundos inferiores.

§. 4. Porrò adhuc aliæ dantur species sublimiores, quæ sunt quinque. Primo ut reducatur regnum Emanativum in locum suum sub fundamento. Secundo, ut idem regnum reducatur in Victoriam, Gloriam & Fundamentum, illumque locum unde effluxit. Tertio illud ipsum reducere usque ad Benignitatem, Severitatem & Pulchritudinem. Quarto, idem porro deducere usque ad tria cerebra Microprosopi. Et quinto idem tandem usque ad Patrem & Matrem reducere. Quare conversio dicitur gradus octavus (quoniam octo graduum promotionem continet.)

§. 5. Porrò sciendum, quod quæ est ratio animæ hominis ; eadem quoque sit ratio corruptelæ ejus. Exempligratia : si quis habeat Psychen de Emanatione, is eidem loco etiam corruptelam infert. Et sic juxta omnes species.

§. 6. Est tamen hic differentia quædam, v.g. ponatur aliquis, ut A. & simul alius, qui ortum habeat de radice animæ hujus, qui ante illum vixerit, ut B : si hic B. in prioribus suis revolutionibus habuit Psychen & Spiritum, & vitium admisit in Spiritu suo ; istum revolvi oportet in homine illo A ; quamvis in illo A. nonnisi Psyche sit. Si igitur & ille A peccet, tunc illius corruptela eousque ascendit, ac si haberet Spiritum : & conversio ejus sic institui debet, ac si in se habuisset Psychen & Spiritum, & corrupisset ambos gradus. Atque sic deinceps. Unde sciendum est, in qua quis revolutione sit, & cujus radicis, ut ritè fiat restitutio, sicut dictum est alibi. Quamvis enim in ordine Revolutionum anima alicujus vigesima sit vel trigesima à quodam, & primus illorum habuisset Psychen, Spiritum & Mentem de mundis inferioribus, Factivo, Formativo & Creativo, inque iis vitium passus sit : tunc omnes, qui ipsum sequuntur, tenentur

tentur restitui, ac si quilibet corruptus esset usque in Creationem, quoniam etiam Psyche accipit lumen de mundo Creativo ipso per Mentem.

§. 7. Si vero ultimus iste Psychen haberet solam ; decem autem priores tantum habuissent Spiritum ; & ultimus atque decimus tantum accepisset mentem, & quoad hanc corruptus esset, tunc novem revoluti priores restituendi tantum sunt secundum gradum Spiritus ; Qui autem porro sequuntur, ab eo, qui Mentem habuit, & ulterius, restituere tenentur corruptelam suam sub mysterio Mentis. Et sic porrò circa alia specialiora.

§. 8. Unde patet, quod homo interdum peccet lapsu quodam levissimo, & tamen propterea puniatur, ac si atrocissime deliquisset. Et huc pertinet illud Jesa. 40. v. 2. *Num suscepit de manu Domini duplicia in omnibus peccatis suis* ; quod probè notandum est.

Cap. XVI.

§. 1.

HÆc una est de quadringentis illis quæstionibus, quas proposuerunt Doëg & Achitophel, de turri volante in aëre : Sciendum enim, omnes masculos revolvendos esse constanter. Et huc pertinet illud Ecclesiastæ 1. v. 4. *Generatio vadit, & generatio venit, & terra in seculum stat.* Unde patet, mulieres non revolvi ; hæ enim tantum veniunt per mysterium imprægnationis cum scintillis animarum novarum. Quare plures sunt mulieres : prout etiam plura sunt judicia rigorosa, quam misericordiæ & benignitates.

Cap. XVII.

§. 1.

QUandoque autem vir cum revolvitur mutatur in fœminam. Et si id fiat, mulier illa generare non potest, donec eandem ingravidet anima Fœminina. Sed hæc omnia latius vide supra cap. 13.

Cap. XVIII.

§. 1.

POstquam homo accepit Psychen & Spiritum, & in posteriore deliquit, ut propterea revolvendus sit : quomodo Spiritus habitare poterit in Psyche sua ; quoniam hæc jam restituta est ? nimirum inseritur Psychæ Proselyti. Idem quoque accidit Menti, si Psyche sit restituta ; tunc accipit Spiritum justi cujusdam, qui ipsi fuerit similis juxta opera sua : Et iste eidem inservit ad instar Spiritus. Et sic in restitutione proceditur, usque ad Mentem.

§. 2. Unde Gemara dicit; Majores esse justos in morte sua &c. Post mortem enim & excessum ab hoc mundo, talis cum justo illo abit, & per illum accipit influxum.

§. 3. Quod si vero vitium admiserit Spiritus ejus, tunc in revolutionem venit cum Psyche sua, ut restituatur; quæ dicit Hos. 2. v. 7. *Vadam & revertar ad virum meum priorem.* Idemque etiam in Mente accidit.

Cap. XIX.

§. 1.

SCito, quandoque fieri, ut si irascatur homo, ab ipso tollatur Psyche ejus; ipsique illius loco detur Psyche alia. Et hoc est mysterium illud, de justo quodam, qui per totam vitam suam probus fuit; & tandem malus fit: vel contra.

§. 2. Et sic etiam, si morbum quendam magnum sustinuerit, aut verbigratiâ epilepsia laboret, tunc mutatur anima ejus, abitque in alium.

§. 3. Et hoc casu fieri potest, ut cuidam destinata sit in uxorem vera consors ejus; quæ tamen deinde casu mutato ducitur ab illo alio, quod notandum.

Cap. XX.

§. 1.

ALia ratio, quare mulieres non revolvantur, hæc est: Quia viri, propterea quod studium legis exercent, non abeunt in Gehennam: Hinc obligati sunt revolutiones pati. Mulieres autem puniuntur Gehenna, nec opus habent revolutionibus.

Cap. XXI.

§. 1.

DE radicibus animarum notanda sunt hæc: Notum est, quod psyche sit de mundo factivo, & Spiritus de formativo, & mens de creativo. Item quod in emanativo psyche sit è gradu regni; Spiritus è Microprosopo; & mens è largitione intellectus, & vitalitas è sapientia.

§. 2. Nulla igitur est radix, quæ non particeps sit omnium istarum specierum. Radicum ergo natura dividitur in quinq; genera, quæ sunt Macroprosopus, Pater & Mater, & Microprosopus atque uxor ejus.

§. 3. Circa mundi igitur initium, eodem modo se habebat splendor supernus Adami Protoplastæ, ubi Chanoch accipiebat mysterium Macroprosopi & Adam, patrem: Et Eva, Matrem: Et Cain regnum: Et Hebel Microprosopum. Ubi meritò quidem Hebel præcedere debuisset Cainum: Sed quia Adam peccabat, & bono immiscebatur malum: Hinc Cain prodibat prior præter ordinem.

§. 4. Omnes

§. 4. Omnes ergo homines radicantur in istis quinque radicibus mundi emanativi. In cæteris autem mundis etiam quidem occurrunt quinque hæ radices: Sed istæ annexæ tantum sunt illis emanativis, & sub illis comprehenduntur.

§. 5. Quælibet autem è quinque his radicibus subdividitur in decem: Unde oriuntur quinquaginta radices. Atque sic porro proceditur per multos gradus, ut latius dicetur.

§. 6. Porro sciendum etiam, quamlibet radicem in se continere personam integram, juxta omnia membra sua. Unde quælibet radix distribuitur in 248. membra & 365. vasa seu venas. Atque ita se res habet in omnibus radicibus tam psyches quam Spiritus & mentis: Quæ ideo sunt 613 scintillæ, & hæ omnes sunt discipuli Sapientum.

§. 7. Postmodum autem scintillæ dantur plurimæ aliæ de plebejorum genere: ad instar arboris, quæ producit fructus, circa quos quam plurima sunt ligna, & folia.

§. 8. Fieri ergo potest, ut aliquando uno in loco, uno que tempore & in una generatione inveniantur quinque vel decem scintillæ de radice una simul: Quia accidere potest, ut dum advenit scintilla quædam oculi unius, etiam adveniat scintilla oculi alterius. Vel si adveniat articulus digiti unius, ut adveniant omnes articuli primores omnium digitorum. Et sic quoque in vasis vicinioribus.

§. 9. Unde mirum non est, quod Rami Bar Chama & R. Dimah Neharduus, & Abbaja, fuerint coævi.

§. 10. Quandoque etiam ob aliam rationem idem evenit. Nam quia exulante gloria cohabitante, omnes animæ justorum inter cortices exulant: Hinc illo tempore cum justus aliquis multa præcepta observat, vel multa bona opera facit, ad illam radicem pertinentia, hoc ipso fieri potest, ut elevet & adducat scintillam unam, vel duas vel tres (eodem pertinentes) è corticibus. Et quamvis non sint scintillæ æquales, vel vicinæ sibi invicem in persona radicis illius animæ; nihil tamen refert; omnia enim sequuntur naturam præcepti à justo hoc observati, juxta proportionem animæ illius.

Cap. XXII.

§. 1.

SCito etiam, dari radices animarum, quæ nunquam prodeunt è corticibus; donec advenerit Messias.

§. 2. Et omnes animæ radicis Chur Filii Mirjam Prophetissæ, non potuerunt educere mulieres suas è corticibus: Sed omnes sunt in manu Igrath filiæ Machalath: & in manu Naëma, Matris dæmonum. Oblitus autem sum, in qua revera deteneantur.

§. 3. Prout etiam dubito, annon & Aharon ducere non potuerit veram consortem suam: Quia propinquus admodum erat radici huic, sicut alibi dicetur.

Cap. XXIII.

§. 1.

Quidam homines revolvuntur propter aliquod peccatum. Alii propter defectum alicujus præcepti. Alii revolvuntur, ut restituant & in viam dirigant alios.

§. 2. Qui primi sunt generis, proni sunt ad peccandum. Qui secundi generis sunt, remotiores sunt à peccando. Sed genus tertium nullo modo peccat.

§. 3. Interdum quis revolvitur, ut accipiat veram consortem suam. Interdum autem si valdè probus est, uxorem suam cum ipso adducunt: licet ipsa non opus haberet ut revolvatur.

§. 4. Quamvis & alia sit ratio, quare interdum mulierem simul oporteat revolvi, utut illa non sit vera consors istius. Nam sæpè destinatur ei secundum opera ejus, quoniam inter omnes mulieres nulla reperitur, quæ magis ipsi sit similis sicut hæc, quare revolvitur cum illo.

Cap. XXIV.

§. 1.

De variis revolutionum speciebus notanda sunt & hæc. Supra jam diximus, quod adhuc residuæ fuerint animæ quædam, quæ non fuerint in Adamo protoplaste; & istæ vocantur animæ omnino novæ. Omnes autem animæ in Adamo protoplaste contentæ, generali nomine dici possunt veteres, quamvis non uniformiter.

§. 2. Cum enim peccaret Adam protoplastes, multa membra ab ipso delabebantur: Prout jam supra explicuimus. Omnes ergo scintillæ illæ, quæ decidérant in profundum corticum, vocantur omnino veteres: ita ut adventus eorum habeatur pro revolutione prima: & si talis anima iterum redeat in mundum, revoluta dicatur bis, & sic porro.

§. 3. Illæ vero quæ manserunt in Adamo ipso, ad quas nimirum pertinet mysticum illud; quod nempe diminuta fuerit statura ejus in centum usque cubitos, ab illis descenderunt Cain & Hebel.

§. 4. Et quia Cain & Hebel non delapsi erant, sed manserant in Adamo protoplaste; hinc major est illorum gradus, postquam restituti fuerint, quam cæterarum radicum. Quando igitur in mundum veniunt, id non imputatur ipsis pro revolutione prima, sed idem fit, ac si adhuc in Adamo permansissent. Si ergo scintillæ quædam tales in mundum venit, illa vocatur anima quadantenus nova: Quoniam nondum per se divisæ fuerunt in scintillas. Si vero post primum hunc adventum primamque mortem iterum redeant; tunc revolutæ dicuntur prima vice.

§. 5. Differentia igitur, quæ inter istas versatur, hæc est: quod qui animam habet revera novam, primâ statim vice assequi possit omnes animæ gradus, usque ad Mentis mentem de Emanatione: nimirum secundum opera sua, idque facillimè. Si autem peccet illa vice: tunc ab illo tempore vocatur revoluta, nec accipere potest Spiritum, nisi post annos tredecim & diem unum: Nec mentem, nisi post annos viginti. Atque sic pergit, donec accipiat Psychen, Spiritum & mentem de mundo emanationis, secundum opera sua.

§. 6. Si quæ autem spectat ad alterum genus Kaini & Hebelis, illa naturæ est mediæ, & vocatur aliquatenus nova. Ratio est, quia dum adhuc essent in universitate Adami, tunc adventus illarum in mundum nondum fiebat in gratiam cujusvis in specie. Sed illæ, quæ delapsæ erant ab Adamo, jam separatæ erant, & in partes scissæ per peccatum, atque hinc vocantur veteres.

§. 7. Si igitur in mundum veniat anima quædam de genere Caini & Hebelis; illa etiam prima vice assequi potest Psychen, Spiritum & mentem, & prætera psychen de Emanatione, sed non ulterius. Ratio, ut jam supra diximus, hæc est: quod ab Adamo cum peccaret, tolleretur splendor supernus: ita ut de partibus hujus splendoris mundi Emanativi in illo non maneret, nisi psyche Emanativa tantum. Unde scintillæ tales Cainitiæ & Hebelicæ prima vice statim cousque expurgari queant, ut accipiant psychen de emanatione, quam nimirum antea jam habuerant: sed non ultra.

§. 8. Et hoc ipso quidem prærogativam quandam habent præ anima nova: quod gradus hos omnes accipere possunt uno quasi momento. Unde dicit R. Schimeon Jochaides sectione Mischpatim fol. 94. col. 2: Si probior sit; datur ipsi mens ejus, &c. quod autem dicitur in Tractatu de Sene fol. 98: rem nempe ab annis dependere: intelligendum de anima penitus nova.

§. 9. Alio tamen casu defectum habent, præ animabus planè novis. Quoniam qui novam planè animam habet, accipere potest omnes partes suas, Psychen, Spiritum, mentem, &c. subsequenter secundum gradus annorum, & quidem in corpore uno: ita ut psyche possit fieri habitaculum Spiritus, & Spiritus habitaculum mentis. Sed qui descendunt à Caino & Hebele, illi non possunt accipere Spiritum, restituta psyche sua, nisi tempore nocturno per impræguationem, sicut dicit Propheta: *Psyche mea desiderat te nocte.* Quoniam psyche, postquam restituta est, exit ab eo somni tempore abitque viam suam. Matutino autem tempore intrat in ipsum Spiritus; cum scilicet Psyche jam restituta est secumque adducit psychen proselyti pro habitaculo suo: donec & Spiritus restituatur. Quo facto psyche redit, & ille habitat in ea, amboque uniuntur. Si que ulterius justus esse pergit, Psyche hæc & Spiritus ab ipso emigrant: descenditque Mens, ut perficiatur & restituatur: atque sic coadununtur omnes tres gradus. Ante restitutionem autem neutiquam in revolutionem venire possunt gradus ulteriores: cum ne id quidem fieri queat, quod evenit, nisi labore multo, magnisque meditationibus: juxta illud Jobi: *Si applicuerit animum, Spiritus & Mens ejus accedere possunt* &c. Interdum enim fit, ut perfecta sit Psyche ejus, & ipse meditari nesciat, qua ratione adducere queat Spiritum suum somni tempore, ut dictum supra; atque tunc moritur; & hoc modo Spiritus in alio corpore accedit pro restitutione sua. Qua impetrata cum ipso iterum unitur Psyche. Atque sic idem quoque fit cum Mente, si ignoret meditandi

methodum. Unde fit, ut multi revera justi moriantur tamen, quando eousque perfecerunt Psychen suam, nec tamen meditari sciunt. Et huc pertinet illud Hiob. 4. v. 21. *Morientur, & non in Sapientia.*

§. 10. Tertium autem animarum genus, quæ vocantur veteres, nonnisi unum saltem gradum restituere possunt una vice. Nempe, si quis accedat, pro restitutione Psyches suæ, illi, hâc impetratâ, moriendum est: & deinde Spiritus ejus advenit in corpore alio, qui adeptus perfectionem, etiam moritur: atque sic etiam Mens. Si vero hunc vel illum gradum non perfecerit, revolvendus est multoties, donec consummetur v. g. Psyche. Atque tunc Spiritus mediante Psyche illa venit in corpus aliud. Idemque & cum mente fit, ut dictum supra.

§. 11. Si vero ex illis sit, qui Psychen, Spiritum & Mentem perfecerunt, & admisso peccato iterum veniunt in revolutionem; tunc eodem modo cum ipso proceditur, ut nunc dictum est.

§. 12. Qui vero accedunt pro restituendis aliis, multa simul assequi possunt, ad ipsam usque mentem Emanativam, vel gradus similes. Et hæc est ratio, quare filius R. Hammenuna Senis, & alii pueri tam admirandâ prædîti fuerint Sapientiâ, quia scilicet simul in illis fuerunt Psyche, Spiritus & Mens, prout jam fuerant alia vice.

§. 13. Dubito tamen, an etiam illorum, qui ad implendum defectum præcepti cujusdam adveniunt, non vero propter peccatum aliquod, par sit ratio.

§. 14. Ut autem ad genus hoc tertium redeamus, de quibus diximus, quod venire non possint simul in corpus unum; De istis notandum est, quod possibilitas timen detur, quomodo id fieri queat: nempe per meditationem sub prolapsu in faciem factam: ita ut tunc prodeat Spiritus talis hominis è profundo corticum, per mysterium aquarum fœminarum, qui eductus hac ratione, in mundum venire potest in corpore alius cujusdam hominis, sub illud momentum nati: vel idem etiam fieri potest in ipso ejusdem filio, si is mereatur.

§. 15. Secundum autem genus animarum Kaini & Hebelis accedere non potest per alios; sed per seipsos solummodo: unde Spiritus ejus exire non potest (è corticibus), nisi post impletam restitutionem Psyches suæ.

§. 16. Et quamvis in tertio hoc genere id evenire queat, quod modo narravimus, talis tamen homo in magno versatur præcipitii periculo: Si enim ille, qui Spiritum ejus accepit, prior perfecerit hunc Spiritum, (quam alter ille Psychen suam;) tunc in resurrectione mortuorum Spiritus & Psyche intrant in corpus hoc secundum, in quo restitutus fuerat Spiritus.

§. 17. Quod si vero restitutionem citius absolvat, individuum illud, in quo Psyche est, videor mihi audivisse ambos hos gradus intrare in corpus, in quo restituta fuit Psyche.

§. 18. Adhuc alia tamen est differentia: quod nempe & ille, qui Spiritum perficit, in magno sit periculo: si enim prior ille Psychicus justus sit admodum, in se attrahere potest, quicquid bonum est in hoc Spiritu, ut veniat in illum: hic vero remaneat

maneat totus malus. Et huc pertinet illud Psal. 7. v. 10. *Consummetur quæso malum impiorum, & perficiatur justus.*

§. 19. Quamvis & alia sit hujus dicti explicatio, non multum tamen diversa. Sæpe enim homo Psychen suam non accipit integram, sed plurima pars bona est, & pars aliquota minima mixta est malo: cum in alio pars minima boni hujus, & pars maxima mali hujus existat. Atque tunc idem quoque evenire solet, quod diximus, & de istis loquitur textus allegatus. Interdum autem dimidiam partem uterque habet tam boni, quam mali, ubi ille attractum exercet, qui prior absolvit perfectionem: si enim hic prior aliquid in se restituit, tunc hoc ipso alteri illi prævalet; & abstrahere hoc modo alteri potest omne bonum, ut ille ex adverso malum solum retineat.

§. 20. Sed hæc omnia intelligenda tantum sunt de Psyche & Spiritu. Mens enim nunquam in mundum venit, donec restituti fuerint gradus Psyches & Spiritus: hominesque illi mortui sint, qui acceperant Psychen & Spiritum: nam tunc demum in mundum prodit Mens.

§. 21. Exhinc tamen intelligi etiam potest, quod dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Achabum nempe Regem in æquilibrio fuisse: unde etiam Deus qui benedictus sit! eundem à facie sua rejicere noluerit, sed expectaverit conversionem ejus: unde etiam Elias bonæ memoriæ tantopere ipsum sit insecutus, ut eundem converteret. Et quamvis reperiamus, quod sæpius idololatra fuerit: in æquilibrio tamen fuisse dicitur, quia Psyche ejus pro dimidia parte bona, & pro dimidia mala esset: unde idololatria illa provenerit à prædominante in ipso malo. Quo ipso responderi potest ad objectionem illam; quomodo Achab dici potuerit in æquilibrio fuisse, cum potius fuerit perfectè impius. Æquilibrium nempe illud intelligendum saltem de natura Psyches ejus.

§. 22. Hoc ipsum tamen etiam David Rex super quo pax! metuebat, dum inquit Psal. 3. v. 3. *Multi dicunt Psychæ meæ: Non est salus ei.* Davidi scilicet; cum potius dicere debuissent: Non est salus ipsi Psychæ. Casus autem talis erat, quod dicerent: Psychen ejus revolutam esse, nec tamen meruisse accipere Spiritum: hinc fieri posse, ut homo quidam alius, qui Spiritum ejus acciperet, prius evaderet dignus, ut nempe & Psychen ejus ad se attraheret: quia David peccasset. Hinc futurum non esse, ut corpus Davidis resurgeret in Resurrectione mortuorum; eò quod Psyche ejus abitura sit in illud corpus, quod accepisset Spiritum. Hinc textus dicit: *Nulla est salus* ישׁ masculino genere, ut corpus intelligatur: & non dicitur fœminino genere de Psyche, sicut prius dixerat: *Multi dicunt Psychæ meæ.* Mens enim eorum fuit, alium quendam accepturum Davidis Psychen: unde nulla esset salus ישׁ i. e. corpori Davidis. Unde omnino metu non planè carere potuit. Verum enim verò, Psyche Davidis magna erat admodum: descenderat enim in cortices ex parte illorum Fœminina, quod notandum.

§. 23. De R. Schescheth cœco; de quo dicitur, quod gavisus sit, cum in Lege studeret, dicens: Gaudeas Psyche mea, tibi studui, tibi legi. Quæritur, quid hoc sibi velit? & quare potius sibi hoc fecerit, quam alii? Sciendum autem, si homo quidam non perfecerit seipsum in Revolutione prima; quod illum omnino redire oporteat secunda revolutione, ut restituatur. Duo ergo exhinc oriuntur corpora, ita ut nesciatur, utrum ex his rectificetur, & utrum ex his futurum sit dignum præmio istius studii in lege.

§. 24. Si quis ergo in Revolutione prima eousque in lege studuerit, ut parum saltem ipsi restitet restituendum: tum sane, quicquid exercetur & studetur in revolutione secunda, id omne sit in supplementum Psyches tantum, quæ exhinc in resurrectione mortuorum prodibit in corpore suo primo fundamentali: cum hoc secundum tantum commodatum sit ipsi. Præmium autem Psychæ saltem debetur, non vero corpori.

§. 25. R. Schescheth autem in priore jam revolutione vir quidam magnus extiterat, & revolutus tantum erat ob causam exiguam; unde mœrore afficiebatur multò, respectu corporis sui, quod frustra defatigaretur, cum istud non esset corpus suum fundamentale, quippe in quo tantum adesset ut hospes. Hinc dicebat ad Psychen suam: Tu gaudeas, tibi enim legi, tibi studui. Id est, in tuum saltem commodum, & non in emolumentum corporis hujus: quia nunc redibo in corpus primum.

§. 26. Notum enim est, quod ipse esset revolutio Doctoris Baba Ben Buta, qui dicebatur Pius: unde de ipso dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ, quod singulis diebus obtulerit sacrificium reatus dubiosi, quodque Herodes ipsi effoderit oculos: unde postmodum etiam in revolutione secunda R. Schescheth carus erat. (quo etiam pertinet, quod nomen ששת per Athbasch efficiat בבא.)

Cap. XXV.

§. 1.

De illo, quod dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ, quod Sapiens quidam interrogaverit alium; Cui præcepto Pater ejus potissimum incubuisset? Cui hic responderit: præcepto peniculamenti. Alius autem casu simili de Phylacteriis &c. responsum dederit: notanda sunt sequentia: quod nempe animam novam observare oporteat omnia 613. præcepta. Sed qui revolutus est, & inter veteres pertinet, opus tantum habet præcepto illo, quod ipsi adhuc defuerat. Unde intelligitur, quomodo Sapientes primævi sibi proposuerint certas quasdam virtutes; unus nimirum hanc, alius vero aliam.

Cap.

Cap. XXVI.

§. 1.

De revolutione mulierum notanda sunt sequentia. Sæpe vir mutatur in fœminam propter peccatum aliquod, quale v. gr. est admissio masculi vel similia. Talis autem mulier, in qua est anima masculina, multis opus habet meritis, ut imprægnari queat. Mysterium quoque imprægnationis ejus aliunde non procedit, nisi eandem ingravidet anima quædam Fœminina, à qua producere possit aquas Fœmininas: atque tunc idonea fit ad conceptionem. Cùm autem hæc mulier parit, anima illa eandem imprægnans, quippe quæ non nisi ut embryo in ipsam accesserat, post partum in eo statu in ipsa non manet, sed subintrat in infantem, atque hinc nascitur filia. Unde nulla mulier, cujus radix est ab anima viri, parere potest filium, sed filiam tantum: & illa filia eadem ipsa mulier est, quæ antea ingravidaverat matrem illam.

2. Interim tamen quandoque per magna merita anima illa fœminina matrem talem ingravidans non intrat in ipsum partum: sed anima alia Masculina: quo casu tamen admirandis opus est bonorum operum studiis.

3. Et si talis mulier iterum velit concipere; id fieri non potest, nisi in ipsam redeat mulier illa prima, quæ ipsam imprægnet altera vice. Unde si partus primus filia fuit, necesse est, ut illa moriatur, quò redire queat imprægnando in Matrem. Si verò primum peperierit masculum, non opus est, ut hic moriatur, sed illa saltem mulier, quæ primitus eam imprægnaverat, atque deinde decesserat, jam iterum redire tenetur. Id quod ita fieri potest novem vicibus. Sed magna ad id opus est justitia ac pietate.

4. Fieri etiam potest, ut anima hæc imprægnans secunda alia quædam sit: & non prior illa. Sed & ad hoc magnis opus est meritis.

5. Nulla etiam in mundo unquam sit imprægnatio vel embryonatus, nisi tales animæ magnam inter se habeant affinitatem, unde difficile admodum est, reperire embryonatum cum omnibus huc requisitis conditionibus saltem sui causa: præterquam quod hic requiratur singularis cognatio vel similitudo, & similia: quam singulis vicibus recurrere oportet.

6. Sciendum quoque, omnes revolutos vel maximam illorum partem primum revolvi in jumentis atque feris: unde tales liberi protervi sunt atque imperfecti: nisi fortè jam confirmati sint, quos advocet Dominus.

Cap. XXVII.

1.

Rabh Hammenuna Senex revolutio erat Mosis Magistri nostri, super quo pax! Hinc R. Schimeon Ben Jochai dicebat: Si stulti illi Babylonii scirent, excellentiam Rabh Hammenunæ senis, &c.

2. Sic quoque intellexi à Magistro meo, quod R. Schimeon Jochaides similis fuerit

fuerit Moysi: non quidem juxta splendorem illum supernum, quem Moses habuerat primâ vice: sed juxta naturam animæ, quam habebat tempore tabularum secundarum. Unde in Tractatu Idra dicitur: Testis sum ego, quod tempore secundo, cum Moses ascenderet in montem, diminutus fuerit millo partibus: quæ denotantur per נ Parvum, quod extat initio Levitici.

Cap. XXVIII.

1. משׁכּח Moscheh & הללי Hillel duo sunt nomina è nomine septuaginta duarum literarum, nim. מהשׁ: ללה: quæ vicina sunt sibi invicem. Ambo autem humiles admodum erant & modesti: (quibus eadem fuit vitæ longitudo, eò quod una saltem esset Revolutio, sed à radice fundamenti.) Unde secundum dicta Magistri nostri b. m. cùm Moses in cœlum ascendisset, accepturus legem, Deumque offendisset, corpus nectentem literis: ipse verò conticuisset: à Deo autem interrogatus, an moris non esset salutare aliquem, & ipse respondisset: Moris non esse, ut servus salutet Dominum. Dominus (autem porrò) replicasset: Saltem יהודה לך לעזרני debuisses me juvare. Literæ initiales horum verborum efficiunt nomen הללי. Videtur autem mihi eos provenire à radice fundamenti.

2. Et sic etiam R. Eliezer, qui prodierat è lumbis ejus, sicut dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ. Item Magister noster Sanctus (id est, R. Jehudah,) nec non R. Schimeon Ben Jochai b.m. Eodemque modo Magister meus b. m. qui omnes sunt mysterium fundamentorum Patris vel Microprosopi, vel Jacobi, prout alibi jam expositum est.

3. Et primo quidem R. Schimeon Ben Jochai inferiorem satis habebat locum: postmodum autem ascenderat usque in gradum Mosis, sed splendoris tantum temporis secundi, non autem primi: quia tunc excellentia Mosis magna erat postmodum; quæ tamen ab ipso tollebatur propter Israëlitas, juxta illud Deut. 3. v. 26. ויתעבר *Et excanduit Dominus mihi propter vos.* Quæ vox embryonatum etiam denotat, quod nempe diminutus fuerit usque in statum embryonatus minorennitatis.

4. Sic etiam R. Jochanan filius Zachæi, & R. Akiba duo erant brachia, dextrum & sinistrum Mosis, translati imprægnatione in Kainum. Unde ambo vivebant 120. annis, juxta illud Gen. 6. v. 3. בשגם *Eo quod etiam caro est, & erunt dies ejus centum & viginti anni.* Ubi vox illa בשגם eundem habet numerum, ac nomen משׁכּח. Hinc etiam volebat Moses, ut Lex daretur per R. Akibam. Et sic Moses occiderat Og Regem Baschan: in quo fuerat scintilla R. Schimeon Ben Nathaneël: quoniam literæ initiales istius nominis referunt nomen Basan. Hinc Moses timebat Ogum: quia scintilla hæc sancta in ipso erat; quæ deinde dabatur in manus R. Jochanan filii Zachæi, ut fieret discipulus ejus. Mihique videtur, quoniam Moses timeret peccatum, quod propterea Dominus illi dixerit: Ne timeas eum.

Cap. XXIX.

1.

De desponsationis annulo, quem sponsus dat sponsæ suæ, sciendum; quod per desponsationem circa mulierem illam oriatur lux quædam ambiens de natura Spiritus Sponsi. Deinde autem matrimonio inito primo concubitu sponsæ inseritur Spiritus quidam internus, de mysterio nominis 52, sicut notum est. Et hoc est lumen illud internum, quod pertinet ad mysterium Spiritus illius, quem ipsi dederat tempore desponsationis: qui propterea fit lux ambiens pro spiritu hoc interno. Nisi enim dedisset eidem annulum desponsatorium; etiam dare non posset eidem spiritum hunc internum.

2. Hinc etiam intelligi potest, quod ab illa hora, qua Ben Assai sibi desponsaverat filiam R. Akibæ, statim in ipsam inseruerit Spiritum illum internum, qui semper in ipsa manserit. Quam ob causam inter Ben Assai, & inter R. Akibam semper mansit affinitas.

Cap. XXX.

1.

Cum homo congreditur cum uxore sua, fieri potest, ut ambo habeant meditationes super præcepto: vel contra. Vel ut altera pars meditetur meditationes bonas; & altera malas. Jam igitur de virtute Patris filio datur mysterium lucis ambientis: & de virtute matris lux eidem datur interna.

2. Si igitur mulier bona meditetur, eodemque modo & vir; filius ille justus evadit perfectus, quoad lucem internam, & quoad lucem ambientem. Si verò contrarium fiat: contrarium evenit.

3. Si verò pater bene meditetur; & mater malè: lux ejus ambiens erit bona; interna autem mala. Ubi tamen temporis tractu lux ambiens internam vincit, ita ut & ipsa fiat bona. Si vero contrarium accidat malum ambiens vincit internum bonum; ita ut impius fiat patris instar: quoniam ambiens semper in se continet internum, idemque convertit quocumque voluerit.

4. Si itaque videris hominem qui celer est, aquilæ instar, currituque ad modum capreæ, i. e. agilis est atque promptus in omnibus operibus suis, inque labore suo expeditus; magnam hanc virtutem eidem inseruit vis patris sui. Si verò ignavus sit atque lentus; prævaluit in eodem vis matris interna. Omnia enim à parentum meditationibus dependent, quæcunque in filio reperiuntur. Si enim pater illo tempore bonis meditationibus occupatus fuit, filius promptus erit in opere suo, opere numirum cœlesti; evadetque homo excellens. Si vero meditatus fuerit veritates mundanas; filius erit deditus similibus vanitatibus, promptusque in iis.

5. Et huc pertinet mysticum illud exemplum Asahelis, qui celer erat pedibus suis in extremum usque gradum: unde sicut dicunt Magistri nostri b. m. per summita-

tes aristarum decurrere potuit, iisdem non confractis. Eo quod maxima pars vel omnia in ipsum derivata fuerant, quæcumq; meditatus fuerat pater ejus, ita ut nihil participaverit de virtute matris. Unde magna admodum in ipso fuit lux ambiens ad extremitatem usque. Omnis enim vis celeritatis descendit à luce ambiente, quæ hominem dirigit & commovet ad celeritatem.

6. Hinc pueri inveniuntur qui à locis suis vix abscedunt: & ex adverso alii qui quiescere non possunt vel unico momento: quæ omnia ab iis fiunt quæ diximus.

Cap. XXXI.

§. 1.

ALibi jam explicuimus, quod quinque dentur naturæ; Macroprosopus scilicet Pater q; & Mater, & Microprosopus atque uxor ejus. Quibus correspondent quinq; animæ species, quæ sunt Psyche, Spiritus, mens, vitalitas & singularitas: ubi Psyche refertur ad regnum; Spiritus ad pulchritudinem; Mens ad informationem; vitalitas ad sapientiam; quia ibidem vita est, ut notum, & singularitas ad coronam, quæ magis est singularis atque unica quam omnes numerationes, quoniam nulla eidem tribuitur uxor.

Cap. XXXII.

Porta Angelorum.

§. 1.

DE Elia dictoque illo Magistrorum nostrorum b. m. quod Michaël uno, & Elias quatuor (actibus seu motibus totum pervolet mundum), notanda sunt sequentia. Antequam peccaret Adam protoplastes, in ipso erant Psyche, Spiritus & mens, de mundo Factivo, Formativo & Creativo: Nec non Psyche, Spiritus & mens de Regno Microprosopo, & Matre intelligendi Mundi Emanationis: & ipse continebat omnes animas, paucis exceptis, quæ in ipso non continebantur; quæque sunt Mysterium animarum novarum. Cùm autem peccaret; jam notum est quid de eo dicant Magistri nostri b. m. idem nempe eidem accidisse, quod Jephtæ, à quo decidebant membra sua omni loco: Unde dicitur Jud. 12. v. 7. *Et sepultus est in civitatibus Gilead*, & non in civitate una. Sensus autem hic est, quòd omnes illæ species animarum, quas antehac in se continebat, antequam peccaret, ab ipso sublatæ fuerint atque delapsæ sint; deciderintque in profundum corticum, una huc & altera illuc.

2. Atque tunc quidem etiam ab ipso tollebantur Psyche, Spiritus & Mens Mundi Emanativi, quibus erat nomen splendoris superni in Adamo. Et Chanoch debitam quidem sibi portionem assumebat de Psyche, spiritu & mente mundi factivi, formativi & creativi: sed præterea etiam speciem mentis emanativæ Adami protoplastæ.

3. Sed species Psyches emanativæ manebat in Adamo protoplaste super ipso obvolitans, nec ab illo tollebatur. Cum autem generaret Kainum & Hebelem, hi istam psychen

psychen in se suscipiebant cum omnibus reliquis portionibus ad se pertinentibus de speciebus creationis, formationis & factionis.

4. In ista autem psyche datur lux ambiens & interna: Nadab igitur & Abihu, descendentes è radice Caini accipiebant mysterium lucis ambientis psyches hujus emanativæ. Elias autem bonæ memoriæ, qui erat Pinchas, deinde accipiebat lucem illam internam, ut dictum est sibi.

5. De Pinchaso autem dicitur: *Et Eleasar filius Aaron uxorem ducebat de filiabus Putiel, &c. ista sunt capita*, &c. ubi sensus hic est: quod Pinchas descenderit à duabus scintillis: nempe à radice Josephi, qui vicit (Hebr: פתפת) pravam suam concupiscentiam: & à radice Jethronis, qui sagimaverat (Hebr. פתם) vitulos pro idololatria. Quod mirum tibi non videatur: quoniam Joseph denotat mysterium fundamenti, ubi omnes animæ, tam benignitatum quam severitatum commiscentur atque concurrunt: unde sæpè mixtura quædam datur animarum, ita ut & hic anima quædam aliena admisceri potuerit radici Josephi: Præsertim quod portio Jethronis, etiam esset de psyche emanativa. Unde Pinchas ex utroque hoc genere constabat.

6. Deinde autem cùm morerentur Nadab & Abihu propter peccatum illud; tunc ambo immiscebantur Pinchaso, ratione illius portionis, quam habebat à Jethrone qui erat Kain.

7. Sciendum autem, quòd anima ad nativitatem veniens quamvis commixta sit è plurimis scintillis, (prout ista Pinchasi descendens è filiabus Putiel, id est, è duabus guttis, quia vox פוטיאל includit sensum guttarum טיפין) opus non habeat alio quodam, qui eas dam uniat. Sed si animæ quædam veniant post nativitatem; sicut animæ Nadab & Abihu, quæ deinde veniebant in Pinchasum; illæ opus habent anima quadam alia è supernis descendente, quæ ipsas simul uniat: & hanc animam non oportet esse revolutam, sed adventu primo in mundum venientem.

8. Hæc ergo anima hoc loco vocabatur Elias Thisbites ex Habitatoribus Gilead eratque de radice Gad. Hæc ergo de novo accedebat, ut uniret animas Nadab & Abihu cum Pinchaso.

9. Porro autem ad uniendum etiam novam hanc animam cum illis veteribus, accedit anima adhuc alia nova; quæ tunc erat de radice Benjamin: sicut dicebat Elias b. m. ad sapientes: de posteris Rachelis ego descendo. Unde hoc loco quatuor existunt animæ: Primo Pinchas ipse; Secundo Nadab & Abihu: Tertio Elias Thisbites; & quarto Elias de tribu Benjamin. Sicut in libro Chronicorum istius sit mentio, cùm dicitur: 1. Paral. 8, 27. Et Elia & Sichri filii Jerocham.

10. Hoc ergo est Mysterium illud, quod Magistri nostri dixerunt: Elias quatuor & Michaël duo, &c. & quamvis quatuor illæ animæ adhuc plures alias in se contineant; Sicut Pinchasus in se habebat duas guttas; & Nadab quoque atque Abihu duo erant: attamen compositas illas pro una tantum habent. Pinchas enim quamvis constaret è duabus guttis, unum tamen saltem erat individuum: Et Nadab & Abihu duæ erant medietates corporis.

11. De casu autem Jephtæ Gileaditæ jam notum est, quod dixerint Magistri nostri bonæ memoriæ utrumque tunc peccasse, Pinchasum nempe & Jephtam. Jiphtach enim dicebat: Veniat ad me Pinchas; quoniam ego sum Rex atque judex, & liberum me pronunciet à voto meo. Elias autem qui erat Pinchas dicebat: Cui cor dolet accedat ad medicum. Atque sic ambo peccarunt, ut viam suam iverit filia Jiphtach. Jiphtach autem gravius punitus est, quia gravius etiam peccaverat, quoniam eundem tangebat negotium: quare ab eo delapsa sunt membra ejus, ut dictum supra. A Pinchaso autem ablatus est Spiritus Sanctus, sicut dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ ad locum illum: 1. Chron. 9. v. 20. *Antea cum ipso erat Dominus.* Unde apparet, quod postmodum Dominus cum ipso non fuerit. Atque tunc ab ipso tollebantur Nadab & Abihu: Et saltem in ipso manebat gutta Josephi; guttâ nimirum Jethronis ab ipso sublatâ. Quod propterea fiebat, quia fundamentum peccati hos potissimum tangebat. Nam Nadab & Abihu in eo prædominabantur: Et sic etiam duo illi Eliæ Gadites & Benjaminites in eo dominabantur pariter. Gutta autem Josephi remotior erat à peccato quam gutta Jethronis, quæ erat gutta Caini, qui in Jethrone saginaverat vitulos idololatricos, magnusque erat Pontifex, unde ab ipsius parte peccatum potissimum denominatur.

12. Cùm igitur hæc gutta Jethronis è Pinchaso tolleretur, tunc generabatur Chiel de domo Eli, 1. Reg. 16. v. 34. & illein hoc revolvebatur. Nam litera א & ח mutetur in ה eædem sunt. Porro etiam literæ ראל sunt literæ אלי quare dicitur. *Chiel domus Eli*; Quasi sensus sit, illum Hielem fuisse domum sive habitaculum Eliæ: Quia Elias primo habitaverat in corpore Pinchasi, qui erat gutta Jethronis (& postea factus est Chiel.) Individuum ergo illud radicaliter erat de natura Pinchasi; & in eo non prædominabatur Elias; sed illud tantum vocatur diversorium Eliæ.

13. Dicunt autem Magistri nostri bonæ memoriæ, Hielem fuisse virum insignem; sed peccatum prius cum voto Jephtæ commissum, eidem causabatur peccatum aliud. Nam in peccato de filia Jephtæ causa erat votum aliquod: atque sic etiam in peccato Hielis votum aliquod & anathema occurrebat, quod nimirum Josua juraverat de non reædificanda Jericho.

14. Dicit autem Scriptura, Jud. 1. v. 16. *Et filii Cain ascenderunt de civitate palmarum*, quæ est Jericho. Unde patet, quod urbs hæc quasi appropriata fuerit radici Caini; quare eandem reædificabat Chiel, qui erat de radice Kaini.

15. Deinde autem dicitur Elias Thisbites: quo denotatur anima illa de tribu Gad. Quia Nadab & Abihu nondum erant restituti: Et Pinchasus ipse etiam peccaverat: Elias autem de tribu Benjamin tantum accesserat ad uniendum illum cum animabus novis. Unde patet istum hoc loco jam fuisse fundamentalem; nec amplius vocatum Pinchasi nomine, sed nomine illius animæ quæ erat de tribu Gad; quæque in Legatione

tione Domini pergebat donec restituerentur Nadab & Abihu, cùm procederent in facies suas, & dicerent: *Dominus est Deus.* Tunc enim remittebatur peccatum Nadabi & Abihu, quod intuiti essent gloriam cohabitantem: quodque extirpassent plantas, & vitiassent gloriam divinam. Quare bis dicunt: *Tetragrammaton est Deus*, ut restituerentur ambo, Nadab scilicet & Abihu. Atque tunc ablati sunt ab eo Nadab & Abihu, seque separarunt, cum Pinchas (id est, Elias) fugeret in speluncam. Cùm autem è mundo discederet & in cœlum abiret, uterque dabatur Elischæ, prout ille dicit: *Sit, quæso (Heb. נָא) duplicatus illa spiritus tui super me.* Ubi literæ initiales vocularum נָא designant, Nadab & Abihu. Literæ autem initiales harum vocum נָא שִׁנַּיִם efficiunt נפש: quia isti erant portio psyches emanativæ Adami protoplastæ.

16. Elias ergo Thisbites, qui erat de tribu Gad, ascendit in cœlum, ibique relictus est, nec amplius descendit: residua igitur fuit portio Eliæ Benjaminitæ: qui revolutus est in illum, de quo scribitur 1. Paralipp. 8. v. 27. *Et Elias & Sichri Filii Jerobeam.* Et deinde unitus est cum illo Elia Thisbite superno. Et hic est Elias ille de tribu Benjamin, qui ascendit & descendit, & loquitur cum sapientibus, & edit miracula. Unde intelligi potest illud, quod ipse dixit: se de posteris Rachelis descendere: quoniam illi nesciebant, quænam pars de supradictis ipse esset.

17. Hic igitur unitus fuerat cum illa gutta Jethronis, quæ data fuerat Hieli, ibique mortua, quam deinde ad se assumsit Elias. Altera autem gutta Josephi, de qua dictum supra ab Elia data est Jonæ filio Amithai: qui aliquando futurus est Messias filius Joseph, de tribu Ephraim. Unde etiam dicit in Gemara Elias: Iste puer, quem ego resuscitavi, est Messias filius Joseph. Unde etiam in Sohar dicitur: Jonam de partibus Eliæ descendere. Id ipsum autem, quod porro remansit Eliæ vero, fuit Elias ille de tribu Benjamin.

Cap. XXXIII.

§. 1.

De quæstione illa: quoniam tam Angeli, quàm Animæ humanæ omnes factæ sint de copula quadam superna; quare nihilominus Angeli remanserunt spirituales & incorporei: homines autem fieri oporteat corporeos, & quæ istorum sit causa? notanda sunt sequentia. Duæ sunt species, ut supra jam dictum est, copulæ supernæ: una Spiritualis & incorporea; & alia corpore facta. Copula autem Spiritualis est osculi; quæ sicut alibi diximus, copula saltem est halitus Spiritualis prodeuntis ab ore è tribus numerationibus supremis.

2. Copula autem inferior, quæ congressûs vice est, magis est corporea, in qua vera gutta specialis prodit.

3. Jam

3. Jam quoque manifestavi radicem totius hujus scientiæ: quod nempe omnia dependeant à mysterio septem illorum Regum: quorum pars omnium excellentissima selecta est pro mundo Emanativo: vilior autem paululum, selecta est pro Creativo, & quod adhuc diminutius, selectum fuit pro formativo: & quod adhuc inferius, cessit mundo Factivo: omnium autem vilissimum vocatur scoria auri purgati, quod nullam penitus habeat utilitatem: & hæc vocatur corticum nomine: quoniam nihil amplius inde secerni potuit; sed omnia sunt judicia omnium rigorosissima, ita ut ipsa huc pertineant putamina.

4. Necesse tamen est, ut scintillæ adhuc quædam minimæ in illis deliteſcant, quæ sunt mysterium undecim aromatum suffitus. Quæ tandem in futuro tempore adhuc secernentur, ubi tandem dicetur: *Absorpta est mors in æternum.*

5. Quod autem jam diximus de quatuor mundis; id penitus quoque occurrit in singulis. Exordiemur autem à mundo Emanativo: in quo, quod omnium fuit excellentissimum, selectum est pro sene illo decrepito: quod subsequens pro Macroprosopo &c. & quod ultimmum pro Microprosopo & uxore ejus. Idemque omnino factum est in mundis quoque cæteris, Creativo, Formativo, & Factivo. Idem quoque omnino factum est in decem Numerationibus cujuslibet Personæ in specie; quibus tamen diutius non immorabimur.

6. Sciendum quoque illo tempore, cum secerneretur Senex decrepitus, de mundo Creativo, nihil adhuc selectum fuisse vel secretum penitus: prout nec de ipso mundo Emanativo. Summa huc redit, quod omnes quatuor mundi sint selectiones istæ è septem Regibus: & hæc est radix totius hujus Scientiæ.

7. Non licet autem nobis sermonem instituere de illa copula, quæ fuit ante patrem & matrem: quoniam de Macroprosopo dicitur Jesai. 51. v. 2. *Quia unum vocavi eum*; non additò sociò quodam secundò. Mulier ergo prima, quæ occurrit in tota universitate, est mater. Unde in Patre & Matre incipimus mentionem facere copulæ.

8. Postquam autem plenè secreti erant Pater & Mater, necesse fuit, ut copularentur; ad producendam naturam Microprosopi, & Uxoris ejus. Jam dictum est autem, impossibile esse, ut vel minima seligatur aut secernatur scintilla, nisi per copulam: quoniam scintillæ hæ ascendunt ab imo sursum; è loco scilicet, in quem delapsæ erant: ibique intrant in uterum fœminæ alicujus, ibique morantur toto tempore conceptus; adeoque mitigantur atque conformantur in conceptum personæ cujusdam.

9. In utero autem matris supernæ secernuntur tantum Microprosopus & uxor ejus; nihilque præterea. In utero autem uxoris Microprosopi secernitur caput mundi Creativi usque ad Macroprosopum.

10. Et quia diximus non posse fieri mentionem copulæ, nisi à Patre & Matre, & porro deorsum; hinc tres supernas mundi Creativi simul conjungimus, quod nempe secretæ sint simul. Qui prudens autem fuerit, rem ipsam per se intelliget.

11. Porrò

11. Porrò autem in Matre mundi Creativi selecti sunt Microprosopus & Uxor ejusdem mundi. Idemque processus observatus est porrò usque ad finem mundi Factivi.

12. Ratio autem, quare Pater & Mater non omnia possint secernere, quæ infra eos sunt, sed Microprosopum tantum & uxorem ejus. (Conferantur hic ea, quæ Christus dicit de se, & de Patre suo locis piuribus): hæc est, quia non omnes scintillæ tantùm sunt æquales, ut possint ascendere usque ad Matrem supernam, præter Microprosopum & uxorem ejus: nam quæ de inferioribus sunt notionibus, ultra Microprosopum & uxorem ejus ascendere nequeunt: quoniam gradu nimis sunt diminuto. Et si ascendere possent usque ad Matrem, omnia vocarentur Microprosopus & uxor ejus; ita ut nulla fiat selectio, nisi à gradu proximè sese superiore, nec ultra. Sed de his satis.

Cap. XXXIII. pars altera.

1.

JAmigitur exponemus naturam copularum: & deinde subnectemus differentiam, quæ est inter Angelos & homines. Primsquam igitur secernerentur Microprosopus & uxor ejus, sane Pater & Mater copula non carebant, quia simul prodierunt, nec inter illos separatio datur unquam, sed in copula sunt semper: Quoniam autem fundamentum & ratio copularum alia non est, nisi pro facienda secretione: hinc congressu ipsis non fuit opus proprio, sed copulati saltem fuerunt per mysterium copulæ supernæ, quæ osculorum dicitur: quoniam copulâ inferiore tunc temporis nondum habebant opus. Cùm autem Microprosopus & Uxor ejus secerni inciperent, tunc Patrem quoque & Matrem oportebat copulari copula inferiore, ut Microprosopus & uxor ejus allegerentur in uterum matris supernæ.

2. Porrò quoque jam diximus, quod duæ sint species embryonatus, Microprosopi & uxoris ejus. Una est embryonatus prioris; ubi Microprosopus ita formatur ut tres semper numerationes ejus comprehendantur in tribus aliis, ita ut in lucem prodeat, sicut infans modo natus. Altera autem est embryonatus secundi, ut nempe accipiat cerebra, quo designatur status adolescendi: ita ut bis copulandi fuerint Pater & Mater, pro totali selectione Microprosopi & Uxoris ejus. Quia nulla datur imprægnatio vel embryonatus sine præcedanea copula.

3. Sed post imprægnationem secundam modo dictam, non ulterius opus fuit nova copula Patri & Matri, sed manet copula prior, post conceptionem pro adolescentia Microprosopi & uxoris ejus: quæ inservit pro conservanda vita Microprosopi & Uxoris ejus, omniumque mundorum.

4. Tres ergo species sunt copulandi in Patre & Matre, nec plures: duæ pro corpore Microprosopi & Uxoris ejus: & una pro conservanda vita, inque usum alimentorum. Et tres istæ species copularum pertinent ad mysterium copulæ inferioris, quæ est congressus.

Cap. XXXIII. pars tertia.

1.

IAmque explicabimus copulam oſculorum; cujus ſunt quatuor ſpecies, quæ dividuntur in ſeptem. Nulla enim eſt in mundo copula, quam non præcedat amplexus & oſculum. Quare hinc ſequitur, ad tres iſtas copularum ſpecies tres quoque pertinere ſpecies oſculorum: præter oſcula prima: quæ exiterunt ante ſecretionem Microproſopi & Uxoris ejus; ubi nulla adhuc erat Patris & Matris copula alia. Unde quatuor exſurgunt ſpecies oſculorum: una eſt oſculorum ab omni copula abſtractorum: & tria copulationum oſcula, quæ ſunt quatuor.

2. Hæc autem in ſeptem dividuntur hoc modo, quia oſcula copularum ſemper ſunt duplicia: nempe ante copulam pro conciliando amore: & altera durante copula, ut utraque copularum ſpecies tàm ſuperior, quam inferior concurrat. E triplici ergo congreſſu Patris & Matris ſex oriuntur oſculorum ſpecies præter oſcula prima, ſecretionem Microproſopi & Uxoris ejus, præcedentia, quippe quæ non ſunt duplicia: omnes igitur ſunt ſeptem.

3. Jam repetendum, animam hominis in plures dividi partes: quæ ſunt Vitalitas reſpectu Patris; Mens reſpectu Matris; ſpiritus reſpectu Microproſopi & Pſyche reſpectu Regni. Et hæ omnes de genere mundi Emanativi: quibus analogæ dantur in mundis quoque tribus inferioribus.

4. Unde quæſtio oritur, quomodo homini tribui queant notiones tàm ſublimes; nempe Mens & Vitalitas, quæ altiores ſunt, quam Microproſopus & Uxor ejus: cum ipſe tamen creatura ſit tot gradibus inferior, cui ne quidem dandus fuiſſet Spiritus Microproſopo proveniens, imò ne Pſyche quidem à Regno deſcendens.

5. Reſponſio autem ex eo peti poteſt, quod dicit R. Pinchas in præfatione ad Geneſin in libro Sohar: quod nempe nulla ſit anima, cum qua non prodeant duæ aves volantes; qui ſunt Angeli. R. Schimeon Jochaides autem dicit, aves has eſſe quinque. Idem ergo contingit in Microproſopo: cum hic enim prodiret à Patre & Matre, cum ipſo prodierunt aves atque animæ aliæ pro Angelis & hominibus. Quod ita tamen intelligendum, ut quamvis per illam copulam prodierint animæ hominum & Angelorum, id tamen idea quaſi ſaltem fuerit illarum, quæ factæ ſunt poſtea: quoniam hæ nondum erant perfectæ nec completæ, donec copularentur Microproſopus & Uxor ejus: tunc enim demum prodierunt per illam copulam. Radix tamen illarum è ſupernis erat à copula Patris & Matris; modo quod nondum in perfectionem deductæ fuerint, niſi poſt copulam Microproſopi & Uxoris ejus.

6. Quicunque ergo deſcenderunt è copula oſculorum, ortum habent è copula omnium perfectiſſima & ſumma; unde hi nullo opus habent corpore; ſed merè ſpirituales ſunt. Sed qui deſcenderunt per copulam inferiorem congreſſivam, quæ cum corpore fit; illos veſtiri oportet corpore, inque illo reſtitui hoc in mundo, per præcepta operibus

operibus corporeis adimplenda. Ad myſterium ergo oſculorum pertinent Angeli: & ad myſterium copulæ inferioris pertinent animæ humanæ.

7. Nihilominus tamen animæ juſtorum dantur, quam majores ſunt Angelis. Quamvis enim à copula inferiore deſcendant; attamen copulæ quædam dantur, quæ oſculis majores ſunt.

8. Nam copula pro impetrandis cerebris Microproſopi, major eſt quam copulæ reliquæ, & quam oſcula ipſa. Ordinem igitur illorum breviter ſic enarrabimus.

9. Ab oſculis nempe primis omnem copulam, & ipſam electionem Microproſopi & Uxoribus ejus antecedentibus, deſcenderunt Angeli ſancti, qui non mutantur in æternum, ſemperque perſiſtunt: ſicut dixerunt Magiſtri noſtri bonæ memoriæ, ad illud, qui format miniſtros: &c. Angelos dari, quorum nomina in æternum non mutentur; quique ſublimiores ſint omnibus Angelis reliquis. Et nihilominus dantur animæ juſtorum, quæ iſtis ſunt majores: & hæ deſcendunt ab oſculis copulæ pro conceptione ad impetranda cerebra. Quamvis iſtæ animæ non compleantur niſi per copulam ſubſequentem.

10. Deinde ſubſequuntur oſcula prima pro conceptione prima Microproſopi.

11. Porrò ſequuntur oſcula ſecundæ conceptionis primæ ejusdem. Oſcula autem ſecunda præſtantiora ſemper ſunt quàm prima.

12. Deinde ſequuntur prima pro conceptione cerebrorum cauſa: & poſtea ſecunda.

13. Deinde oſcula prima copulæ pro vita mundorum, & tandem ſecunda ejusdem copulæ. Et ſpecies pro Angelis ſunt prima, quarta, ſexta.

14. Ordo igitur ſecundum excellentiam illorum, talis eſt. Primo ſunt oſcula ſecunda pro cerebris.

Secundò, oſcula omnem copulam præcedentia.
Tertiò, oſcula ſecunda, ante conceptionem primam.
Quartò, oſcula prima conceptionis primæ.
Quintò, oſcula ſecunda copulæ mundorum.
Sextò, oſcula prima cerebrorum.
Septimò, oſcula prima pro vita mundorum.

15. Species ergo prima, tertia, quarta & quinta, pro animabus fuit: ſed ſpecies ſecunda, ſexta & ſeptima pro Angelis. Et quia Angelis opus non eſt, ut ipſi veniant in ſtatum copulandi: cùm tamen animabus eò deſcendum ſit: unde has veſtiri oportuit corporibus. Et iſtæ ſunt ſpecies animarum atque Agelorum è copula Patris & Matris deſcendentium.

16. His tamen omnino ſimiles quoque dantur ſpecies in copula Microproſopi cum Rachele: item in copula Microproſopi cum Leah: & præterea in copula Jacobi cum Rachele. Et hæc omnia in Emanatione. Eademque ratione hæc omnia quoque dantur in Creatione: item in formatione: nec non in factione. Unde patet, quam

plurimas esse species animarum & Angelorum multum à se invicem distinctas, quibus diutius non immorabimur.

17. Duplex tamen hic occurrit differentia. Multæ enim animarum species ortæ quidem fuerunt è copula mundi superioris: sed postmodum descenderunt; quædam gradu uno, quædam duobus, &c: ita ut multi sint descensuum gradus, propter varietatem corruptionum. Sic quoque dantur animæ, quarum radix ab initio fuit in illo loco, unde nunc in mundum prodeunt: & aliarum radix sublimior fuit, sed propter corruptionem descenderunt, atque nunc ex inferiore loco prodeunt: quæ non sunt unius generis. Nam illæ animæ, quæ radicem suam habent in Emanatione, & descenderunt in Factionem, illæ eousque restitui possunt & ascendere, donec perveniant ad copulam Emanativam, ibique maneant per totam vitam suam, ita ut non opus habeant revolvi. Quod contingit per mysterium orationis illius nocturnæ: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Quia tunc ascendunt sursum in copulam aliquam sublimiorem: ex qua prodit nova Creatura; donec ascendant usque in radicem suam. Atque tunc ascendunt interdiu per mysterium prolapsus in faciem matutini: tunc enim contingit copula Jacobi & Rachelis, quæ est uxor ejus fundamentalis.

18. Cujus autem radix est inferior, ille ascendere quidem potest per opera sua; ejusdem tamen ascensus tam magnus non est, atque gradus ejus primus fuerat: hinc non ascendit nisi noctu.

19. In eo tamen non conveniunt, quod omnes possint ascendere de gradu in gradum, usque in infinitum, modo vere applicent animum, & rite meditentur.

Cap. XXXIV.

Porta Prophetiæ.

1.

IAm de Prophetia & Spiritu Sancto loquemur, in quo nempe consistant & quomodo se habeant. Quamvis enim alibi de singulis jam actum sit: hic tamen in specie trademus, unde habeant ortum, & quinam sint illorum gradus.

2. Sciendum ergo, quicquid ex ore hominis prodit, non posse esse vanum & frustraneum: Nihil enim in mundo est, quod aliquid quomodocunque dici potest, ne illo quidem sono excepto, qui prodit à vibratione baculi cujusdam, & similia, quod vanum sit & frustraneum, sicut dicitur in Sohar sect. Schelach lecha & in Tikunim suppl. 21. 23. & 25. Item suppl. 20. fol. 63: ubi dicitur quomodo super voce prodeunte ab ore hominis certæ exclamationes fiant & præconia ab Angelis, & ab animabus, & à gloria coelis habitante. Qualia etiam reperimus in Sohar sect. Emor fol. 35. colum. 1. Et Pinchas fol. 229 col. 2; & 230 col. 2. ubi prolixè dicitur, quod ex omni verbo quidam creetur Angelus.

3. Quod si igitur homo justus est atque pius, studetque in lege, & precatur cum attentione; ex illis vocibus, quæ prodeunt ab ore ejus, creantur Angeli & Spiritus Sancti, qui semper durant atque persistunt.

4. Etisti Angeli sunt mysterium bonorum Dæmonum, qui varia homini annunciare solent.

5. Omnia autem ab opere hominis dependent. Nam cùm ex Lege, in qua quis studet in Dei honorem, creatur Angelus, ille sanctus est admodum, & hâc dignus in omnibus verbis ejus, veraxque & valde sublimis. Eodem modo si quis legat absque errore & vitio; ille quoque Angelus talis pariter est, ut erroribus non subsit.

6. Eodem modo, si quis opus quoddam peragat secundum hoc velillud præceptum; idque fiat prout decet, ex eo Angelus producitur admodum sanctus: & quantum deficit illi operi, tantum etiam deficit luci illius Angeli. Ubi certum quoque est, illum Angelum, qui è lege creatur, majorem esse illo, qui creatur ex opere.

7. Atque hinc intelligi potest mysterium Angelorum illorum, qui homini annunciant futura, & secreta, & mysteria: quod nimirum fiant ex ipsis operibus illius hominis. Quamvis & homines dentur, quibus planè nihil manifestatur: quæ omnia dependent ab anima vel ab operibus eorum.

8. Sunt ergo annunciatores omnino veraces: & hi fiunt è Lege & præceptis cum omni perfectione observatis.

9. Alii vero annunciatores aliqua ex parte mendaces sunt: quamvis enim Angelus talis ipse sit sanctus, & factus sit è Sanctitate; nihilominus tamen ipse homo, cùm studio suo vel operi aliquid mali vel mendacii immiscet, in causa est, ut Angelus exinde creatus ex bono constet & ex malo: ubi bonum illud, quod in ipso est, eloquitur verba veritatis, malum autem in ipso contentum mendacia profert.

10. Dantur quoque Annuntiatores, qui facti sunt è mundo Factivo tantum: si nempe solum opus quoddam fiat absque attentione. Ita qui è Formatione procedunt, ortum habent à studio Legis simili. Et qui è Creatione ortum habent à meditationibus & cogitationibus super Lege & præceptis bono quodam opere observatis. Horum autem omnium juxta singulos modos factorum plurimæ sunt species ab invicem diversæ.

11. Character autem ille, quem dedit Magister meus, unde sciri queat, an verba illius Annuntiatoris sint vera; hic erat, ut quis attendat, an ipse loqui soleat veritatem, & omnia faciat in Dei honorem, nec contraria loquatur vel faciat, sciatque explicare arcana Legis & mysteria ejus: istius hominis annuntiatorem talem esse, cui credi queat, quique talem dare possit scientiam, è quali sit exortus.

12. Mysterium ergo Prophetiæ in hoc consistit, quod illa sit vox quædam demissa è supernis, quæ loquatur cum Propheta illo. Eodemq; modò se habet Spiritus Sanctus.

Sed quia vox illa sublimis admodum est, & spiritualis, hinc per se corporeascere non potest, ut intret in aures Prophetæ: nisi prius vestiatur voce illa corporea, quæ prodiit ex ore istius hominis in studio Legis & Precibus, vel similiter. Talis si adsit, eadem vestitur vox illa superna, uniturque cum ea atque intrat in aurem Prophetæ, ut eandem audiat: absque voce hominis autem fieri illud nequit. In hoc tamen multæ occurrunt differentiæ. Sicut enim diximus, vocem illam supernam vestiri voce quadam ipsius Prophetæ: sic quoque contingere potest, ut eadem vestiatur voce justorum quorundam aliorum priorum; vel etiam sibi coætaneorum: ita ut utriusque hujus generis voces ad Prophetam veniant, & cum ipso loquantur.

13. Alia porro hic occurrit species: quod nempe in homine occurrat vox, verbum, & halitus: hinc fieri potest, ut vox talis superior vestiatur voce, verbo vel halitu ipsius hominis; vel voce, verbo, vel anhelitu justi cujusdam alterius, ita ut ambæ hoc modo vestitæ cum ipso loqui possint, ut ipsi superveniat Prophetia.

14. Nunquam autem hoc fit per verbum aut vocem aut halitum justi cujusdam alterius, nisi hic sit de radice animæ ejus: vel nisi Propheta iste fecerit opus quoddam, juxta ritum justi illius: quare hic nunc accedit, & super eo quiescit.

15. Ut autem adhuc explicatius & citra errorem hoc intelligas, sciendum, vocem illam, vel verbum, vel halitum, unde jam facti sunt Angeli tales, & Spiritus Sancti, eandem esse vocem, de qua hic loquimur, quod nempe sit vox illa superna Prophetica. Illa igitur vox supradicta jam accedit, & commiscetur cum ista voce moderna hujus hominis, quæ nunc ab eo prodit hoc ipso tempore, cum super ipso quieverit Prophetia. Sicut dictum est: *Et Spiritus Domini locutus est in me.* 2. Sam. 23. v. 2. *Et verba ejus in lingua mea sunt.* Quia Spiritus & Verbum prius, jam quievit super lingua ejus; & ex eo prodit, & ex gutture ejus vox vel verbum aliquod prodit, & loquitur: atque sic homo eadem audire potest. [confer Matth. 10. v. 20.]

16. Plures igitur sunt species: vel enim vox præterita ipsius vestitur voce ejus moderna: vel halitus præteritus verbo moderno inseritur, & sic similiter. Eademque ratione etiam vox justi cujusdam, cum voce moderna Prophetæ unitur, & sic juxta omnes species supradictas, ita ut modi quasi sint infiniti.

17. Differentia autem quæ inter Prophetiam est, & inter Spiritum Sanctum, in hoc consistit: quod Prophetia sit à voce vel verbo præterito quod vestitur voce vel verbo vel halitu præsente: Spiritus Sanctus autem est ab halitu præterito, qui vestitur halitu præsente ipsius Prophetæ. Non autem probè memini, utrum halitus primus necessario requirat halitum præsentem, an vero etiam in voce vel verbo moderno esse possit. Hoc tamen certum est, illum non esse nisi ab halitu præterito, non vero à voce vel verbo præteritis: quia tantum species Spiritus requiritur. Differentia ergo inter Prophetiam & Spiritum Sanctum circa præterita potissimum consistit. Ut Prophetia sit vox vel verbum vel halitus temporum priorum ipsius hominis vel justorum aliorum; Spiritus Sanctus autem halitus tantum sit. Et quamvis omnes Prophetæ in generalibus conveniant, multæ tamen illorum sunt species, unde etiam Prophetæ non fuerunt æquales.

18. Moses ergo Magister noster super quo pax, Propheta erat è masculo: David autem è fœmina & Spiritu Sancto.

19. Cùm igitur vox vel verbum vel halitus ipsius Prophetæ vestitur voce vel halitu ejus moderno, is gradus sanè multò est major, quàm si vestiatur vox vel verbum vel halitus justorum aliorum moderna ejus voce: quia hinc colligi potest vocem vel verbum vel halitum ejus non habuisse vim Prophetandi nisi eidem jungatur alius quispiam.

20. Moses ergo Magister noster super quo pax, speciem habebat omnium excellentissimam, eo quod vox ejus prior vestiretur voce ejus præsente: ita ut utraque vox prior nempe & posterior ipsius essent propriæ; nec opus haberet aliis. Præterea quoque hoc confert ad excellentiam ejus, quod tam primus quàm ultimus modus de genere vocum essent: notum autem quod vox major sit verbo, & verbum halitu.

21. Post Mosen secundo gradu est Schmuel Propheta: sicut scriptum est Psal. 99. v. 6. *Moses & Aharon inter sacerdotes ejus, & Samuel inter illos qui invocant nomen ejus.* Sed Prophetia quidem Samuelis erat à voce ejus priore: sed non vestiebatur voce ejus moderna; sed verbo moderno. Ambo tamen motus erant ipsius, & hæc est species secunda. Postmodum sequuntur cæteri Prophetæ; sed nullus ipsorum talis fuit, ut vox ejus prior vestita fuerit voce ejus vel verbo moderno, ut de Mosche & Samuele diximus.

22. Ordo ergo Prophetarum hic est: Ut primum locum habeat Moses & Aaron; & deinde Samuel: Tandemque Prophetæ cæteri: quorum tamen multi fuerunt gradus, ut dictum est supra.

Cap. XXXIV. pars secunda.

1.

IAm ergo explicabimus mysterium Spiritus Sancti: Nempe supra jam dictum est, quod iste oriri nequeat à voce vel verbo præterito; sed ab halitu tantum priore: qui tamen esse potest vel ipsius hominis vel aliorum: itemque quiescere potest vel in voce vel in verbo vel in halitu moderno.

2. In hoc igitur genere David Caput fuit omnium; quia halitus ejus prior vestitus erat, ita ut de Mose dictum est in Prophetia.

3. Cæteri autem possessores Spiritus Sancti ortum habuerunt ab halitu justorum aliorum: inter quos multi sunt gradus. Ubi tamen dubium meum supradictum semper occurrit.

Cap. XXXIV. pars tertia

§. 1.

IAmque ordinem Prophetiæ aliter proponemus, & non per mysterium vocis vel verbi ut superius: Sed secundum locum cui eadem applicatur in supernis; utrum nempe id fiat in Microprosopo, an vero in uxore ejus. Et unde descenderint verba Prophetissum

tiarum, non attenta distinctione superiore: quia omnia consistunt in verbo tantum & sermone.

§. 2. Quod igitur ad locum attinet, unde derivantur, & cui applicantur, & unde influxum hauriunt Prophetiæ; notorium est, quod omnes Prophetiæ, quotquot unquam fuerunt, descendunt à victoria & gloria: quæ dicuntur duo Prophetæ; item duo femora veritatis: Quia supra hos gradus nihil cognominatur Prophetiæ nomine.

§. 3. In Sohar autem reperimus, quod Moses vaticinatus sit è speculo illuminato; cæteri autem Prophetæ è speculo non illuminato. Jam notum est autem, quod speculum non lucens sit regnum; quoniam ibi nulla est Prophetia, sed Spiritus Sanctus: eo quod Prophetia superius sit in victoriæ & gloriæ gradibus, & non in regno; nec etiam in fundamento: unde etiam reperimus, quod Mosche fuerit in victoria & Aharon in gloria: quamvis præterea etiam gloria tribuatur Mosi; unde apparet, quod & ipse influxum habuerit à gloria.

§. 4. Ut autem hæc omnia explicemus, sciendum, quod victoria, gloria & fundamentum in Microprosopo; contineant integram personam uxoris ejus juxta tres ejus triades, in quarum prima sunt tres articuli primi, nempe corona, sapientia, & informatio uxoris: Et deinde tres articuli medii, benignitas, severitas & pulchritudo uxoris: & tandem tres articuli infimi, victoria, gloria & fundamentum uxoris.

§. 5. Moses ergo Caput Prophetarum vaticinabatur de tribus articulis superioribus victoriæ & gloriæ Microprosopi quoad partem ejus anteriorem. Samuel autem vaticinabatur à parte anteriore articulorum primorum victoriæ Microprosopicæ; quæ est dimidiata Prophetia Mosis Magistri nostri super quo pax. Et quidem de medietate ejus superiore; quia hic simul includebat gloriam. Et propterea dicitur æqualis Mosi: quamvis non plane fuerit sicut ille; quia Moses influxum hauriebat ab utroque gradu.

§. 6. Achias autem Schilonites vaticinabatur de duobus articulis primis victoriæ & gloriæ Microprosopi, sed parte eorum posteriore. Unde Achias Schilonites major erat Samuele casu uno; minor vero casu altero. Quatenus enim influxum hauriebat ab utroque femore victoria & gloria, eodem erat major; Sed quatenus à parte saltem posteriore erat, eodem censetur minor: Samuel enim quamvis è victoria descenderet sola, tamen applicabatur parti anteriori ejusdem: & hoc respectu major erat Achiâ Schilonite.

§. 7. Sed Elias piæ memoriæ vaticinabatur de parte postica articulorum primorum gloriæ Microprosopi, & omnes reliqui Prophetæ descendebant à duobus articulis mediis & ultimis victoriæ & gloriæ Microprosopi; Nec non à toto fundamento Microprosopi. Duo autem articuli priores victoriæ & gloriæ ecclsiores habentur fundamento, ut explicuimus alibi, ubi egimus de Sapientia & informatione & matre intellectus, quæ altiores sunt cognitione.

§. 8. Adhuc alia autem est Species Prophetiæ, quæ ab ipsa uxore derivatur, qua dicitur speculum non lucidum: Unde nempe hauritur influxus, qui à regno dicitur. Aharon ergo erat paranymphus Matronæ hujus, influxumq; suum assugebat ab ea. Et quanta

quanta erat excellentia Mosis Magistri nostri super quo pax in Masculo; tanta erat Aharonis in fœmina. Sicut enim Moses accipiebat duos articulos priores à parte anteriore victoriæ & gloriæ masculi; Sic Aharon accipiebat influxum à duobus cerebris fœminæ eorumque parte anteriore. Quoniam duo cerebra fœminæ correspondent duobus articulis prioribus victoriæ & gloriæ Masculi ut notum est. Et hoc respectu æquales sunt Moyses & Aharon, sicut dixerunt Magistri nostri p.m.

§. 9. Sicut igitur multi sunt gradus Prophetarum à duobus articulis mediis, nec non à duobus ultimis victoriæ & gloriæ Microprosopi, partim quoad faciem anteriorem, partim quoad respectum posteriorum descendentium: Ita multi sunt Prophetæ alii quorum gradus spectant ad uxorem totamque ejus personam; exceptis duobus ejus cerebris à parte anteriore consideratis.

§. 10. Circa prophetiam autem Jehoschuæ in dubio versor utrum à fundamento Microprosopi derivata fuerit; quia erat de tribu Joseph justi: an vero à parte posteriore duorum cerebrorum uxoris, ut dictum supra: Prout reperimus: faciem Jehoschuah fuisse ut faciem Lunæ, cumque vaticinatum esse per speculum, cui non est lumen; per quod intelligitur Luna, quod est cognomentum uxoris.

Cap. XXXV.

1. De sermone Avium notanda sunt sequentia: Quæcunque decernuntur in cœlis, decretorum more per præcones proclamantur in omnibus mundis: in specie autem in Mundo factivo. Eodemque modo omnia hominis peccata quæcunque à singulis committuntur, proclamantur per certum aliquod tribunal cui semper adjunctus est talis quidam Minister. Sed propter crassitiem aëris & nimiam altitudinem vox illa sublimis & spiritualis percipi hoc loco non potest. Cùm autem aves transvolant aëremque diffindunt atque separant, vox supradicta illac transire potest, & huc pertinet illud Ecclesiastæ X. v. 20. *Quia avis cæli portabit vocem, & habens alas annunciabit verbum.* Volatu enim suo vocem illam deducit.

2. Dantur ergo aves quædam, quarum mussitationi & camillationi vox supradicta applicatur, ita ut cum voce illarum simul transmittatur. Sed aliæ dantur quæ hoc aliter non efficiunt nisi volatu solo: & istæ sunt illæ, quæ nullum habent cantum, linguâque exoticâ eas dem appellant aves mutas. In loco igitur supra allegato per avem cœli intelliguntur oscines, quæ vocem supradictam voce sua referunt. De mutis autem intelligenda sunt verba sequentia, quod nempe prædictus alis annuncies verbum: Quia nimirum alis tantum utuntur, & annunciatio illarum tantum per signa fit silentii, ita ut solo volatûs sui motu vox illa innotescat.

3. Quamvis & Oscines interdum Cantu, interdum volatu vocem illam indicent.

4. Ut autem de avibus mutis aliquid superaddamus: sciendum illas ortum habere à Lilith interfectrice infantum, usum loquelæ nondum habentium: ubi omnes illæ animæ, præsertim si sint impiorum, adhærent illis avibus & strigibus: quæ causa est quare non habeant vim loquelæ.

5. Dantur etiam aves, quæ præfectæ sunt singulari huic officio, ut decreta mala annuntient: quarum aliquæ præsunt pesti, & similibus plagis. Aliæ autem lætum nuncium deferre solent: quæ pariter præfectæ sunt negotiis pluribus diversis.

6. Sed aves mutæ præfectæ sunt neci infantulorum, quamvis etiam dominium habeant, ut sciant nuncia quævis alia.

7. Corvus igitur semper mala denotat, & in specie pestem. Ex accidenti autem quandoque læta nuncia affert.

8. Milvus autem læta nutriat. Sicut & hirundo, præsertim si cessare debeat pestis. Omnis enim istius plagæ tempore hirundo non apparet.

9. Sic quoque vermes & muscæ vel culices Sapientiam sæpe annunciant, nec ullum est vivens in mundo, quod non annunciet aliquid, ne reptilibus quidem & serpentibus exceptis, nedum animantibus sive parvis sive magnis. Unde quoque nullæ repetuntur aves, nisi illis in locis, ubi habitant homines: ut nempe iisdem annuncient transgressiones suas & accidentia. Hinc de vastatione sanctuarii dicitur Jerem. 9. v. 10. *A volatili cæli usque ad jumentum transmigraverunt & abierunt:* quia nullus amplius ipsorum usus fuit.

Cap. XXXV. pars altera.

1.

Scito ab illo tempore quo combusta est Lex, tradita esse secreta ejus virtutesque ejus in manum corticum propter iniquitatem multam. Unde nulla est in mundo creatura, ne brutis quidem immundis, bestiisque & avibus, aliisque tam serpentibus quam reptilibus exceptis; quæ non aliquid annunciare possint.

2. Dæmones enim & præfecti illorum sciunt mysteria legis & arcana illius; Et dæmones illi inserunt quædam ori illorum cantibusque & voci avium de profundis legis mysteriis: ita ut qui intelligit cantillationes illarum, intelligere queat multa legis arcana. Imo in hodiernum usque diem quidam hac pollent scientia, ut intelligant cantus avium & susurros earum.

3. Sæpe hoc & aliter se habet: ita ut animæ quædam revolutæ in illis creaturis sint, quæ adhuc sciunt, ea quæ sciverant antea; ita ut multa quoque futura sciant: eo quod quædam audiant à voce præconiorum factorum intra velum (*tribunalium cælestium.*) Hæ igitur talia deinde annunciant.

4. Quandoque & alio casu hæc fiunt, ut anima quædam justi de mundo superno hac vestiatur figurâ & similitudine; quam quidem realiter non habet; sed oculis tantum ita appareat dum mysteria legis quibusdam revelat. Omnia hæc autem contingunt juxta statum hominis audientis, ut aliquid hoc vel illo modo ipsi appareat. Interdum etiam duo homines simul adsunt, quorum unus conspicere videtur speciem avis, vel alius cujusdam creaturæ; alter autem formam aliam; prout nempe in hoc vel illo gradu consistit homo.

Cap.

Cap. XXXVI.

§. 1.

Magister meus R. Jizchak Lorja beatæ memoriæ scintilla erat Mosis Magistri nostri super quo pax, R. Jizchak de Lathasch scintilla erat justi cujusdam priorum seculorum. R. Joseph Vital, scintilla erat Esræ scribæ: Et propter peccatum aliquod in priore revolutione commissum ad radicem sapientiæ veritatis (id est Cabbalæ) pertingere non potuit.

2. R. Moses Munz scintilla erat è Scheth filio Adami Protoplastæ. Filiorum Magistri mei alter scintilla erat R. Jeschebab scribæ: alter autem scintilla erat R. Crospadæi Senis. Oblitus autem sum, quisnam fuerit alteruter.

3. R. Moschе Jona erat Jochanan Sacerdos magnus: Et nunc prima vice revolutionem habebat in homine; quoniam hactenus semper fuerat in brutis & bestiis ferocibus.

4. R. Abraham Levi in se habet scintillam Jacobi Patriarchæ super quo pax, ortumque habet ex hepate Adami protoplastæ. In R. Moschе Alschich jam imprægnationem facit anima R. Schmuel Bar Nachmani: hinc magnus est orator, multosque composuit libros.

5. R. Joseph de Rulphaina mutatus est in canem nigrum diebus Magistri mei.

6. R. Moschе Corduero b. m. & R. Abraham de Witasch fuerunt Pfyche & Spiritus Zachariæ filii Jehojadah: unde se invicem admodum diligebant. Frater meus R. Moschе Vital propter peccatum aliquod in revolutione priore commissum ad perfectionem iltius Sapientiæ pervenire non est meritus.

7. R. Moscheh Bar Nachman, & R. Moschе Bar Majemon ortum habebant è mysterio duorum angulorum barba Microprosopi. Et quia in quolibet angulo locum habet nomen אל שדי, quod nomen eundem numerum atque nomen משה, hincutrumque habebat nomen משה. Nachmanides autem descenderat ab angulo dextro qui ex parte misericordiam includit; hinc in senio suo merebatur ad hanc sapientiam accedere. Maimonides autem ab angulo sinistro descendebat, ubi nil nisi judicia: hinc in hac sapientia nunquam studuerat.

8. Id quod Spiritus annunciator dixerat R. Josepho Caro b. m. de filio ejus, quod esset anima B zaleelis, id falsum fuit. Id autem quod eidem dixerat de R. Eliesere, quod Tyberiade sepultus sit stans, id verum fuit.

Cap. XXXVII.

§. 1.

De Goliatho, quod longitudo ejus fuerit cubitorum sex & unius palmi 1. Schm. 17. v. 4. notandum, quod mysterium sex illorum cubitorum pertineat ad corticem. Cortex enim Ruthæ erat Ophra (Mater Goliathi;) quæ etiam potuisset venire in sanctitatem, sed nolebat, Ruth. 1. v. 14. Sicut contigerat Leæ & Rachelі; ubi Leah etiam veniebat in sanctitatem. Quamvis enim Leah delapsa esset in partem Esavi; tamen per

fletum ſuum redibat ad Jacobum. Sicutetiam acciderat Chavvæ primæ & Chavvæ ſecundæ; quarum hæc adhærebat Adamo. Sicutenim Chavva prima abibat ad externos; ſic etiam fieri debuiſſet Leæ; Sed hæc tamen redibat ad ſanctitatem, & inſerta fuit Racheli. Eodem igitur modo facere potuiſſet Orpha; ſed nolebat, & cervicem ſuam (עורף) obvertens abibat ad exteriores. Quicquid autem ſanctitatis in ipſa erat, inſerebatur in Ruth: Et quicquid mali erat in Ruth, inſerebatur eidem. Sicut enim Rachel & Lea redigebantur in unam Synochen in Sanctitate: ita Sanctitas quæ erat in Orpha tota inſerebatur in Ruth, unde dicitur, Ruth. 4, 11. *Det Dominus mulierem venientem in domum tuam ſicut Rachel & Lea, quæ ædificaverunt ambæ domum Iſrael.* Ubi ſenſus eſt, illas duas connexas eſſe in unum quaſi ſubjectum; cujus intuitu adhibetur particula שתהם Idem quoque denotatur per voculam את האשדי quod nempe ſanctitas Orphæ inſerta fuerit Ruthæ, quod probe notandum.

2. Quibus ita ſuppoſitis, ut veris, de Boaſo dicitur Ruth 3. v. 15. *Et menſus eſt ſex hordei menſuras, & poſuit eas ſuper eam.* Ubi ſenſus eſt: quod ſicut Lea habet (ſupra ſe) ſex menſuras hordei à tergo Microproſopi, quæ ſunt ſapientia, informatio, cognitio, benignitas, ſeveritas, pulchritudo: Cum ipſa conſiſtat in gradibus imis quatuor, quæ ſunt, victoria, gloria, fundamentum & regnum: Sic etiam Orpha potuiſſet accipere ſex illas menſuras hordei ad inſtar Leæ: Sed nolebat; quare eædem dabantur Ruthæ. Unde dicitur: *Et menſus eſt ſex menſuras hordei, & poſuit ſuper eam.* Quia ſupra ipſam ſunt reverâ, & eidem inſerebantur, quoniam accipiebat partem illam ſanctitatis, quæ debebatur Orphæ.

3. Iſta enim obvertebat cervicem ſuam, & loco ſex illarum menſurarum hordei, quæ ſunt in ſanctitate, eidem dabantur ſex menſuræ hordei, quæ ſunt in impuritate: Et hoc erat malum Goliathi; cujus menſura erat ſex cubitorum & palmi; quæ ortum habebat è malo illo & ſcoriis, quæ fuerant in Ruth: nam זרת palmus eundem habet numerum ac nomen זורת adjectâ voce. Hinc menſura Goliathi erat ſex cubitorum & palmi (Heb. זרת)

4. Hinc jam intelliges, quomodo occiſus fuerit à Davide: quia etiam in his ſibi hoc contra illud poſuit Deus Eccleſiaſte 7. v. 15. Unus nempe è Ruth & alter ex Orpha oriundus erat: Ille erat ex ordinibus (Hebr. מערכות) Dei viventis 1. Sam. 17. v. 26. quæ ſunt ſex menſuræ illæ hordei, quas Boas poſuit in Ruth. Iſte verò è מערורת ſive pudendis Philiſtæorum, ibidem verſ. 23. Quoniam Orpha denudaverat pudenda ſua & expulſa erat inter diſſolutos, hinc etiam vocatur Rapha, 2. Sam. 21. v. 20. 21. Nec enim volebat benedictionem, ideoq; removebatur ab ea, unde ex ea prodierat Goliath nimirum de pudendis מערות Philiſtinorum: ſic enim ſcribitur 1. Sam. 17, 23. Et non מערכות (ſicut de Iſraëlitis dicitur v. 26.) quod dicitur reſpectu matris ejus Orpha, quę deſeruerat & contempſerat ſanctitatem, & ordines מערכות Dei viventis

5. Cum igitur David videret, quòd Goliath non poſſet intrare in ipſos hoſce ordines, quos contempſerat Mater ejus; ipſe eosdem ſibi aſſumebat, quoniam iidem ſunt quinque fruſta lapidum, quæ accipiebat de torrente, quæ ſunt benignitas, ſeveritas,

tas, victoria, gloria & fundamentum; quæ deſumebat à pulchritudine, quæ eſt torrens ſeu rivus. Lapides enim erant partes de natura rivi: ſicut easdem reponebat in Burſa paſtorum, & in pera, per quam etiam intelligitur pulchritudo, pera illa paſtorum, ubi colliguntur omnia & fiunt unum. Et iſtæ ſunt ſex iliæ menſuræ hordei, quas Boas ponebat ſuper Ruth, quæ ſeſe applicabat ad Schechinam. Et quia hinc fiebat lapis unus; hinc iſte lapis percutiebat imaginem Dan. 2. verſ. 34. & concidebat in faciem ſuam, & poſtea exhinc factus eſt mons magnus. Et quia David erat rubeus cum pulchritudine oculorum, hinc convertebatur ad eum (Goliath) eoq; viſo fiebat leproſus; lepra enim pœna eſt & myſterium illorum qui maledicæ ſunt linguæ, hinc David eidem dicebat 1. Sam. 17. v. 46. *Die hæc concludet te Dominus in manu mea, qui nempe Probris affecerit ordines Dei ſupradictos.*

6. Hinc igitur intelligi poteſt, quare lapis nullibi impetum fecerit niſi in fronte, parte nimirum ultra ſex cubitos elevata, locoque palmi qui annexus erat iisdem in cervice עורף reſpectu Matris ejus quæ vocatur Orpha.

7. Cumque videret Davidem venientem ad ſe cum baculo (Heb. מקל) [ipſe enim erat de genere Amalek, qui eſt canis (inter cortices:) & אבן lapis, quo percutere David volebat canem hunc, eundem numerum habet atque כלב Canis: Unde cum videret appropinquantem ad ſe puerum hunc] putabat eum pertinere ad genus illius pueri, qui percuſſerat Amalekum; eique dicebat: Tu ne putas me eſſe Amalekum, Canem nempe illum, cumad me venias baculis & lapide, & tu puer ſaltim ſis? Ne hæ putes; quia ego Philiſtæus ſum, & neutiquam mihi prævalebis. Adeoque probris afficiebat Davidem: & iſte occidebat eum.

Cap. XXXVIII.

§. 1.

De myſterio quare homo percutiatur in Sepulchro, alibi jam diximus plura. Quibus adjicimus & hæc. Nempe ſicut homini nomen eſt de parte boni: ſic etiam nomen habet de parte mali, & huc pertinet illud Gen. 2. v. 20. *Et vocavit homo nomina omni,* &c. Sicut enim nomina dabat iis quæ in ſanctitate; ita etiam nomina dabat iis quæ inter cortices ſunt. Cum igitur Adam peccaret, in cauſa erat, ut dimidiam Pſychen acciperet homo de ſanctitate, & dimidiam de parte corticum. Notum autem eſt, quod in mundo factivo malum prævaleat bono, nec eidem æqualiter ſit permixtum. In mundo formativo autem partes utriusque ſunt æquales, & permixtæ. In mundo autem creativo bonum prævalet malo, nec etiam æqualiter permixta ſunt.

2. Quidam igitur homines pſychen habent de mundo factivo, deque regno ejusdem: (adeoque de corticibus;) Quidam etiam Spiritum & mentem habent ex illo. Ex his quoad pſychen nulla datur reſtitutio: cumque revolvuntur & pœnam ſuam luunt, tunc in ſupernis aquæ fœmininæ tantum elevantur pro copula pulchritudinis & regni: ſicut dictum de Jerobeam & ſociis ejus, quibus nulla eſt portio in mundo venturo, cum elevare nequeant aquas fœminimas, pro copula patris & matris.

3. Qui vero non usque adeo mali sunt, ut talem mentem (è corticibus) acceperint, illi per pœnitentiam possunt restitui. Qui vero Psychen, Spiritum & mentem (è corticibus) accepit, illius ossa putrescunt, & caro ejus absumitur. Et huc pertinet exemplum Ruth & Orpha: ubi Orpha redibat ad populum suum, & ad Deos suos.

4. Et huc pertinet illud Eccles. 4. v. 5. *Stultus complicans manus suas, comedit suam carnem*: ubi intelligitur Spiritus: Et hi perdunt seipsos. Et pauci sunt hominum, qui à se separare possunt Psychen istam, in ipsa quoque terra Israelis. Et tales veniunt sub mysterio Davidis. Quilibet autem secundum opera sua vel justior fit vel deterior.

5. In horum numerum etiam referendus est, quicunque est æmulus aliorum & Zelosus in rebus mundanis: Et huc pertinet illud Proverb. 14. v. 30. *Putredo ossium est Zelus*. Et huc pertinent etiam quæ de R. Achai &c. in Tract. Schabbath dicuntur. Qui enim habet zelum in rebus Divinis, de illis dicunt Magistri nostri bonæ memoriæ: Non est Zelotypus vir cum uxore sua, nisi ingressus sit in illum spiritus puras.

6. Et quia in hanc materiam incidimus, paucula quædam de ea annectemus. Scito enim nomen יוֹסֵף & vocem קִנְאָה Zelus, eosdem habere numeros: quinumerus etiam invenitur in Tetragrammato valoris 52 ter sumto: item in nomine אֵל quinquies repetito. אַרְחָם nomen אֵל in se continet octies: ille autem refertur ad Macroprosopum: & angulus barbæ ejus est in Regno illius. Corona enim est persona integra; & sic etiam Sapientia Sapientiæ ejus. De ipsa Sapientia autem eloqui nihil possumus, nisi è supernis deorsum descendendo, & sic per totum Macroprosopum. Regnum ergo consideratur ut Macroprosopus: & huic tribuitur nomen אֱלֹהִים. Et sic etiam vox פֹּאֵר i. e. angulus barbæ, numero suo par est nomini אֱלֹהִים.

7. Tria autem sunt nomina אֵל; unum in fronte; & duo in angulis: & hæc sunt radices trium mundorum. Et primum est אֵל שַׁדַּי: alterum אֵל יְרֵחַ & tertium אֵל אוֹרִי. De reliquis autem numerationibus nihil mihi traditum est. A tribus illis nominibus אֵל datur lumen, ad nomen אֵל, quod in facie est; quod procedit in tria Tetragrammata, quæ efficiunt duodecim literas, & assumto universo efficiuntur tredecim: quæ sunt tredecim efformationes Macroprosopi: quales in Microprosopo dantur novem. Reliqua quinque nomina אֵל descendunt in Fundamentum, ad quod refertur Joseph. Illud autem sit nomen אַבְרָם quod significat Patrem excelsi: & hæc est exsuscitatio ad copulam, de qua paulò post.

8. Ut autem ad propositum redeamus; nomen אֵל plenè scriptum numero suo refert 185. Qui numerus bis sumtus est 370. quæ sunt 370 illa lumina. Et hæc sunt, quæ à tergo elucent. Totidem autem etiam reperiuntur à parte anteriore. Nam si nomen אֵל exprimatur per literas אָלֶף מ יוֹד; è plenè scriptas hoc modo: אָלֶף לָמֶד יוֹד; hinc fiunt 184, qui numerus bis sumtus additis integris vocibus sunt 370. יְשׁ. Et huc pertinet illud Jesaiæ 11. v. 8. שֹׁעֲשַׁע *Delectabitur lactens super foramen aspidis.* Ubi prior illa vox numerum illum 370 bis refert.

9. Et

9. Et sicut in Macroprosopo bis extat 370: sic idem numerus reperitur in Matre intellectus, ubi est locus susceptionis, &c.

10. Contra hæc עֹשֶׁר 370. lumina autem quæ in sanctitate datur in impuritate idem numerus עֹשֶׁר, quo denotatur vermis ossa corrodens & putrefaciens. Et sicut in Sanctitate est תּוֹלַעַת vermis, quo pertinet תּוֹלַעַת שָׁנִי vermis Cocci Exod. XXVIII, 5. 6. Cap. XXXV, 25. XXXVIII, 3. &c. ubi intelligitur nomen אַבְיוֹנִי quod numero suo refert vocem תּוֹלַע, quem numerum etiam habet vox יִתְרוֹ, item vox שׁוּר &c. & huc pertinet illud Jesa. XLI, 14. *Ne timeas vermis Jacob.* Sic etiam in impuritate datur vermis, qui arrodit carnem hominis de quo intelligendum illud: *Stultus complicans manus suas comedit carnem suam.* Et huc pertinet & illud Jes. 1, 18. *Si rubra fuerint tanquam vermiculus.*

11. Quia ergo R. Achai F. R. Joschiahu tam justus erat, ut nullo zelo persequeretur res mundanas, qui zelus provenit ab externis corticibus: hinc nullum in eo habebat dominium vermis exterior. Justus enim in vita sua restituere & corrigere potest omnia. Unde etiam David inquit; Psalm. XVI, 9. *Etiam caro mea habitabit in fiducia.*

Cap. XXXIX.

Si quis contuetur occisos vel suspendio enectos, multùm vitiat psychen suam, etiamsi vel centum cubitis ab iisdem absit.

Cap. XL.

R. Jizchak Sacerdos contestabatur se à Magistro meo audivisse, eundem qui à Rabbinis vocatur Caller, revera fuisse R. Elieserem, F. R. Schimeonis Jochaidæ.

Cap. XLI.

Si cuidam, qui obligatus est ad revolutionem, nascitur posthumus, ille revolvitur in illo Filio suo. Quod etiam fit per Mysterium Leviratus. Et hinc vocatur Doctor ille eximius Abbaja i. e. Pater: quia nempe in eo revolutus erat pater ejus. Quæ est opinio R. Abraham Levitæ. De quo tamen dubito.

Cap. XLII.

R. Jirmejahu dignus fiebat ut esset janitor ad portam Scholæ cœlestis: Quia ipsum expulerant è Schola propter hanc quæstionem: Si pes unus ab extra, & pes unus ab intra consistat; Quid tum? In qua tamen magnum continetur Mysterium. Intelliguntur enim victoria & gloria pedes matris: Prima enim vice victoria tantum intrat; & gloria ab extra permanet. Atque tunc locum habet quæstio illa: Si pes unus sit extra, & alter intra, &c. responsum autem non accepi.

Cap. XLIII.

RTarphon descendebat, quod radicem suam à 288. scintillis, quæ sunt judich: Nam literæ טרפון è nomine טרפון, numero suo referunt 288 demta voce. Et duæ literæ ון quinquies sumptæ sunt 280. Qui etiam continetur in nomine טרפון.

Cap. XLIV.

De percussione quæ fit in sepulchro.

DE percussione quæ fit in sepulchro, & de impiis quod ignorent nomina sua, notanda sunt sequentia. Omnes animæ primitùs comprehensæ erant in Adamo protoplaste ante peccatum, prout jam dictum est sæpius. Cum autem peccaret Adam, ab eo decidebant membra ejus: per quæ intelliguntur animæ illæ, antehac in ipso comprehensæ, quæ decidebant in cortices, ita ut in ipso non remanerent nisi centum cubiti, de quibus dictum est suo loco.

2. Porrò quoque sciendum, non omnes animas fuisse æquales: quæcunque enim membra illi peccato quod committebat Adam Protoplastes, profundius erant implicita, profundius etiam incidebant intra cortices, quam membra alia, quæ transgressioni non adeo erant vicina. Certum est enim animas alias majori pronitate, & deliberato magis animo peccasse, quam alias. Unde patet, quod pro ratione factarum in animabus corruptionum, eædem etiam magis vel minus profundè immersæ fuerint corticibus.

3. Deinde notandum quoque, quod à priore parum abludit, etiam in corticum genere, dari Adamum, qui vocatur Belial; in quo etiam membra sunt multa. Quæ igitur erant membra illa, quæ peccatum committebant, in Protoplasta, in talia etiam membra partis impuræ abripiebantur illorum animæ, atque sic vestiebantur quasi & involvebantur corticibus illis. Quia nihil factum est casu, sed omnia speciali sub sunt providentiæ; Legitimoque pondere & mensura dimensa sunt omnia. Nec enim omnes cortices prævalere possunt homini; sed illi tantum qui pertinent ad locum, in quo facta est cujusvis corruptio, in corpore Adami Protoplaste per peccatum ejus. Unde patet eodem ordine immersas fuisse animas corticibus, quo ordine & gradu corruptæ fuerant suo quævis loco in Protoplaste.

4. Præterea illæ quoque animæ, quæ in Adamo Protoplasto remanebant, spoliabantur ornamentis suis, quæ habuerant ante peccatum, & vestiebantur corticum habitu & ornatu: ita ut nulla sit anima, cui non sit cortex singularis secundum gradum peccati sui, & secundum peccatum Adami Protoplastæ. Et ille Cortex vestis ejus atque involucrum est ac permanet per totam vitam ejus, nilque certius est, (quoniam in quilibet hominis anima est portio quædam sanctitatis:) quam quod eidem cortex quidam superinductus sit, tanquam larva quædam & tegumentum, unde dicitur Jerem. 50. v. 5. *Peccata vestra divisionem faciunt inter vos*, &c. Illa enim sunt vestimenta animæ, &

mæ, & hæc occultata est iisdem, ut illuminatio superna ad eam pertingere nequeat.

5. Et hoc est mysterium illius impuritatis, quam serpens superinduxit Evæ & Adamo & omni semini eorum: ita ut nullus hominum ab illa maneat liber; Quia omnes comprehensæ fuerunt in Adamo: Quamvis enim non omnes æqualiter ad illud peccatum concurrerint; nemo tamen invenitur, qui non aliquatenus ejusdem fuerit particeps; ne illis quatuor quidem exceptis, qui nullum aliud habuerunt peccatum, sed tantum mortui sunt propter consilium serpentis, de quo jam diximus. Ratio autem mortis istius hæc est: quia id quod pertinet ad genus sanctitatis vocatur vita: alterum autem genus vocatur mors. Quicunque ergo peccat, eidem adhæret genus alterum, cui est nomen mortis: Quod propterea ab ipso tolli nequit, nisi per sepulturam, qua absumatur caro ejus in pulvere terræ: Ubi hæc mors ab ipso separatur.

6. Omnes ergo Cortices, omnemque spurcitiem quam in se derivat homo per peccatum proprium, separare & emundare potest per conversionem pœnitentiæ: sed peccatum Adami protoplastæ multas ob causas magnum nimis est, quæ hic enarrari nequeunt. Hinc ne per pœnitentiam quidem multum separatur. Quamvis enim remissio detur peccatorum, & sine dubio Deus pœnitentiam Adami Protoplastæ susceperit: immundities tamen illa & cortex qui cuivis adhæsit, ab eodem tolli nequit nisi post mortem. Hinc quatuor illi Amram (Pater Mosis) Benjamin (filius Jacobi,) Et Calab (Filius Davidis) Et Jischai (Pater Davidis, alii legunt Caleb & Josua. A quibusdam etiam additur Levi, qui non immixti fuerint peccato vituli,) quamvis fuerint justi perfecti; nihilominus tamen vis ista in tantum iisdem adhæsit, ut moriendum iis fuerit propter consilium serpentis: quoniam necesse fuit, ut restituerentur & purificarentur ab iisque separaretur cortex iste peccati Adami, cum quo cuivis adest cortex quidam de illa spurcitie serpentis. Et hic cortex ubique certa quædam scintilla est de uno vel altero membro Adami Belialis. Et quilibet cortex nomen habet singulare & proprium. Sicut enim respectu sanctitatis scriptum est Psalm. 46. v. 9. *Qui posuit nomina in terra*: ita ut nulla ullibi detur res, quæ non proprium aliquod habeat nomen. Ita res se habet cum corticibus, ita ut quælibet illorum scintilla, & quælibet species nomen habeat designans locum illum, cui insit (in corpore Adami Belialis) quia juxta Eccles. 7. v. 15. *Hoc contra hoc fecit Deus.*

7. Quilibet ergo Jisraelita, præter nomen illud à parentibus sibi impositum tempore circumcisionis suæ, habet nomen aliud. Hoc autem nomen est illud ipsum quo appellatur cujusvis hominis anima. Nam nomen illud à parentibus cuilibet datum, quælibet anima jam supra habet in throno gloriæ, eodemque illa in supernis appellatur. Non enim ex accidenti hæc fiunt, sed Sanctus ille qui benedictus sit, nomen hoc suggerit & imponit ori parentū, ut eo istum appellent. Hinc de R. Meir scribitur: quod, si cum aliquo ambulasset, inquirere solitus sit, quo vocitetur nomine. Et in textu illo allegato Psalmi 46. v. 9. Noli legere שמות solitudines: sed lege שמות Nomina. Nomen ergo, quo parentes vocant hominem, est nomen animæ ejus sanctæ.

8. Præter hoc nomen autem adhuc aliud nomen quis habet illius nempe corticis, qui in ipsum derivatus est ab impuritate propter peccatum Adami. Unde patet, quod quilibet homo duo habeat nomina: unum de genere sanctitatis, & unum de genere impuritatis.

9. Atque hinc intelliges, in quo consistat mysterium pravæ concupiscentiæ, quæ in homine est. Namque hæc nil est aliud, quam cortex ille derivatus ab impuritate serpentis: & radicata est adhærετque radici animæ cujusvis hominis ex ipso tempore Adami primi: ita ut omnia quasi confermentata jam sint & commixta in massam unam. Quare prava concupiscentia hominem ubique dirigit, eundemque inclinare potest pro suo arbitratu, cum ipsa se gerat ad instar veri Patrisfamilias.

10. Quod igitur attinet ad percussionem in sepulchro, res ita se habet, prout describitur in Medrasch, (quod nempe, postquam discessit homo ex hoc mundo, Angelus mortis veniat, & sedeat super sepulchrum ejus, ubi statim intret anima ejus in corpus ejus, & ille hunc erigat super pedes suos, ut consistat in terra secundum staturam hominis, ubi porrò in manu illius sit catena sive virga, una medietate ferrea, & altera ignea, qua hominem verberet: ita ut primò dissolvantur membra ejus, & postmodum dissipentur ejus ossa, quæ deinde ab Angelis colligantur. Tertiâ autem percussione hominem redigi in pulverem & cinerem, ubi tunc redeat in sepulchrum suum. Quò judicio plectendi sint etiam qui planè justi sunt, & filii principum, & abortivi: excepto eò, qui moriatur in vespera Sabbathi, & qui moriatur in terra Jisrae.) Ratio istorum hæc est, quod nempe cortices isti non penitus unum sint cum anima, sed potius inhæreant Psychæ, quæ magis ad corpus accedit, unde anima cum corpore unitur, atque sic excutitur baculo ferreo, prout cum quis pulverem excutit è veste sua, eamque percutit ad excutiendam impuritatem eidem adhærentem. Quod tàm diu fit, donec sensim ab homine tollatur illa spurcities. In eo tamen non omnes homines sunt æquales: quoniam justi, qui in vita sua pœnitentiam agunt, & bonis operibus studient, seipsos excutiunt in vita sua, istumque corticem à se separant per dolores & cruciatus, quos in hac vita tolerant: item per studium Legis, quo debilitantur vires hominis usque adeo, ut in percussione in sepulchro faciendâ parum tantum in eo restitet separandum. Omnem enim in vita sua toll re posse impossibile est. Unde à percussione hac in sepulchro nemo est liber, nisi qui singularia illa præcepta à Magistris nostris bonæ memoriæ! tradita observet. Totus igitur mundus ex æquo ad percussionem hanc in sepulchro patiendam obligatus est: exceptis justis, in quibus parum saltem superest, quod ab iis separetur. Impii autem expurgatione opus habent majore, multisque & majoribus doloribus, donec impuritas hæc ab ipsis separari queat. Quia quo magis iis adhæret, & annexa est spurcities ista, eò majore opus habent percussione; ut per eam quilibet expurgetur secundum gradum suum. Et hæc est vera ratio, quare percussio fiat in sepulchro.

11. Audivi autem à Magistro meo, quod & ipse à Sapiente quodam alio intellexerit, eum, qui sepeliatur die sexta post horam quintam, liberum quoque esse ab ista in sepulchro percussione; quia sanctitas Sabbathi eundem liberet ab omni cruciatu. Mysterium

rium autem in eo latet, quod ubi in Genesi de die sexta sermo est in voce וישבת litera ת redundans præ diebus cæteris. Ab illo enim tempore & porrò jam computatur Sabbathum. Et Magister meus mihi videbatur ejusdem esse opinionis.

12. Quod autem dixerunt Magistri nostri bonæ memoriæ, impios ignorare nomen suum & propterea multis plagis percuti, donec dicant: Testes invocamus Cœlum atque terram coram Creatore mundi, quod ignoremus nomina nostra: id primo intuitu paradoxum omnino videtur: Quid enim refert, utrum sciant nomina sua an minus? Et quare propterea tot afficiendi sunt plagis, donec cœlum atque terram advocent testes, se ignorare nomina sua. Scito autem, quod in mundo hoc scire atque cognoscere potuissent, quodnam sit nomen illius corticis impuritatis suæ. Ubi simul perspexissent ex illo nomine, cujus ille fuisset generis, & è quo membro corticum fuisset desumtus: ubi deinde eundem potuissent corrigere, si nempe sciviſſent locum corruptionis suæ, adeoque & modum eandem restituendi, ut ita cortex ille in vita sua ab iis fuisset separatus: unde non opus fuisset istâ in sepulchro percussione. Adeoque omnia dependent à cognitione nominis illius corticis; quod est nomen illud cuivis homini impositum respectu corticis sui proprii, ut dictum supra. Atque hinc intelliges, quid sibi velit, quod impii ignorent nomina sua. Sensus nimirum est, justos non opus habere, ut sciant nomen hoc, quia per bona sua opera corticem hunc à sese expoliunt atque tollunt. Impii autem, qui nihil omninò fecerunt, pro detrahendo à sese isto cortice, multò labore hanc demum separationem sustinent, nediante percussione in sepulchro: Unde propterea plagis tam ingentibus percutiuntur, quod ignorent nomina sua: nam si ea sciviſſent, facilius etiam expurgare & separare à sese potuissent hunc corticem. Hoc ergo corticum nomen ab iis exquiritur; & hoc nesciunt: nec intelligendum est hoc de nomine ipsorum proprio.

Cap. XLV.

1.

In Gemara tract. de Sabbatho dicitur, animam per duodecim menses ascendere atque descendere; exactò autem mense duodecimo ascendere quidem animam, sed non descendere amplius. Adhæc narrabat mihi R. Jizchak Sagisch, se audivisse à Magistro meo, quod septimana ultima mensis duodecimi, quamvis homo quidam mortuus sit die quodam profesto illius septimanæ, tamen Sabbatho illo præcedente hanc septimanam ascendat, nec descendat amplius: licet postea inter Sabbathum hoc & diem mortis ejus anni præteriti adhuc intercedant tres vel quatuor dies alii. Anticipari igitur ascensum hunc die illo Sabbathi; quia nempe tunc tempus sit ascendendi genuinum pro omnibus animabus: completaque semel ascensione, neminem redire ad descensum.

Cap. XLVI.

1.

TOta animarum universitas exprimitur numero sexaginta myriadum: Lex autem radix est animarum Jisraëliticarum: hinc istius quoque expositiones ad sexaginta myriades ascendunt, Et quælibet istarum explicationum est radix alicujus animæ Jisraëliticæ. Futuro autem tempore quilibet legere & intelligere poterit secundum illam explicationem, quæ concernit radicem animæ suæ, per quam nimirum creatus est. Atque sic etiam in Paradiso contingit.

2. Dantur autem animæ quædam, quæ continent explicationes multas: & anima Mosis Magistri nostri, super quo pax, continebat omnes sexaginta myriades animarum; quare etiam sciebat omnes sexaginta myriades explicationum.

3. Hinc nocturno tempore, cum anima sub somno ab homine exit, ille, qui dignus est, ascendit, ibique audit atque legit eandem explicationem, quæ pertinet ad radicem suam. Multi tamen sunt casus, ut una nocte majus lumen oboriatur in anima ejus circa hunc textum; & alia nocte circa textum alium: Et hæc omnia secundum opera ejus.

4. Magister autem meus videre poterat in homine, super quo textu accepisset illuminationem plenioremque tunc hunc textum eidem interpretabatur secundum explicationem eidem debitam, & animæ ejus. (Videre enim hoc poterat in fronte cujusvis:) ita, ut si eundem legeret interdiu, anima ejus ascendere posset in infinitum, eique manifestarentur res aliæ; quamvis corpus illius hoc non sentiret.

5. Sexaginta autem Myriades harum explicationum procedunt juxta Methodum sensus literalis, allegorici, Moralis & mystici seu Cabbalistici: quia nulla est anima ad quam non pertineant hi omnes.

Cap. XLVII.

1.

NOcte quadam in somnio mihi apparebat Rabh Jeba Senex, mihique dicebat: Psalm. 31. v. 20. *quam multa est bonitas tua quam occultasti timentibus te.* Ubi literæ initiales textus istius Hebraici מַה רַּב טּוּבְךָ אֲשֶׁר eundem habent numerum, quem nomen רמי Doctoris cujusdam Gemarici: Id quod mihi etiam dicebat, me tamen non intelligente. Pergebat autem dicendo: Abi ad Magistrum tuum, & hic docebit te. Mane igitur cum surrexissem, somniumque Magistro meo narrassem; hic mihi respondebat, intentionem ejus fuisse, quod Rami Bar Chama ortum habuerit è copula portæ primæ trium portarum cognitionis supernæ: Nomen enim Rami significare excelsum ad denotandam cognitionem supremam. Numerum etiam רמי eundem esse cum numero vocis אור lucerna Domini. Unde cum in Gemara Tractatu Bava Iathra Cap. primo, Rabh Chisda interrogaret filiam suam, utri nubere vellet è duobus his, qui erant Rami Filius Chama, & Rabba? Illa respondebat, utrique. Quod etiam eveniebat. Atque tunc Rami erat primus & Rabba ultimus. Nam Rabba erat de genere copulæ portæ ultimæ è tribus portis cognitionis supernæ.

2. Datur

2. Datur autem non tantum רם excelsus, sed & מר, amarus, quæ sunt eædem literæ. Vox ergo Ram denotat portam summam, & vox Mar portam ultimam. Unde Chiskijahju Rex Jehuda; qui ortum habebat è porta ultima exclamabat Jesa. XXXVIII. מר לי מר *amarum mihi, amarum.*

3. Elihu autem Filius Beracheel è Familia רם, descenderat de genere medio: Mihique Chaim exiguo videtur, quod Elihu fuerit de genere trium mediarum.

4. Elkana autem Propheta erat de generibus mediis portarum cognitionis supernæ: Ille enim plus habebat quam unum excelsum, unde dicitur fuisse de Ramathaim, 1. Sam. 1. v. 1.

5. Rami autem Bar Chama ortum habebat, de porta summa trium superiorum cognitionis: quare vocatur Chama: vox enim חמא Chama numerum habet 49 juxta numerum quadraginta portarum. Unde literæ vocum finalium initiales, scilicet צפרת לוראך numerum habent 120, quot fuerunt anni Mosis, (qui per 49. has portas intravit.)

Cap. XLVIII.

DIxit mihi Magister meus, quòd Psyche habeat 613. scintillas: & totidem etiam spiritus: & totidem etiam Mens: qui omnes tantum sint discipuli Sapientum: Præter multas scintillas operatorum seu bonis tantum operibus studentium & plebejorum: Qui omnes tantum sint Rami radicis animæ illius justi: præter species alias ab ipso dependentes; quæ omnes ab homine sint restituendæ, & ad bonum reducendæ.

2. Idem dicebat mihi in fronte hominis lucere viginti duas literas parvas de genere Psyches. Et si homo mereatur accipere spiritum, viginti duas literas illas esse medias: Sique acceperit mentem, viginti duas literas superaddi majores quæ pertinent ad matrem intellectus. Sique luceat in fronte vox aliqua, in qua sint duæ literæ æquales; tunc non lucere nisi literam unam: Ira ut ex. gr. de voce חיים non appareat nisi חים. Quod etiam in pectorali Sacerdotis magni sic evenit, ut literæ duplicatæ non apparuerint.

3. Idem dicebat mihi, quod in corpore hominis essent 248. scintillæ, & 365. aliæ pertinentes ad psychen: totidemque ad spiritum: & totidem ad mentem, ita ut ad singula præcepta singulæ pertinerent scintillæ. Scire autem poterat, quodnam Præceptum deficeret homini, eo quod hæc vel illa scintilla deficeret. Ubi deinde monebat singulos, quomodo eandem restituere deberent. Sciebat enim locum literarum quem haberent in cute vel in capillis, & in pilis minoribus.

4. Aliquando autem dicebat mihi, se vidisse in fronte mea tres literas אבא: ubi priores duæ debito quidem steterint ordine, tertia autem fuerit inversa. Interrogatus autem à me, quid hoc sibi vellet, dicere id mihi nolebat, postmodum autem dicebat: necesse esse, ut plura retribuerem bona patri meo. Hinc enim primas duas, quæ fuissent erectæ, nempe אב denotare Patrem: tertiam autem, quæ retributionis significationem habet, non fuisse rectam.

Cap. XLIX.

1.

IDem Magister meus ante mortem suam dicebat ad R. Jizchak Sagisch: Monendos esse omnes discipulos, ne nimium studerent in Sapientia hac; eò quod nondum satis essent perfecti: Unde fortassis fieri posset, ut inciderent in truncationem plantarum. Sique generatio fuerit digna se ipsum venturum eosque docturum sapientiam hanc in perfectione. Interrogabat autem ille, quomodo venire poterit Dominus ad nos dum senes erimus, ipse autem puer parvus? & respondebat illi; id vel in somnio futurum, vel interdiu vigilantibus, vel ullo quodam modo alio.

2. Cùm autem moriturus esset, præsens ipsi aderat R. Jizchak Sacerdos: Cui dicebat: Si digna esset generatio, eodem anno verum adesse finem. Eo quod à diebus R. Schimeon Jochaidæ finis nunquam esse potuerit, prout nunc. Recitabat autem versum illum Gen. 38. v. 5. *Et addidit adhuc, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Schelah. Et erat in Chezib, cum pareret eum.* Moxque dicebat ei: Surge & propera foras; quia tu Sacerdos es (& pollui posses corpore meo), quia nihil amplius superest, quàm ut abscedam. Eoque egrediente exibat Psyche Doctoris hujus magni per verum osculum.

Cap. L.

1.

DE unguibus dicere etiam solebat, quod diebus profestis lumen suum haberent à corticibus: sed vespera Sabbathina, postquam submerserit se homo, eosdem lumen accipere à Sanctitate: & in illis multa cognosci posse. Finito autem Sabbatho, illos redire in statum pristinum.

2. Etiam pilos hominis sive in capite sint, sive in brachio, vel naso, plurima significare, vel colore suo, vel inclinatione sursum vel deorsum facta, vel longitudine sua, & sic similiter. Fundamentum tamen eorum esse in fronte. Et sic etiam in coloribus oculorum sese manifestare literas.

Cap. LI.

CUm ego exiguus Chajim venirem ad Magistrum meum, ut ab eo discerem hanc sapientiam, me secum abducebat Tyberiadem versus per mare in Cymba quadam parva. Cumque appropinquaremus è regione fenestræ Synagogæ veteris, bibere me jubebat, dicens: jam assequi poteris Sapientiam hanc, quia bibisti de fonte Prophetissæ Mirjam. Et ab illo tempore incepi comprehendere Sapientiam hanc.

Cap. LII.

1.

PRæceptor meus præceperat, ut ipsum baptizaremus post mortem suam in domo submersionum. Cùm igitur ex hac vita discessisset, nos condiscipuli eundem deportabamus in locum submersionis. Et constituto corpore ejus in undas dicebamus: Ignoscat nobis Dominus noster, quod ipsum submersuri simus. Eodem autem momento seipsum inclinabat Capite suo & sponte submergebatur. Quod mirum est dictu.

Cap. LIII.

1.

MAgister meus sapientiam hanc ita est assecutus, ut primitus magno studio legeret librum Sohar, multumque laboris insumeret super dissertatione una, ut eandem intelligeret. Interdum enim integram septimanam consumebat, super tractatu vel dissertatione unicâ, ut verum assequeretur sensum atque lumen. Quandoque igitur dicebant ei: eum nondum rem tangere. Et majori studio eidem incumbebat. Interdum dicebatur ei: Hæc quidem erat sententia R. Schimeonis Jochaidæ: tibi autem profundius adhuc meditandum est, superilio sensu.

2. Deinde autem ipsi apparebat Elias b. m! atque tum intelligebat, & assequi poterat omnia, tam magna quam parva, & omnes species sapientiæ atque scientiarum, & tractatum R. Schimeonis Jochaidæ, quia vocatur Idra sive area. Hæc enim Sapientia oretenus tantum fuerat tradita, donec uni vel alteri apparuisset Elias ex illis Sapientibus quales fuerunt R. Abraham ben David, & R. Moschè Bar Nachman usque ad Doctorem nostrum. Nemo autem sic assecutus est Sapientiam hanc secundum veritatem sicut ipse, quamvis multi libri de ea sint conscripti. Unde monendus est quilibet, ne illos libros priores legat, quia verum Cabbalæ sensum non continent: Exceptis illis, quibus apparuit Elias.

3. Ipse autem in Scriptura, in Mischna, in Talmude, in discursibus mysticis, & commentationibus intelligebat omnia, & quælibet explicare poterat variis sensibus, quatuor illorum explicandi generum, quæ includuntur in dictione פרדס & juxta Cabbalam veram: Prout commentationes ejus satis id superque ostendunt. Eodem quoq; modo intelligebat opus creationis; & opus vehiculi sive throni Ezechielis; item sermonem avium; & arborum; & herbarum; & inanimatorum ut lapidum; Flammarum ignis; & carbonum: item sermonem angelorum & cantillationes aviculorum. Ipse etiam sciebat, sicubi spiritus aliquis bonus vel malus quendam ingravidaret: Et cum ipsis loquebatur, & ipsos ejiciebat. Ad se quoque adducebat animas hominum adhuc viventium; Cumque iis loquebatur pro jubitu, eosque iisdem restituebat. Videbat etiam animas è corporibus suis exeuntes, item in sepulchris suis; & quando ascendarent singulis vesperis Sabbathinis in Paradisum: & loquebatur cum animabus justorum in statu vitæ alterius degentium: & illæ eidem manifestabant omnia arcana regis. Porrò etiam intelligebat Metoposcopiam, & Chiromantiam, & somnia interpretabatur juxta verum eorum sensum: Prout & scire poterat, quænam anima esset in revolutione veteri, & quænam nova. Item sciebat, quid decerneretur in cœlis & in terra. Et cognoscebat è fronte hominis, quid cogitaret, vel quid somniasset, & quem textum legisset anima ejus dum ascendisset in Paradisum nocturno tempore. Et cuivis genuinam tradebat

bat explicationem secundum radicem animæ ejus. In fronte etiam legere poterat, quæ bona vel mala aliquis fecisset, vel cogitasset: & cuilibet sua dabat monita, quâ ratione restitui posset secundum peccata sua. Et discipulis suis juxta naturam eorum propriam vel juxta radicem animæ eorum, quatenus in Adamo protoplaste extitissent, monita dabat singularia, juxta quæ restitui possent. Multos etiam sciebat errores, qui irrepsissent in libros. Percutere etiam poterat cœcitate, (ut ipse fieret invisibilis.) Sciebat etiam quid studendum esset discipulis suis. Et plenus erat sanctitate & urbanitate & humilis admodum, omniumque virtutum studiosus, timensque peccatum, & amans Deum. Et omnia ea quæ supra eum sciviſſe enarravi, exercere poterat omni tempore, hora atque momento; Quia omnia illa recondita erant in sinu ejus, quod viderunt oculi mei, & nemo alienus.

Cap. LIV.

PRæcepit sapientissimus & divinus iste Cabbalista, luminare sanctum R. Chajim Vital in testamento suo: Ut post mortem suam nudum eum deponerent in fundo sepulchri, nullo interposito linteo: Et quidem statim postquam efflasset animam suam. Addita hac ratione, ut si forte commisisset peccatum aliquod lapidatione expiandum, hoc sibi imputetur pro pœna.

FINIS.